IOHANNIS BVRIDANI PHILOSOPHI TRECENTIS RETRO annis celeberrimi

QVÆSTIONES IN OCTO LIBROS POLITICORVM *ARISTOTELIS.*

UNA
CVM INDICE QVÆSTIONVM
Dubiorúmque eiſdem annexorum
locupletiſſimo.

OXONIÆ,
Excudebat GUILIELMUS TURNER.
M. DC. XL.


BIBLIOTHECA·BODLEIANA

GVILLERMI BATEREL PARISIANI AD BENIGNVM LECTOREM EPIGRAMMA.

Si sacra Canonici placeant decreta Senatus,
Aut qua Romulei jura dedere patres,
Altaque politica delectent dogmata norma,
Et quod diva parit Philosophia decus:
Suspice mellifluum gratanti fronte volumen:
Chalcographus superâ quod renovavit ope.
Nam primos aditus sanctarum & semina legum
Edocet: ac facili ducit ad alta viâ.
Quicquid alit regalis amor, quid sæva Tyrannis
Obruit, aut plebes seditiosa vorat.
Cur pereat commune bonum, quo publica frano
Res ad tranquillum sæpe trahatur iter;
Candide sub claro cognosces ordine lector,
Si sub hoc abstrusum codice dogma legas.
Quare eme: debinc emptum legites: intellige lectum:
Et modicus referet commoda multa labor.
Sic tua fœlices attingent carbasa portus:
Et tuâ patriam dexteritate reges.
Hoc cape: jam cunctis quod parva pecunia donat:
Nil timeas syrtes: hoc duce prosper abi.

DEO GRATIAS.

IOHANNIS GIRODI CROSETANI AD GUILLERMUM BATEREL amiçorum fidelissimum Carmen.



Huc propera, & rapido celeratos impete gressus,
Jam BURIDANÆI *flecte per arva soli.*
Qui quondam sterili fuerat suppressus arenâ,
Fœcundus vario gramine floret ager.
Spinosos frutices tellus inculta ferebat,
Quos duro evulsit fessa ligone manus.
Sic tribulus, lolimque nocens sic arvit herba;
Istâque sunt trunco germina adempta pede:
Et nunc flava Ceres, spicas, bacchaque læta
Vitis agit flores: nardus odora viret.
Palladio fragrans vestitur campus honore;
Quem sacra Pegaseo flumine turba rigat.
Hic sub legifera maturos arbore fructus
Invenies: & quæ semina jura ferant.
Quare age Cæsareas leges, Guillerme, *salutans:*
Istâ lege avidus lilia: jamque vale.

DE

DE BONORVM ELECTIONE.

Incipiunt quæstiones breves & perlucidæ super Octo Libris Artis Politicæ ab Aristotele *confectis, quæ Moralis Disciplinæ partem, utriusque juris Ecclesiastici scilicet, & Civilis promiscuè strinxerunt.*

QVÆSTIO I.

Circa primum librum Politicorum *Aristotelis* talis movetur Quæstio. Utrùm bonum commune sit præferendum bono particulari, sive privato? Arguitur primò quòd non, nam si sic esset præferendum, sequeretur quòd homo secundum dictamen rectæ rationis deberet velle perdere fœlicitatem propriam, propter utilitatem boni publici: Consequens est falsum, quia hoc esset contra charitatem: Et probatur consequentia ex eo quòd fœlicitas & virtutes sunt bona privata, & particularia. *Arguitur.*

Secundò sic, quia sequeretur quod homo secundum dictamen rectæ rationis deberet dare thesaurum & hæreditatem suas bono publico: consequens est falsum, & probatur consequentia, quia illud est commune bonum.

Tertiò sic, maximè homines curant bonum privatum & proprium secundùm Eustratium, & hoc non esset, nisi bonum proprium esset præferendum.

Quarto sic, si conclusio esset bona & vera, sequeretur quòd secundùm dictamen rectum latro deberet velle suspendi propter furtum suum. Consequens est falsum & contra charitatem & legem naturæ. Et probatur consequentia, quia est expediens reipublicæ quod latro suspendatur, ut amplius non furetur, cum sit in detrimentum reipublicæ.

In oppositum arguitur primò sic, commune, bonum bono particulari est multo nobilius & melius, igitur &c. patet satis consequentia. Antecedens probatur *In Oppositum.*

primo hujus, & primo Ethicorum, amabile quod uni soli, amabilius et utilius eo quod est omni genti & communitati.

Secundò sic, bonum communitatis est optimũ bonum inter omnia bona, igitur &c. patet consequentia. Et Antecedens probatur per illud Philosophi in primo hujus ille qui communitatem instituit fecit optimum bonum, & fuit maxime bonorum causa. Tertiò sic, homo debet præferre illud quod est sibi bonum & aliis, illi quod est sibi bonum tantùm. Sed sic est de bono communi. Igitur &c. patet consequentia, & major satis nota est: & minor patet, quia omne bonum commune est bonum multis: & non bonum privatum. In ista quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur utrùm aliquis actus malus licitè possit fieri pro salute & tuitione patriæ. In secundo de quæsito principali. In tertio movebuntur dubia circa materiam.

Primus articulus.

Primum notabile.

Quantum ad primum articulum. Est notandum & supponendum quòd in nullo casu mala sunt facienda, ut inde bona eveniant. Ista suppositio patet auctoritate *Eustracii.* 3. *Ethicorum* qui dicit, Christiana religio fatetur non esse peccandum propter commodum consequendum.

Secundum.

Duplex actus malus.

Secundò notandum, quod actus mali sunt in duplici differentia: quidam sunt mali de se, ut odire Deum, tristari de bono alterius: & isti non sunt mali quia prohibiti, sed prohibiti quia mali, alii sunt mali eò quòd prohibiti, & non quia mali; sed illi possent fieri licitè in aliquibus: ut desponsare cognatam, non jejunare die Veneris.

Tertium.

Tertiò notandum est quòd lex prohibens actum malum de per accidens, non intendit prohibere, ubi bonum publicum periret si non fieret. Ista suppositio patet, quia legislator semper intendit bonum publicum.

Prima conclusio.

His suppositis ponitur prima conclusio sive propositio. Actus malus primo modo, seu de per se, non licitè potest fieri pro defensione vel salute communi patriæ. Probatur sic, nam nullum malum est faciendum ut bonum eveniat, sed malum si fieret, fieret ut bonum inde sequeretur: igitur &c. Consequentia patet ex prima suppositione, & minor etiam.

Secunda.

Secunda propositio: Actus malus secundo modo licitè potest fieri pro defensione patriæ, vel reipublicæ: probatur, nam lex non prohibet quod si in detrimentum patriæ vel reipublicæ: sed hoc dimittere esset detrimentum reipublicæ: igitur &c. patet consequentia, & major patet de se, minor probatur, quia aliquando detrimentum fieret si dimitteretur, ut si rex non posset habere alienam, expediret quòd haberet cognatam in uxorem.

Secundum articulum. Primum notabile.

Quantum ad secundum articulum restat respondere ad quæstionem. Unde sciendum quòd triplex est bonum, scilicet utile, delectabile, & honestum; & dicitur quòd illa non distinguuntur nisi ratione; quia virtus moralis potest dici bonum utile, delectabile, & honestum. quia prout est appetibile propter seipsum, ejus quòd nullum bonum consequamur, dicitur bonum honestum. Si ut inde bonum sequeretur, dicitur utile. Sed prout est conveniens appetitui dicitur bonum delectabile. Unde sciendum quod triplicia sunt bona homini attributa: quædam sunt infima, ut sunt bona temporalia, divitiæ, & bona fortunæ, & illa sunt fortunæ subjecta: quædam sunt suprema, ut bona animæ, quæ sunt virtuosa: quædam sunt media, ut bona corporis, scilicet formositas, pulchritudo, sanitas. Et bona suprema, scilicet bona animæ sunt optima.

Quid bonum, honestum, utile, & delectabile.

Secundum triplicia hominis bona.

Tertiò,

Tertiò notandum quod in politia nos possumus invenire triplicia bona proportionabilia ad bona homini attributa; infima, ut possessiones & divitiæ. Alia sunt suprema, sicut felicitas politica, ut sunt tranquillitas, pax, bona concordia: alia sunt media, ut sunt membra politiæ, uti sunt principes sæculares. *Tertium.*

Quartò, sciendum est & notandum, quod cum quæritur: utrum bonum commune dupliciter potest intelligi. Uno modo comparando bonum partiale privatum ad commune bonum partiale. Alio modo comparando bonum privatum totale, ad bonum commune totale. *Quartum.*

Quinto notandum, quod præferentes bonum commune privato bono, quidam sunt cives qui non habent regere in politia; alii sunt qui habent regere politiam, & tales debent bonum proprium negligere, & bonum commune si contigerit procurare. His prædictis sunt ponendæ conclusiones. *Quintum.*

Prima conclusio; Bonum privatum honestum, ut virtus, felicitas propria, cuilibet bono communi est præferendum: probatur, nam homo virtuosus diligit bonum commune principaliter propter propriam virtutem, ergo magis diligit propriam virtutem: ergo &c. patet consequentia per regulam Topicorum, propter unumquodque tale. Secundò probatur, quilibet homo debet magis eligere secundum rectam rationem suum proprium bonum & salutem propriam simpliciter, quàm quodcunque aliud citra Deum: ergo &c. patet consequentia, & antecedens apparet, quia aliàs appeteret suam imperfectionem. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio, nullum bonum privatum aliud a bono honesto, est præferendum bono communi: probatur, quia appetere bonum totius communitatis est virtus, & virtus est præferenda bono cuilibet non honesto; igitur &c: patet consequentia, & major patet, & minor patet, quia non est honor condignus virtuti. Etiam confirmatur, quia dicitur 1. Ethicorum, quod bonum quanto communius, tanto melius est, & divinius: igitur &c. consequentia est nota. *Secunda.*

Tertia conclusio est, comparando bonum privatum partiale, & bonum commune partiale, bonum privatum est præferendum ab illo qui non habet politiam regere. Ista conclusio est de intentione philosophi, dicentis quod homo magis debet curare de bonis maximè propriis, quam de aliis. Secundo confirmatur, quia videmus quod justi viri magis curant de propriis. Et dicitur notanter, [si non habeat politiam regere,] quia talis debet negligere bonum proprium, & facere quandoque bonum commune reipublicæ. *Tertia.*

Quantum ad tertium articulum. Est movenda dubitatio circa tertium argumentum, ubi arguebatur, sequeretur quod Iason, &c. utrum condemnatus per principem licitè possit abire, si locum & tempus habeat. Et arguitur primò quod non, quia condemnatus non habet dominium, nec sibi est corpus suum, immo est corpus principis, & politiæ: ergo &c. patet consequentia, quia talis condemnatus non habet magis suum corpus arripere, quod est principis, quàm aliquod aliud corpus alienum: & Antecedens probatur, quia postquam est condemnatus, tunc corpus suum est sub jure & dominio principis, vel politiæ. *Tertius articulus. Dubium primum. Arguitur.*

Secundo, si sic, sequeretur quod non esset differentia inter condemnatum & non condemnatum: consequens est falsum ut patet, & consequentia patet per adversarium, quia condemnatus patet abire, similiter & non condemnatus.

Tertiò si sic, sequeretur quòd aliquis licitè posset justitiam velle non fieri, consequens est falsum, & patet consequentia de se.

Quartò sic, subditus tenetur obedire principi in omnibus justis: sed talis est subditus & subjectus: igitur &c. patet consequentia, & major de se patet ex lege, & minor apparet, quia ipse est subditus.

In oppositum. Oppositum arguitur, nullus potest licitè facere contra legem naturæ: sed non evitare mortem ubi potest est contra legem naturæ: igitur &c. patet consequentia, & major patet de se, quia natura in suis operationibus dirigitur ab agente infallibili: minor patet, quia omne ens appetit suam perfectionem & permanentiam.

Primum notabile: duplex princeps. Pro cujus evidentia est notandum quòd duplex est princeps in politia, videlicet princeps supremus, ut rex, dux, vel imperator in politia. Et alius infimus, ut balivus, vel vicecomes, & de utroque intellige.

Secundum: judicari dupliciter. Secundo notandum quod aliquis potest judicari ad mortem dupliciter. Uno modo justè, aliomodo injustè.

Tertium: jus in re tripliciter. Tertio notandum, quod aliquis potest habere jus in aliqua re tripliciter: uno modo quod habeat proprietatem, licet non habeat usum: secundo modo quod habeat usum, non tamen proprietatem: tertio modo habendo usum, & proprietatem. Exemplum primi, ut quando aliquis habet domum alteri conductam. Exemplum secundi, ut ille qui conducit domum alterius. Exemplum tertii, ut utens domo propria.

Quartum. Quarto, sciendum est quod si aliquis sit condemnatus ad mortem justè, licet non sit vinculatus, habet jus & dominium quantum ad proprietatem, & non

Quintum. quantum ad usum in corpore suo. Et si sit injustè condemnatus, & si sit vinculatus, habet dominium, & usum, & proprietatem. Quinto notandum, quod

Conclusio prima. quilibet debet præservare proximum suum à vitio quantum potest, quia illud est præceptum divinum. Consequenter ponuntur aliquæ Conclusiones. Prima, si sit aliquis condemnatus injustè, ipse potest licitè abire, si locum & tempus habeat, imo tenetur. Probatur primò, quod licitè, quia sic non facere hoc est facere contra legem naturæ, quod imo tenetur probatur, quia tenetur præservare proximum a vitio ubi potest: Modò si talis qui posset evadere, si non evaderet non præservaret proximum a vitio, sc. principem.

Dubium Primum. Sed tunc dubitatur: Utrum vinctus potest licitè frangere & disrumpere vincula. Ad hoc respondetur quòd sic, quia talis princeps non habebat aliquod dominium supra corpus suum, nec secundum usum, nec secundum proprietatem.

Secundum. Secundò dubitatur, si talis timeat mortem & recedat sub juramento revertendi, utrum teneatur redire ad carceres: respondetur, secundum quosdam, quod non tenetur redire; quia juramentum est illicitum, & ideo non est tenendum, quia licitum est in omnibus legem falsam abscindere: dicunt etiam aliqui quod licitè posset permanere.

Secunda conclusio principalis. Secunda conclusio, condemnatus ad mortem justè licitè potest abire si locum & tempus habeat: probatur primò per rationem post oppositum, quia talis peccat contra legem naturæ. Sed si dicatur, quod talis non habet jus & dominium. Respondetur quod imo habet dominium quoad proprietatem, & illud est multo magis, quàm habere dominium, quoad usum.

Quartum dubium. Sed dubitatur, posito quod jam de facto sit vinculatus firmiter, utrum licitè possit frangere vincula, & recedere, si potest, vel pugnare contra principis custodem.

dem. Respondetur quod nec sic, nec sic, quia tolleret jus principis, si rempublicam læderet. Aliqui tenent oppositum, quod licitè hoc possit, quia habet proprietatem in corpore suo, ideò juxta primam responsionem conclusio est glosanda sic, sct quod talis non sit vinculatus, nec vinculis detentus, imo quia non habet jus ad usum ideò non tenetur frangere. Nec secundum potest, quia non habet dominium quoad usum, nec quoad proprietatem.

Respondetur ad rationes. Ad primam cum dicitur corpus suum, non est in suo dominio: igitur &c. Negetur antecedens, licet non habeat in usu, habet tamen in proprietate. Ad secundum respondetur negando consequentiam simpliciter. Ad tertium negatur consequentia, dum modo sit vinculatus firmiter, quia melius est quod obediat legi reipublicæ, quam legi naturæ tali modo. Ad quartam conceditur major, & negatur minor: quia habet recedere si locum habeat & tempus, ut dictum est satis.

Quintum.

Ulterius dubitatur juxta secundam conclusionem secundi articuli, ubi dicitur quòd nullum bonum privatum &c. utrum in aliquo casu homo licitè a defensione reipublicæ possit cessare, scils fugiendo, & hoc si actu sit regens & defendens rempublicam. Arguitur quod non, quia si sic, tum licitum esset bonum privatum aliud a bono honesto præferre bono communi, consequens est falsum, ut dicit conclusio, & probatur consequentia, quia sic fugiendo præferret corpus suum proprium, quod est bonum privatum.

Oppositum arguitur, quia minus malum est quod ipse fugiat, quam quod maneat longo tempore: igitur &c. patet consequentia, & antecedens probatur, quia defensor reipublicæ in casu quo videt mortem imminere, potest licitè cessare. Hic erunt duæ partes. In prima quid dicendum secundum aliquos. In secunda respondetur secundum propriam opinionem Philosophi.

Opinio quorundam.

Suppositiones.

Quantum ad primam partem supponitur primo, quod post istam vitam ponenda est alia vita æterna.

Secundò supponitur quod sicut anima præferenda est corpori, ita decor animæ decori corporis.

Tertiò supponitur quod quilibet bonus Christianus mallet omnia mala pati quam malum moraliter, ut furtum committere, ut patet per martyres et sanctos.

Conclusio responsiva.

Nunc ponitur conclusio responsiva in aliquo casu, non est licitum hominem à defensione reipublicæ cessare fugiendo. Et probatur, posito quòd justus videat, quòd magnus populus Christianorum debeat perire, nisi ipse eum defendat, & si permaneat morietur, tunc tenetur defendere & non recedere. Probatur per primam suppositionem, sicut anima præferenda est corpori. Sed verum est si aliquis videat aliquo modo, quod populus alio modo præservari potest, non debet se periculo exponere, quia dicit Philosophus quod magnanimus se leviter periculo non exponit, & hæc debet esse causa quare principes non se statim morti exponunt. Et ista pars fide est tenenda.

Opinio propria.

Quantum ad secundam partem, est videndum secundum opinionem & dicta Philosophi, & ab aliquibus tenetur opinio. Pro quo notandum est quod aliqui tenent quod de intentione Philosophi fuit non fore aliam vitam post istam: et hoc probatur per Philosophum tertio hujus, mortuus Rachel videtur bonum aut malum esse, et sic videtur dicere quod Philosophus non posuit nisi meritoriam felicitatem.

Primum notabile.

Secundum. Secundo notandum eſt de illo defenſore reipublicæ, quia vel ille videt & habet ſpem quod non poſſit ſupervivere ſi permanſerit, aut habet ſpem quod poſſit ſupervivere ſi captus fuerit ab hoſtibus.

Prima concluſio Prima concluſio in caſu ſecundo non eſt licitum à defenſione reipublicæ ceſſare probatur, illud non eſt licitum quod eſt contra ſupremum gradum virtutis & fortitudinis: ergo &c.

Secunda. Secunda concluſio: in primo caſu, ſc. in quo manifeſtè videret quòd ipſe inevitabiliter non poteſt ſupervivere, licitum eſt ceſſare ſive non expectare. Probatur concluſio quadrupliciter: primò expectare mortem non eſt fœliciras, nec pars fœlicitatis, ergo &c. patet conſequentia. Et aſſumptum probatur, quia vera fœlicitas non eſt ſine vita. Secundò probatur, virtus non debet eſſe contra manifeſtam inclinationem naturæ; ſed non fugere eſt contra inclinationem naturæ: ergo &c.

Tertiò probatur, quia ſi ſic, vel hoc eſſet pro bono proprio, vel alieno. Non proprio, ut patet de ſe. Nec alieno, quia plus diligeret virtutem alienam, quàm propriam.

Quartò videmus, quòd valentiſſimi viri fugerunt, ut fideles ab infidelibus, quia viderunt inſidias malorum: ergo &c. patet conſequentia, & antecedens patet in multis hiſtoriis. Ex hoc patet quod fortitudo moralis non inclinat ad expectationem mortis, ſi non poneretur vita poſt hanc æterna, unde minus malum eſt fugere, quàm perſeverare.

Ad rationem quæſtionis. Ad rationem in probantem reſpondetur, negando conſequentiam, quia ille non ſolum præferret bonum honeſtum bono proprio, & privato, ſed communi &c. imo præferret bonum honeſtum. Vel etiam intellige ſecundum adverſarium, quòd bonum privatum aliud à bono honeſto non eſt præferendum bono communi citra mortem corporalem, quia virtus moralis, ſcil. fortitudo non inclinat ad expectandum mortem, ſi non ponatur vita poſt iſtam.

Ad rationes. Ad primam, quando dicitur, ſi ſic, ſequeretur quod homo deberet &c. negatur conſequentia, nam dicitur in concluſione, quod bonum honeſtum privatum eſt præferendum cuilibet bono communi.

Ad ſecundam reſpondetur dicendo vel talis eſt princeps civitatis, vel qui habet regere terram, & talis tenetur dare theſaurum; vel eſt ſimplex civis, & ſic non tenetur.

Ad tertiam reſpondetur, quod eſt pro una concluſione ſecundi articuli, ſcilicet de bono partiali privato.

Ad quartam dictum eſt ſatis per quartam concluſionem.

QUÆSTIO II.

QUæritur ſecundo: utrum in communicatione humana neceſſarii ſint principatus ſpecie diſtincti. Et quia quæſtio ſupponit unum, ideo arguitur primò contra ſuppoſitum. *Arguitur.* Nam ſupponit quòd ſit principatus neceſſarius in humana communicatione. Arguitur ſic: poſſibile eſt quod homines habitantes in communicatione eſſent ſinceri amici: ergo &c. patet conſequentia, quia illorum omnia bona ſunt communia, & principatus non ponitur niſi propter judi-

cium

dum faciendum. Secundo probatur consequentia, quia possibile est omnes homines esse æquales: igitur &c: Et antecedens patet de se.

Secundò sic arguitur, ibi non est necessaria justitia: ergo &c. patet consequentia, quia justitia pertinet ad principatum & judicium, quia judex dicitur a justitia. Et antecedens patet: quia si homines essent amici, non esset opus justitia, ut dicit Philosophus octavo Topicorum.

Tertiò arguitur sic, in humana communicatione illud non est ponendum per quòd oriuntur lites & jurgia. Sed propter principatum fiunt jurgia: igitur &c: patet consequentia, & major est nota de se: minor apparet, quia visum est hoc sæpe quòd principes inimicitias habent discordando.

Deinde arguitur contra quæstum, quòd tales principatus non sint specie distincti: illa non differunt specie quæ soldm differunt secundum multum & paucum: ergo &c. patet consequentia: major est nota. quia scilz non est differentia specifica secundum magis et minus.

Et probatur minor per ipsos antiquos qui propter hoc dixerunt, quod non differunt magna domus et parva civitas.

Quintò arguitur sic, principatus paternus, et principatus regalis, et principatus sponsalis, et principatus despoticus non differunt specie: ergò &c. patet consequentia, quia non est major ratio de uno, quàm de alio. Et de paterno patet, quia rex aliquis est pater, et subditi vocant eum regem patrem, de principatu desponsali, et de alio patet de se.

Sexto modo arguitur: si sic, hoc maxime esset quatenus per illos principatus melius civitas regeretur, sive communitas humana. consequens est falsum, quia multò melius regitur communitas per paucum principatum, quàm pluralitas principatuum non est bona: imo sufficit unus solus princeps bonus, & tamen consequentia prima non videtur dubia, quia non videtur alia ratio.

Septimò arguitur sic, in communicatione principatus, non sunt nisi homines principantes: sed tales homines non differunt specie: ergo &c. patet consequentia: major est nota, quia principatus idem est quod principans, et minor est nota.

In oppositum.

In oppositum arguitur, quoad suppositionem, & hoc per philosophum primo hujus, capitulo tertio, ubi dicit quod qualibet communicatione requiritur princeps et subditus. Sed pro quæsito etiam patet per Philosophum primo hujus, ubi oppositum determinat in textu. dicentem quicunque existimant Despoticum, Oeconomicum, Regale idem esse non bene dicunt manifestè. In ista quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur de suppositio. In secundo de diversis speciebus principatuum. In tertio de quæsito principali, et quomodo differunt.

Primus articulus.

Primum notabile.

Quantum ad primum articulum est videndum, utrum principatus est necessarius in communicatione. Et est sciendum, quòd isti termini princeps et principatus, subditus et subjectio, sunt de prædicamento ad aliquid, igitur per se invicem definiuntur. Unde principatus est potentia naturalis hominis, vel habitus acquisitus quo sit homo regere ipsos subditos, gubernando, et dirigendo in finem bonum. corrolarium infertur, quòd tyrannus non est princeps ad illos quibus est tyrannus.

Secundum.

Secundò notandum, quod duplex principatus, scz: naturalis, et de jure, et isti tanguntur

Duplex principatus. tanguntur in descriptione. Primus tangitur naturalis, cum dicitur potentia naturalis. Secundus, quando dicitur habitus, &c.

Tertium. Subjectio. Tertiò sciendum est, quòd subjectio sic definitur, est naturalis potentia hominis, vel habitus acquisitus, quo homo scit se habere ad suum superiorem, inclinans ipsum ad se faciliter regulandum per ipsum. Corollarium, quòd est dare principem à natura, et etiam servum à natura; et hoc est Philos. 1. hujus; qui potest mente providere princeps est à natura, et qui non, servus est.

Quartum. Quatuor conditiones principantis. Quarto modo sciendum, quòd quatuor sunt conditiones principantis. Prima est præcipere suis subditis. Secunda est præmiare bene meritos, seu benefactores, et sic alios allicit. Tertia est punire malefactores, ut timeant alii. Quarta est aliis honore præesse, secundum quod sit honorabilis homo. Ex istis patet quòd talis princeps debet esse virtuosus et moralis, patet quia debet aliis honore præesse. Istæ proprietates patent in hoc versu. Præcipit, et præmiat, punit, honore subest. Consimiliter ad subjectionem quatuor conditiones requiruntur. Prima est obedire. Secunda est separare. Tertia est timere contra punitionem. Quarta est quòd debet honorem suo superiori impendere.

Quintum. communicatio humana. Quintò notandum est, quòd communicatio humana est hominum similiter viventium, et similiter habitantium societas, ut indigentiæ eorum releventur.

Sextum. Sextò sciendum, quòd cum quæritur utrum est necessarius &c. ibi non capitur necessarium simpliciter, sed conditionaliter pro illo sine quo res esse non potest bene.

Conclusio responsiva. Quantum ad istum articulum ponitur conclusio responsalis in humana communicatione est necessarius principatus, probatur. illud est necessarium sine quo non potest politia diu permanere, sed principatus est hujusmodi, igitur &c. consequentia patet, et major ex, quod nominis necessarii. Et minor probatur, quia videmus quòd multi sunt unum et idem appetentes, et si nunc non essent principes ad judicandum voluntates necessarias varias, immediatè fierent rapinæ, furta &c. Secundò probatur, in humana communicatione necessaria est justitia. igitur &c. patet consequentia, quia principes sunt ad quos spectat justitiam exercere. Et antecedens probatur per Philosophum 8. Ethicorum, qui dicit impossibile est homines habere perfectam amicitiam, id est difficile, ubi pro difficili impossibile exponitur.

Tertiò arguitur; quia nisi sic, sequeretur quòd in humana communicatione justitia distributiva non requireretur. consequens est falsum, ut notum est, & probatur consequentia, quia si homines essent æquales qua ratione unus homo distribueret bona, ita & alius, patet quòd illud sequeretur.

Quartò, nisi sic, sequeretur quòd pax politiæ & communitas periret: consequens est falsum, & patet consequentia, quia si homines essent æquales, fierent intersectiones. Item sicut est in natura, item est in humana communicatione. sed in natura est unum principans, ergo &c. patet consequentia, & major à sufficienti similitudine. Et minor patet, quia in naturali principatu est deus princeps, scil. prima causa, ita Jovem esse deorum principem posuerunt antiqui, ut Poëtæ finxerunt. tertiò, patet per Negromanticos ponentes principatum etiam inter diabolos qui habent principem. quartò patet, etiam inter angelos & fidera est principatus: patet etiam per creaturas, quia omnia facta sunt propter hominem. Unde cuncta timent hominem, quia præsidet ille creatis,

ornatis. Patet etiam de avibus, de brutis animalibus, etiam de membris & partibus animalis.

Quantum ad secundum articulum. Est videndum de speciebus principatuum in generali. Et sciendum est, quòd omnis humana communicatio ordinatur ad aliquos actus. Ista suppositio patet in libris. *Secundus articulus.*

Secundò sciendum est, quod sicut habetur in textu, duplices sunt actus humani, quidam sunt diurnales & quotidiani, ut comedere, bibere. alii non sunt diurnales. *Primum notabile.* *Secundum.* *Duplices actus humani.*

Tertiò sciendum est, quòd omnis communicatio est diurnalis, vel non. Si sic, vocatur domestica, & illa continet tres communicationes. Prima est viri et mulieris, et illa est naturalis, et est principatus nuptialis. Secunda communicatio vel principatus est domini ad servum, et vocatur principatus despoticus. Tertia communitas est solummodò ad perfectam rem patris ad filium, et vocatur principatus paternus. Et sic sunt tres principatus. Ex his sequitur, quòd in qualibet domo perfecta requiruntur quatuor personæ, vel tres communicationes prædictæ, scilicet pater, mater, filius, et servus. *Tertium.*

Sed tunc dubitatur, quis videtur quòd sit unus principatus maternus, quia habet etiam participare filiis. *Dubitatio.*

Secundo sic, quia multa sunt collegia & domus, ubi non sunt illæ quatuor personæ. Ad primum respondetur, quòd principatus maternus reducitur ad principatum paternum. Unde principatus bonæ mulieris debet aliis principari. & si sit principatus filialis, reducitur ad principatum paternum. Ad secundum respondetur quòd tales domus sic non sunt perfectæ domus. *Responsio.*

Quartò notandum, quòd si humana communicatio non sit diurnalis sed civilis, hoc est iterum dupliciter: vel principans intendit bonum principaliter, scilicet præferens bonum commune, vel è contrà. Si primo modo, hoc est tripliciter, vel est unus solùm principans, & ille principatus dicitur Regalis, non subexistens legibus. Alia est communicatio, ubi pauci principantur, sed tamen virtuosi, & vocatur principatus Aristocraticus. Tertia est ubi multi et plures principantur, sed semper intendunt bonum commune, & vocatur principatus Timocraticus. *Quartum notabile.*

Quintò notandum, quòd si in humana communicatione quotidiana principans præferret bonum proprium communi, ibi sunt tres malæ communicationes. Prima est quando scil. unus principans præfert bonum privatum communi, et est malus, et vocatur principatus Tyrannicus. alia est ubi pauci principantur, sed sunt mali eodem modo, et vocatur principatus Oligarchicus. Tertia est, ubi multi principantur, sed omnes sunt mali, et vocatur principatus Democraticus. Ex istis patet, quòd novem sunt species principatuum in speciali, primi tres domum constituunt, & sunt boni: & tres secundi sunt boni; & tres ultimi sunt simpliciter mali. Et hæc de secundo Articulo. *Quintum notabile.* *De speciebus principatuum.*

Quantum ad tertium articulum. Est videndum de distinctione principatuum specifica. Et est sciendum, quòd principalissima distinctio quæ potest reperiri, potest ex quinque attendi, scilicet, ex parte finis, quia ad diversos fines ordinantur. Secundò ex parte illorum quæ attribuuntur principi, ut sunt quatuor dicta in primo articulo. Tertiò ex natura suppositorum, secundum quod supposita sunt nobiliora. Quartò ex diverso modo obligationis. Quintò ex parte *Tertius articulus.* *Primum notabile.*

et modo se habendi, quia ibi oportet principem alio modo se habere, quàm subditum.

Secundum notabile. Secundò notandum est, et supponendum, quòd principatus domesticus, et principatus civilis ordinantur ad diversos fines, ut relatum est.

Tertium notabile. Tertiò supponendum est, quòd aliter se habet princeps in principatu nuptiali, quàm in principatu paterno, vel despotico. Istis notatis ponuntur tres propositiones.

Prima propositio. Prima propositio: Principatus domesticus, & principatus civilis sunt specie distincti: patet, quia isti principatus sunt specie distincti, qui ordinantur ad diversos fines, sed isti principatus sunt hujusmodi. igitur &c. patet consequentia, & major patet, quia ex hoc distinguuntur scientiæ, & aliæ res. Et minor patet, ex eodem dicto prius in notabili, quia in civili principatu principans potest remanere.

Secunda. Secunda propositio: Principatus despotici et nuptiales distinguuntur specie. probatur, illa distinguuntur specie quorum finis est diversus, sed sic est de istis. igitur &c. patet consequentia, & major, quia principatus nuptialis ordinatur ad prolis propagationem, et despoticus ad providendum de necessariis domui, ut de nutrimento. Sed minor patet ex dictis prius in secundo articulo.

Tertia. Tertia propositio: Principatus civiles differunt specie, probatur comparando bonos principantis ad tres ultimos malos: differunt specie, patet. Sed comparando bonos ad invicem differunt specie; ergo &c. patet consequentia, quia illi boni principatus differunt ex parte finis. igitur &c. patet consequentia, et major nota est ex dictis. Et minor probatur inductivè. Eodem modo diceretur de tribus malis, quòd differant specie inductivè.

Conclusio responsiva. His dictis, sit conclusio responsalis, quòd necessarii sunt principatus specie distincti in communicatione humana. Ista conclusio satis probata est quoad utramque partem, et ex dictis.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes. Ad primam dicitur, quando dicitur contra suppositum, possibile est ipsos viciosos &c. conceditur antecedens. Sed negatur consequentia, quia licet pro aliquo tempore possunt esse amici, tamen propter varias voluntates non est possibile diu stare hoc.

Ad secundam dicitur quòd illa non est necessaria, &c. negetur antecedens saltem de justitia distributiva, non est possibile quòd ista justitia diu maneat.

Ad tertiam negatur minor, saltem de principantibus bonis.

Ad quartam, quæ probat quod non differunt specie, conceditur major, sed negetur minor, quia differunt ex parte finis, & non ex parte suppositorum.

Ad quintam, quando dicitur principatus &c. Respondetur, quod distinguitur ratione; licet idem posse esse principans, hoc tamen non est secundum eandem rationem, sed ordinantur ad diversos fines.

Ad sextam, quando dicitur hoc maxime &c. conceditur consequentia, et quando dicitur, melius regitur à pluribus &c. dicitur quòd secundum veritatem sedendo singula singulis non est possibile quod unus solus principetur, nisi habeat sub se principes alios, prepositos, & ballivos, et sic de singulis.

Ad septimum, conceditur major, sicut antecedens, sed negetur consequentia,

quia

quia unus homo est albus, et alter est niger; & cum albedo et nigredo differant specie, non oportet quod homo differat ab alio specie.

QUÆSTIO III.

De Institutione Civitatum.

QUæritur tertiò. Utrum civitas sit à natura. Et arguitur quòd non, nullus effectus voluntarius est à natura, sed omnis civitas est effectus voluntarius. igitur &c. patet consequentia. major est nota, quia voluntarium, & naturale distinguuntur. Et minor probatur, quia partes civitatis ut vicus & domus sunt à voluntate. Secundò, patet quia quælibet civitas constituta est à Deo, et ab hominibus.

Secundò arguitur; si sic, sequeretur quòd civitas numquam aliter, et aliter se haberet: consequens est falsum, quia aliqua est pacifica, & aliqua discors. Et probatur consequentia, per Philosophum 2. Ethicorum dicentem, quòd nullum natura existentium aliter assuescit.

Tertiò sic, nullum artificiale est naturale, sed civitas est artificialis. ergo &c. patet consequentia, et major est nota, quia artificiale et naturale distinguuntur. Et minor probatur, quia multi principes civitates ædificaverunt, ut patet de Roma quam Romulus ædificavit. Etiam probatur, quia sicut habetur in multis historiis, quòd multi expectabant tempus & horam quibus possent ædificare. igitur &c.

Quartò sic, nam si sic, sequeretur quòd civitates semper fuissent eædem. consequens est falsum, & probatur consequentia, quia species sunt perpetuæ. Et patet falsitas consequentis, quia quondam non fuerunt civitates, quia homines in campis dormiebant.

Quintò sic, civitas bona & bene recta est regulanda à ratione, & non à natura: igitur &c. patet consequentia, quia omnis effectus naturalis sic debet determinari à natura. Et antecedens probatur, quoniam secundum naturam omnia sunt communia, & si civitas gubernaretur à natura, tunc omnia in civitate essent communia.

Sextò sic, homo non est animal civile naturaliter, igitur &c. probatur consequentia, quia civitas non dicitur à natura, nisi quia partes ejus sunt à natura. Et antecedens probatur, quia esse animal civile non competit omni animali, igitur &c. patet consequentia, quia illa sunt naturalia quæ competunt omnibus hominibus ejusdem speciei. Et antecedens tamen patet de multis bonis hominibus qui sunt heremitæ, & contemplativi.

In oppositum est de mente Philosophi primo hujus, capitulo primo. Et arguitur sic, *In oppositum.* Partes civitatum integrantes sunt naturales. ergo &c. patet consequentia, quia totum non est nisi suæ partes. In ista quæstione non erunt, nisi tres articuli. In primo ponentur notabilia, In secundo conclusiones. In tertio dubia circa materiam.

Quantum ad primum articulum notandum est, quòd civitas accipitur duobus *Primus articulus.*

Primum notabile.

Civitas dupliciter capitur.

modis. Primo modo pro ædificiis & vicis compositis ex lignis & lapidibus; sicut diceremus de magna constructura, quæ est civitas; illo modo capitur impropriè, & non hic. alio modo capitur pro multitudine hominum habitantium in talibus vicis & ædificiis. & isto modo capitur ab Augustino in 5. de Civitate Dei dicente. Civitas est concors hominum multitudo, & ab Isidoro, est hominum multitudo vinculo societatis adunata. Ex isto corollario sequitur quòd ad civitatem requiritur concordia. Secundò sequitur, quod Tyrannis non est civitas. Tertiò sequitur, quòd quilibet congregatio hominum sufficiens ad vitæ necessaria, & ad bene vivere, regulata certis legibus, uni principi subdita, est civitas. Et dicitur notanter [vitæ necessaria] quia si non esset sufficiens ad reddendum necessitates non esset civitas.

Secundum notabile.

Secundò notandum quod quando quæritur utrùm civitas &c. Hoc est quærere utrùm homo appetitu naturali inclinetur ad communicationem civilem.

Tertium.

Tertiò notandum quod ibi li [a] dicit circumstantiam causæ efficientis.

Quartum Natura capitur multipliciter.

Quartò notandum, quod natura multis modis capitur. Primo modo accipitur pro materia. Secundo modo pro forma. Tertio modo pro appetitu sive inclinatione. Quarto modo pro fine sive pro operatione rei, & sic dicimus quod natura hominis est generare sibi simile. Et dicitur quod hic accipitur tertio modo.

Quintum. Tripliciter aliquid dicitur à natura.

Quintò notandum est, quod aliquid dicitur à natura tripliciter. Primo modo à materia. Secundo modo à forma non cognoscente, ut quia ejus forma non cognoscens est natura. Tertio modo aliquid est naturale prout naturale sen natura distinguitur contra violentum. Et sic capitur in proposito.

Sextum.

Sexto notandum est quod aliqua sunt à natura initiativè, & completivè, seu patet de plantis. Secundo modo aliquæ sunt ab arte initiativè, & à natura completivè, ut blada. Tertio modo ab arte completivè, & à natura initiativè, ut patet de vino, & pane. Ex istis sequitur, quod quando quæritur, utrùm civitas sit à natura, potest intelligi tripliciter, scilicet initiativè & completivè, à natura. Secundo à natura initiativè, & ab arte completivè. Tertiò, ab arte initiativè, & à natura completivè. Quantum ad secundum articulum ponuntur conclusiones.

Secundus articulus.

Prima conclusio.

Prima conclusio, quædam sunt civitati communia & necessaria, quædam sunt voluntariè, & quædam artificialiter, & quædam ex electione. probatur. Leges positivæ, & ædificia, & matrimonia sunt civitati necessaria, & leges positivæ sunt voluntariè, ædificationes artificialiter, matrimonia ex electione. igitur &c. Patet consequentia. major est nota, quia sine illis non possunt civitates permanere. Et patet ex dictis, & minor satis nota est.

Secunda.

Secunda conclusio, quod homo indiget naturaliter humana communicatione. probatur. homo non potest venire sine illa ad suum esse completum, ergo &c. Patet ex duplici radice hominis, Primò, ex ejus imperfectione, quia homo natus non potest se nutrire. Secundo, ex ejus naditate, quia homo solus nudus nascitur &c. Tertiò, ex nutrimenti indigentia. Quartò, ex hominis ignorantia.

Tertia.

Tertia conclusio. homo naturalem impetum, & naturalem inclinationem habet ad humanam communicationem. probatur primò. homo naturaliter indiget humana communicatione, ergo &c. Secundò probatur, homo naturaliter inclinatur ad juvandum alterum; ergo &c. Patet consequentia; & Antecedens probatur, quia desiderium tale naturale est omnibus. 3. Oeconomicæ. Tertiò probatur, homo naturaliter inclinatur ad illud quod est sibi optimum, & perfectissimum;

cissimum: sed tale est civilis communicatio. igitur &c. Consequentia patet. & major & minor probatur, quia per talem communicationem homo acquirit amplas virtutes; igitur felicitatem. Quarto probatur. illud naturaliter appetit homo, quod est sibi proprium. sed civilis communicatio est proprium hominis, igitur &c. Patet consequentia. major est nota, & minor probatur; quia homo naturaliter est animal civile.

Quarta. Quarta conclusio, & responsiva est, quod civitas est à natura. id est communicatio humana sive concors communicatio est à naturali inclinatione ad talem communicationem. probatur conclusio. quia homo habet naturalem inclinationem. ergo. &c. probatur ex multis dictis.

Quinta. Quinta conclusio. licet civitas sit à natura initiativè, tamen ab arte & electione est completivè. probatur prima pars, quia homines sic habent inclinativè ad civitatem. Et patet secunda pars quia ab arte est completa & electione, igitur.

Tertium dubium. Quantum ad tertium articulum, sunt movenda dubia. Primum est utrùm homo habet naturalem appetitum ad illud quod est sibi bonum & optimum. Secundo utrùm communicatio civilis sit naturalissima. Tertium dubium, utrum humana communicatio sit gratia boni instituta. Quartum dubium, utrùm communicatio maris & femellæ in domo sit naturalis. Primum est, utrum homo &c. Arguitur primo quod non. quia homo habet naturalem inclinationem ad passiones, delectationes, & voluptates carnales. ergo &c. Patet consequentia & Antecedens est Philosophi primo Ethicorum. multi quidem omnino bestiales esse videntur, vitam pecudum eligentes. Secundò arguitur per illud quod habetur Genesis cap. 9. sensus, & cogitationes hominis ab adolescentia, pronæ sunt ad malum.

Primum dubium. Arguitur.

In oppositum. Oppositum primo Ethicorum Arguitur, omnia bona appetunt. igitur &c. Patet consequentia ex terminis. Et antecedens est philosophi in hujus & etiam patet per rationem tertiam ante oppositum. Pro isto dubio ponentur notabilia, deinde conclusiones.

Primum notabile. Primò sciendum, quod appetitus quo quis appetit non differt ab appetente. Probatur conclusio, quia appetitus materiæ quo appetit formam, est ipsa materia. igitur &c.

Quid appetitus. Secundo notandum est, quod duplex est appetitus; quidam est naturalis, quod fit sine cognitione prævia ipsius appetentis particulariter. Alius est appetitus animalis, quod fit cum cognitione ab anima. Et ideo dicitur ab anima animalis appetitus.

Secundum. Duplex appetitus.

Tertium. Differentia appetitus. Tertiò notandum est, quod differentia est inter appetitum naturalem, & animalem. nam naturalis non dirigit nisi semper in bonum, quia dirigitur ab agente infallibili. Sed appetitus animalis aliquando fertur in apparens bonum, quia non semper dirigitur ab agente infallibili, ut quando homo se interficit. Quarto notandum est, quòd appetitus animalis est duplex, quidam est sensualis, & est ille qui sequitur judicium sensûs. Et alius est intellectualis, qui sequitur judicium intellectus.

Quartum. Appetitus animalis duplex.

Quintum. Quintò notandum est, quod in homine virtuoso appetitus animalis sensualis sine strepitu obedit appetitui intellectuali, patet per Philosophum. Primo Ethicorum, qui dicit quòd *omnia obediunt rationi in virtuoso*, & è contra est de vitioso homine, in quo est quædam rebellio.

Sextum. Sexto notandum est quòd homo simpliciter dicendus est talis qualis est secundum partem intellectualem. Si secundum sensum, bestialis dicitur; si verò intellectum, homo; quia ratio ad optima deprecatur. Deinde ponuntur aliquæ propositiones.

Prima propositio. Prima propositio est ista, Appetitu naturali semper appetit homo quod est sibi bonum & optimum; probatur, quia appetitus naturalis nunquam fertur nisi in verum bonum, quia dirigitur ab agente infallibili. Et quo sequitur dictum Aristotelis. Primo Methaphysicæ, omnes scire desiderant.

Secunda. Secunda propositio, Homo non semper appetitu sensuali appetit quod est sibi bonum simpliciter. probatur de appetitu sensuali hominis vitioli, ut dictum est.

Tertia. Tertia propositio, Homo sensuali appetitu appetit illud quod est sibi bonum verè vel apparenter. Probatur, quia appetitus non fertur nisi in verum bonum, vel apparens.

Quarta. Quarta propositio, Homo appetitu intellectuali sibi dimisso appetit semper illud quod est sibi bonum non solum apparenter, sed verè. Probatur auctoritate Philosophi, quia semper ratio ad optima deprecatur. Et dicitur notanter, [sibi dimisso] quia nisi sic, non esset verum.

Quinta. Quinta propositio. Homo naturalem appetitum habet ad illud quod est sibi optimum non solum apparenter, sed verè; probatur semper ex dictis de intellectuali appetitu.

Ad rationes dubii. Ad rationes. ad primam quando dicitur [homo &c,] conceditur bene de homine vitioso, & appetitu animali. Et ad illud Genes. dicitur, quòd illud est verum quoad partem intellectualem subjectam sensualitati, sive sensui. alias &c. hæc de isto dubio.

Secundum dubium. Utrum civilis communicatio sit naturalissima.

Secundum dubium Arguitur. Et arguitur quòd non conjugalis communicatio est communior. ergo &c. Patet consequentia, & antecedens est Philosophi primo hujus, homo est natura animal conjugale, magis quàm politicum.

In oppositum. Oppositum arguitur inter omnes communitates naturales humanas, communitatio civilis est naturalissima; igitur &c. Patet consequentia, quia ideo dicit Philosophus secundo de Anima quòd naturalissimum operum est generare sibi simile. Et Antecedens est Philosophi, communicatio civilis complectitur materiam omnium aliarum. Pro intellectu istius est notandum quòd aliquid potest dici naturalius alio dupliciter. Uno modo quia magis necessarium est ad esse & permanere; & illo modo nutrire est naturalius quàm generare. Secundo modo quia est magis perfectum secundum naturam; & isto modo capitur à Philosopho, Secundo de anima ubi dicit [naturalissimum operum &c.

Primum notabile.

Duplicitur unum est alio naturalius.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd illa consequentia non valet: hoc est isto magis necessarium quoad esse, ergo est perfectius, & nobilius. patet, gustus est magis necessarius ad esse quàm visus, non tamen nobilior.

Prima propositio. Prima propositio, Capiendo primo modo naturalissimum; civilis communicatio non est naturalissima. patet, quoniam communicatio conjugalis est magis necessaria quoad esse, & ideo dicit Philosophus, quòd prima communicatio quæ est in domo est conjugalis.

Secunda. Secunda propositio. Capiendo naturalissimum secundo modo, communicatio civilis inter omnes alias est naturalissima, probatur per rationem post oppositum;

tum, quia est finis omnium aliarum, & aliæ ordinantur ad eam, & ipsa etiam complectitur omnes alias communicationes.

Tertium dubium. Utrum omnis humana communicatio sit gratia boni instituta. Arguitur primo quod non, quia tyrannis, & communicatio Democratica & Oligarchica, ponuntur humanæ communicationes, & tamen non sunt gratia boni instituta: ergo. Major est Philosophi, & minor probatur, quia omnes illæ communicationes sunt malæ. Secundo probatur, quia omnes homines qui operantur gratia alicujus boni operantur: ergo &c. Consequentia patet, & Antecedens probatur: quia incontinens operatur secundum incontinentiam, et tamen judicat quòd malum sit cum muliere fornicari: & hoc est quod dicit Philosophus, quod continens & incontinens bene judicant quid fugiendum sit, & agendum, & non gratia boni: ergo. *Tertium Dubium.* *Arguitur.*

Oppositum est de mente Philosophi primo hujus. & hoc arguitur, quia omnes homines operantur gratia alicujus boni. igitur &c. *In Oppositum.*

Primò notandum & supponendum, quòd bonum est triplex, sc: delectabile, utile. & honestum. *Primum notabile.*

Secundo notandum est, quòd communicationes humanæ sunt multiplices, ut dictum est. Sed regnum est ubi unus solus sufficiens principatur. Sed Timocratia est, ubi mali principantur, qui non intendunt bonum commune. Sed tyrannis est communitas ubi unus solus principatur intendens bonum privatum. Oligarchia est de illis ut dictum est. *Triplex bonum.* *Secundum notabile.*

Tertiò notandum, quòd bonum in moralibus vocatur illud generaliter, quod non est dissonum rectæ rationi, & è contrà capitur malum. *Multæ conclusiones.* *Tertium notabile.*

Quartò notandum, quòd tradita quæstionis potest intelligi dupliciter: Primo, utrum sit institutum gratia boni veri. Secundò, utrum gratia veri, vel apparentis. *Quartum.*

Quintò notandum, quòd omnis appetitus dirigitur semper, & fertur ad bonum optimum verum vel apparens: ut patet inducendo in singulis appetitibus. *Quintum.*

His suppositis sit prima conclusio. Omnis communicatio est gratia alicujus veri boni existentis constituta: patet de Oligarchia. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio, omnis communicatio humana est gratia alicujus veri boni, vel apparentis constituta: intentio ista est Philosophi. Ad Rationes. Ad primum dicitur, quod est pro prima conclusione. Ad secundum dicitur, quòd quandocunque operantur continens & incontinens intendunt apparens bonum, vel existens, ut patet per secundam conclusionem. *Secunda.* *Ad rationes dubii.*

Quartum dubium: Utrum communicatio matris & fœmellæ sit naturalis. Et arguitur quòd non: communicatio matris & fœmellæ conjugalis est voluntaria: igitur &c: patet consequentia. Et antecedens patet quia nunquam fit contra voluntatem. *Quartum dubium.* *Arguitur.*

Oppositum est de intentione Philosophi in isto primo. Pro illo est notandum quod beatus Tho. respondet, [communicationem esse naturalem] potest intelligi dupliciter. Uno modo quia fit à principiis naturalibus & agentibus naturalibus circumscriptis agentibus voluntariis, tam initiativè, quam completivè. Secundo modo, quòd fit a natura initiativè, & à voluntate completivè. *In oppositum.* *Notabile.*

His suppositis sit prima conclusio. Communicatio matris & fœmellæ non est *Conclusio prima.*

est naturalis, primo modo: probatur, quia non fit à principiis naturalibus intrinsecis.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: quod talis communicatio seu conjugatio naturalis est, secundo modo. Conclusio illa patet, quia initiative est à natura, & completiv è à voluntate: quia ibi oportet esse consensum utriusque.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes quæstionis. Respondetur quod rationes non arguunt aliud, nisi quòd illa communicatio est naturalis initiativè, & completivè non; & hoc est verum.

Ad rationes quæstionis. Ratio post oppositum ex prædictis conclusionibus in secundo articulo positis patet.

QUÆSTIO IV.

De Hominum Civilitate.

Arguitur. Quæritur quarto: Utrum homo sit animal civile à natura?

Et arguitur primo quod non. homo est animal domesticum à Natura: igitur &c. Consequentia patet, quia domesticum & civile sunt differentiæ oppositæ, ut patet primo hujus. Antecedens probatur, quia communicationis domesticæ homo est pars, quia talis communicatio est naturalis. Secundo arguitur. Homo est animal civile per doctrinam: ergo &c. patet consequentia: quoniam illud quod inest alicui à natura non inest sibi per doctrinam. Antecedens patet, quia ipse habitat in civitate, & in civili communicatione, ut acquirat mores civitatis. Confirmatur antecedens authoritate Plinii dicentis: quod Dominus nihil dedit homini à natura scire rem vel facere sine doctrina.

Tertiò arguitur: homo est animal civile voluntate: igitur patet consequentia, quoniam voluntarium & naturale distinguuntur. Et Antecedens apparet, quia in voluntate hominis est quòd ipse sit de civili communicatione, vel non.

Quarto arguitur, si homo esset animal civile à natura, sequeretur quòd homo non posset se separare à civili communicatione: Consequens est falsum, ut patet de multis viris justis, ut patet de beato Johanne Baptista in cujus hymno dicitur: Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti. Et patet consequentia, quia homo non potest facere contra illud quod inest sibi à natura: ut dicitur tertio Ethicorum: nullum existentium natura contingit aliter affectari.

Quinto arguitur: possibile est hominem esse incivilem: igitur patet consequentia: & antecedens probatur. Nam dicit Philosophus primo hujus, quòd homo sit incivilis propter punitionem, puerilitatem, vel per se, vel propter insufficientiam, & talis est Deus, aut bestia quodammodo.

In oppositum. In oppositum arguitur per Philosophum in isto primo, qui dicit quòd homo est civilis naturaliter. Et potest sic probari: quia homo habet naturalem impetum ad communicationem & socialitatem: igitur &c. Consequentia patet ex terminis. Antecedens probatur ex præcedenti quæstione. In signum hujus natura dedit plus hominibus quàm animalibus, sermonem.

In ista Quæstione erunt tres Articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo

secundo conclusiones. In tertio movebuntur dubia circa materiam.

Quantum ad primum notandum: quòd hæc tria nomina, sociale, gregale, civile sic se habent, quòd sociale ad alia duo nomina est superius. Unde omne animal perfectum est sociale, & non è contrà: quia diligit societatem suæ speciei; cum quæ dam est amicitia naturalis inter illa quæ sunt ejusdem speciei. Gregale convenit animalibus incedentibus: ut patet de gruibus, ovibus, &c. Civile solùm convenit hominibus, & sit gratia alicujus utilitatis & virtutis. *Primus articulus. Primum notabile. Sociale, gregale, civile.*

Secundò notandum quod illæ quatuor differentiæ, domesticum, campestre, silvestre, aquaticum, indifferenter competunt plantis & bestiis, & una in aliam transit. Ex quo sequitur quòd illæ differentiæ non sunt essentiales. *Secundum notabile. Domesticum campestre, silvestre, aquaticum.*

Tertiò sciendum, quòd aliquid potest inesse seu duci naturale dupliciter. Uno modo inseparabile proprium alicujus speciei, ut esse risibile homini. Alio modo minùs propriè pro illo quod inseparabiliter convenit alicui speciei: sed tamen non cuilibet individuo illius speciei: sed solum supposito perfecto, non orbato, nec à natura sauciato competit; ut habere duos oculos, & generare sibi simile. *Tertium. Dupliciter dicitur naturale.*

Quartò sciendum est, quòd amicitia inest homini à natura initiativè, sic sc: quòd homo habet naturalem impetum ad amicitiam: immò dicit *Tull. Credo quod amicitia magis inest homini à natura, quam ab electione.* *Quartum.*

Quintò sciendum est, quòd mediocres mores insunt hominibus initiativè: illa est de intentione Philosophi 6. Ethicorum dicentis: omnibus quidem videntur similes mores inexistere à natura: quidam temperati, morales &c. *Quintum.*

Sextò sciendum est, quòd sermo est inditus homini à natura, propter aliquem finem quem non potest exequi sine communicatione. patet. quia homini datus est sermo, propter liberaliter communicandum aliis, ut puta, fiant eorum judicia. *Sextum.*

Septimo sciendum, quòd titulus Quæstionis dupliciter potest intelligi: uno modo initiativè scil. sine alio præsuppositò: alio modo initiativè & completivè. *Septimum.*

Quantum ad secundum sit prima conclusio, sumendo civile esse à natura primo modo, homo non est animal civile, probatur, quia esse civile non competit inseparabiliter cuilibet homini semper. igitur. patet consequentia per notabile: Antecedens patet de heremitis, & Sanctis. *Secundus articulus. Prima conclusio.*

Secunda conclusio: Civile esse est à natura: probatur conclusio: quia etiam venit cuilibet homini perfecto non in naturalibus sauciato, nec ultra naturam elevato: igitur. patet consequentia per notabile. Antecedens apparet, quia omnis tales habens conditiones, appetit communicationem. *Secunda.*

Secundo sic: Multa sunt quæ insunt homini à natura, ut posset esse in communicatione: igitur. patet consequentia. Et Antecedens apparet, quia amicitia & sermo insunt homini ut sit civilis.

Tertia conclusio: licet homo sit civilis à natura, non tamen à natura initiativè, et cõpletivè: sed solũ initiativè: patet ista conclusio quoad primã partẽ ex dictis. Et pro secunda parte patet: quia homo fit à voluntate & electione in communicatione civili. Et pro tertia parte patet: quia homo semper appetit naturaliter societati & communicationi inesse propter amicitiam & sermonem: igitur &c. *Tertia.*

Quantum ad tertium articulum sunt movendæ dubitationes. Et sunt tres: prima, utrum soli homini inest loquela. Secunda, utrum loquela inest *Tertius articulus.*

homini à natura? tertia, utrum homo sit animal magis gregale, vel civile quam aliquod aliud.

Primum dubiū. Arguitur. Et ad primum arguitur quod non. Nam animalibus brutis ineſt loquela? igitur &c. Conſequentia patet, & Antecedens probatur, primò, quia multæ aves videntur prænoſticare ſuis vocibus futura: ſecundò per Plin. in lib. de mirabilibus mundi, ubi loquitur de quadam cornice quæ loquuta fuerat: tertiò videmus de pica, monedula, & ſic de aliis.

In Oppoſitum. Oppoſitum arguitur per Philoſophum in iſto primo, & per illud quod notabatur in una Quæſtione.

Primum notabile. Loquela dupliciter capitur. Pro evidentia iſtius notandum quòd loquela capitur dupliciter, uno modo communiter pro quacunque voce ſive humana, ſive ſimili voce humanæ; ſecundo modo propriè pro voce humana ſolùm.

Secundum quid requiritur ad ſermonem. Secundò ſciendum eſt quòd ad hoc quòd aliqua vox debeat dici ſermo, requiritur quod exprimat intentionem mentis. Unde ſecundum Plat. Ad hoc nobis datus eſt ſermo, ut mutuo fiant nobis hominum judicia nota, ut dicit.

Tertium. Tertiò ſupponitur, quòd nulli animali conveniat per voces exprimere mentis conceptum, niſi homini propriè. Iſtis præmiſſis ponuntur duæ propoſitiones ad quæſitum. Prima eſt, ſumendo loquelam primo modo largè, loquela non ineſt ſolis hominibus à natura. Patet, quia etiam avibus brutis ineſt, ut patet de philomela & pica. Secunda propoſitio, ſumendo loquelam ſecundo modo, ſolùm competit hominibus exprimere per voces mentis conceptum: igitur, patet conſequentia, & antecedens per unam ſuppoſitionem, & hoc de primo dubio.

Prima propoſitio. Secunda.

Secundum dubium, arguitur. Secundum dubium. Arguitur primo quod non. Loquela ineſt homini à doctrina & conſuetudine: igitur patet conſequentia. Et Antecedens probatur quoniam voces addiſcimus ad formandum, patet per experientiam.

Secundò arguitur ſic, voces imponuntur ad voluntariè ſignificandū, ut Logici dicunt: igitur, patet Conſequentia, & Antecedens probatur, quoniam voces ſignificant ad placitum.

Tertiò arguitur, ſi ſic, ſequeretur quod omnes eſſent unius idiomatis: conſequens eſt falſum, ut patet: & patet conſequentia, quia illud quod ineſt individuo unius ſpeciei à natura, & cuilibet illius ſpeciei.

Arguitur quarto, ſi ſic, maximè hoc eſſet ad exprimendum mentis conceptum; ſed non propter hoc: ergo &c. Conſequentia patet & major eſt Platonis & Philoſophi ubi ſuprà, ad hoc datus eſt ſermo &c. minor apparet de monialibus qui exprimunt mentis conceptum per ſigna & motus.

In oppoſitum. Primum notabile. Exprimere mentis conceptum. Secundum notabile. Tertium. Quartum. In Oppoſitum Arguitur. Humana communicatio ineſt homini propter ſermonem: Ergò &c. patet conſequentia. Et Antecedens eſt prius declaratum.

Pro intellectu iſtius ſciendum eſt quòd exprimere mentis conceptum poteſt dupliciter intelligi: uno modo communiter, & ſic per verba ſit et per ſignum: ſecundo modo propriè, & ſic ſit ſolum per verba, voces, & ſermones.

Secundo notandum, eſt quòd refert nullum quærere, utrum loquela inſit homini à natura: vel utrum aliter loqui inſit à natura.

Tertio notandum quod loquelam ineſſe homini à natura poteſt intelligi dupliciter. Uno modo initiativè ſolum. Alio modo initiativè & completivè.

Quarto ſupponitur, quod ſicut veriſimile eſt quod ſi pueri parvi caperentur, &

in

in loco ponerentur, in quo homines non loquerentur, illi pueri loquerentur, et unus alium non intelligeret, et novum idioma facerent. Patet per Plinium, et Tho.

Quintò notandum est, quod loquela ordinatur ad humanam communicationem tanquam ad finem. Illa suppositio patet, et est de intentione Philosophi dicentis, quòd lingua nobis datur propter duo: scil. propter necessitatem in gustu, et propter utilitatem quoad exprimere mentis conceptum. *Quintum. Finis loquelæ.*

His præmissis pro illo dubio ponuntur duæ propositiones.

Prima propositio est. Loquela propria inest homini à natura: igitur &c. Patet consequentia, quia finis inest homini à natura: ergo. probatur, finis in quem loquela ordinatur, inest homini à natura: igitur &c. & ordinatis in finem: igitur &c. quia si finis inest à natura, & effectus. Antecedens patet de communicatione. Secundo, organa requisita homini ad loquelam insunt homini à natura: igitur &c. Patet consequentia. Et antecedens patet, quia illa duo insunt homini à natura. *Prima Propositio.*

Secunda propositio, taliter loqui vel taliter in idiomate tali non inest homini à natura. probatur, quia si sic, tunc omnes homines uno idiomate loquerentur, consequens est falsum. Et probatur consequentia: quia quod inest à natura uni individuo alicujus speciei, inest cuilibet individuo illius speciei. Secundò apparet: quia taliter loquuntur homines per naturam & consuetudinem. *Secunda.*

Ad rationes dubii istius. *Ad rationes dubii.*

Ad primam quando dicitur, loquela inest &c. Verum est, talis loquela vel taliter loqui, licet loquela insit à natura:

Ad secundum bene arguitur, quòd taliter loqui bene inest homini à natura initiativè.

Ad tertiam respondetur eodem modo: immo potest dici quòd diversitas linguarum provenit propter peccatum perpetratum in Babilonia.

Ad quartam conceditur major, sed negatur minor. Et dicitur quod probatur de exprimente mentis conceptum impropriè.

Ad tertium dubium respondetur sine argumentis, quòd homo est naturaliter animal magis civile gregale, quàm aliquod aliud. probatur, quia natura plura requisita ad communicationem dedit homini, quam alicui alteri animali. igitur: quia natura nihil facit frustra. Et antecedens probatur, quia præ omnibus aliis animalibus dedit homini loquelam & sermonem; ut scitet, quid bonum, quid justum, quid verum, quid falsum, quid injustum; & hoc non pertinet, nisi ad animalia civilia. Ex istis infert unus expositor, quòd quacumque specie individui assignata nullum individuum ejusdem speciei potest exire limites suæ speciei, sicut homo; quia potest loqui & tacere, sicut homo, & allegat auctoritatem Primi Ethicorum, quòd homines viventes secundum voluptatem sunt bestiales: & multa alia. *Ad tertium dubium Responsio. Corollarium.*

Ad rationes respondetur, quòd omnes rationes bene arguunt, quòd homo non est animal civile à natura initiativè & completivè: sed voluntate & electione, & aliis consimilibus: sed tamen est homo animal civile initiativè solùm à natura. Et hoc est pro conclusionibus in secundo articulo positis. *Ad rationes Quæstionis.*

QUÆSTIO V.

De ſolitudine hominum & incivilitate.

QUæritur quintò. Utrum homo ſolitarius & incivilis inter omnia animalia ſit peſſimum animal?

Arguitur. Et arguitur primò quod non. homo ſolitarius & incivilis omnibus animalibus aliis debet præſidere: igitur &c. Patet conſequentia. Et antecedens probatur, quia dicit Philoſophus ſecundo Phyſicorum. nos ſumus quodammodo finis omnium.

Secundò ſic. homo ſolitarius & incivilis eſt individuum perfectioris ſpeciei, quàm aliquod aliud animal. ergo &c. Patet conſequentia. Et antecedens apparet, quia homo ſolitarius eſt homo, & humana ſpecies eſt nobilior aliis ſpeciebus.

Tertiò, illud animal eſt inter omnia optimum cui ſoli convenit inquiſitio ſummi boni: ſed ſic eſt de homine. ergo &c. patet conſequentia. Et major et minor apparent, quia homo ſolitarius eſt ratiocinativus, et per conſequens poteſt ſpeculari ſummum bonum.

Quartò ſic. homo per incivilitatem et ſolitudinem evitat multa mala quæ faceret ſi eſſet in ſocietate: igitur &c. Patet conſequentia. Et antecedens patet per experientiam.

Quintò ſic. ſolitudo et incivilitas ſunt effectus Juſtitiæ: igitur &c. patet conſequentia. & probatur, quia videmus quòd multi propter eorum delicta mittuntur ad ſolitudinem & incivilitatem, et hoc eſt per Juſtitiam.

Sextò. Multi ſunt juſti viri qui vitam ſolitariam elegerunt, igitur &c. Patet conſequentia. Et antecedens apparet de multis ſanctis heremitis, & de ſancto Johanne Baptiſta.

Septimò ſic. Homo ſeparatus à Juſtitia & lege, non eſt peſſimum animal. igitur &c. Conſequentia patet per locum à majori. Et antecedens probatur, quia ad hoc quòd homo ſit bonus non requiritur Juſtitia, ut dicit Philoſophus. Octavò, ſi omnes eſſemus amici non indigeremus Juſtitia.

In oppoſitum. Oppoſitum eſt de intentione Philoſophi, capitulo quarto, ubi dicit, quòd talis eſt beſtia.

In Quæſtione iſta erunt tres articuli. In primo videbitur de ſolitario ſilveſtri. In ſecundo de ſolitario Contemplativo. In tertio de ſolitario de quo tangitur in ſeptimo argumento.

Primus articulus. Quantum ad primum videndum eſt de homine ſolitario ſilveſtri.

Primum notabile. Ubi notandum quòd duplex eſt ſolitarius. primo modo, ut melius & facilius poſſit vitam contemplativam ducere: et tales ſunt contemplativi. Alio modo ſunt qui vitam ſolitariam ducunt, non ut melius ſpeculentur, et iſti vocantur ſolitarii ſive inciviles ſilveſtres.

Duplex eſt ſolitarius.

Secundum notabile, triplicis eſt ſolitarius. Secundò notandum quòd aliquis poteſt eſſe ſolitarius tripliciter. primo modo à patria, ſecundo modo à natura. tertio modo ab electione. A prima quia naſcitur in patria ubi non ſunt multi homines propter frigiditatem et caliditatem,

tem, et tales ſunt inciviles propter intemperiem regionis. Alii ſunt à natura inciviles, quia deficiunt in membris et organis, et tales ſunt monſtruoſi. Alii ſunt ex electione, quia licet ſint nati in partia bona, et à natura bene diſpoſita, tamen declinant ab aliis propter vitam malam, propter quam non poſſunt admitti licitè.

Tertiò notandum eſt, quòd homines ſunt in multiplici differentia. quidam ſunt qui non habent judicium rationis, ſive uſum, nec habebunt ex eo quòd ſunt ſauciati in membris naturalibus. Alii ſunt qui quanquam habent uſum rationis, et bona naturalia: ſed tamen propter ſui culpam uſum rationis perdiderunt, ut vinolenti, rixoſi. Alii ſunt qui habent uſum rationis, et habuerunt, et poſſunt uti ratione quando volunt. *Tertium notabile. Multiplex hominum differentia.*

Quartò ſciendum eſt, quòd aliquid dicitur malum dupliciter: ſcil. malum culpæ, et illud eſt ſimpliciter vitandum, & cauſa eſt, quia eſt ſemper voluntarium. aliud eſt malum pœnæ, quod non eſt ſemper voluntarium, & illud non eſt ſimpliciter malum. *Quartum notabile. Dupliciter aliquod malum.*

Quintò notandum, quòd animal poteſt dici malum tribus modis. primo modo, quia defectuoſum à natura. ſecundò, quia eſt nocivum aliis. tertiò modo, quia eſt depravatum moribus. *Quintum. tripliciter animal dicitur malum.*

His præmiſſis ponuntur propoſitiones. Prima Propoſitio. Homo ſolitarius & incivilis non habens uſum rationis propter defectum naturalium, non eſt malus moraliter, probatur, quia quicquid talis facit hoc non eſt ab electione, & voluntate, ſed ex defectu naturalium: igitur. patet conſequentia, & antecedens patet de ſe. *Prima propoſitio.*

Item homo dicitur malus moraliter qui non habet liberum arbitrium bene vel male faciendi, et ſic eſt de tali homine: igitur &c.

Secunda propoſitio. Homo incivilis et ſolitarius propter defectum naturalium ſolum non eſt peſſimum animal. Probatur, quia talis homo non eſt malus moraliter &c. *Secunda.*

Tertia Propoſitio. Homo ſolitarius et incivilis qui uſum rationis habebat, et poſtea amiſit ex culpa voluntariè eſt peſſimum animalium. probatur primò concluſio, ex malitiarum multitudine. ſecundò, ex malitiarum magnitudine. tertiò, ex malitiarum conditione. quartò, ex nocumenti illatione. Ex iſtis quatuor radicibus. Primo ex malitiarum multitudine. primo ex defectu quia caret perfectione quæ ſibi debetur, non ut homo eſt. ſecundo, ex affectu eſt malus, quia ſemper affectat majorem malitiam. tertio, eſt malus ex effectu, quia talis eſt maxime nocivus aliis; et per conſequens eſt peſſimum animalium, quia eſt injuſtitia ferens arma. ſecundo ex malitiarum magnitudine. Unde ſicut homo qui eſt elevatus ultra curſum naturæ dicitur divinus, et heroicus; ita et homo qui perdiderit uſum rationis voluntariè, eſt beſtia et diabolicus, patet ex illa Topica. *ſi oppoſitum in oppoſito, & propoſitum in propoſito.* tertiò ex mukiplici conditione, quia tali homini attribuuntur quinque prædicata imperfectibilia, ut dicitur Philoſophus, quòd talis homo eſt maledictus, inſocialis, illiberalis, ſcelerator, et belli affectator. quartò ex nocumenti illatione, quia ſemper per ſuam aſtutiam multis aliis, immo toti politiæ infert nocumentum, ut quòd eſt latro, vel raptor; et hoc voluit dicere in hoc primo. *Tertia.*

2. Quantum ad ſecundum articulum. In quo videndum eſt de ſolitario contemplativo, *Secundum articulum.*

contemplativo; Et primum solitarius contemplativus sit inter omnes alios homines pejor vel melior.

Primum notabile. Primò notandum est, quòd aliquis potest dici contemplativus solitarius dupliciter, uno modo quia est adeo abstractus, sic quòd non indiget cibis, et potibus, et vestimentis: immo talis est elevatus supra cursum naturæ, ut fuit beatus Johannes Baptista. secundo modo qui indiget cibis, potibus, et vestimentis, nihil tamen vult facere, nisi speculari, et ille non est elevatus ultra cursum naturæ.

Contemplativus solitarius dupliciter.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd ista oratio [solitarius contemplativus est melior inter omnes homines] potest intelligi dupliciter. Uno modo communiter, quòd sit omni homine melior. Secundo modo, quòd sit meliorem vitam ducens.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd licet Deus primaria intentione sit sui gratia: tamen secundaria intentione est propter nos: scilicet quatenus nobis proficiat: istud est de intentione Philosophi secundo Cœli. omne habens opus est gratia sui operis.

Quartum. Quartò supponuntur. quòd omne ens quantum natura sibi permittit appetit assimilari ipsi Deo. Ex quo sequitur primò quod homo naturaliter inclinatur ad benefaciendum aliis. secundò, ille qui ex deliberatione aliis nocet peccat contra naturam. Patet, quia facit contra judicium naturæ.

Quintum. Quintò sciendum, quòd stat aliquem esse in adulta ætate, qui nec bonus, nec malus moraliter esse dicitur. Patet de illo qui esset furiosus natus. Etiam patet de uno simplici heremita qui nullo modo intenderet aliis proficere, nec nocere.

Prima propositio. His præmissis sit prima propositio. Homo solitarius primo modo est inter omnes homines optimus. probatur, talis homo habet & ducit vitam angelicam & divinam, quæ excedit vitam humanam: igitur. Patet consequentia: quia sicut vitæ ad invicem se habent, ita talem vitam ducentes. Antecedens patet. quia talis homo dicitur heroicus & divinus.

Secunda. Secunda propositio. talis solitarius & incivilis non debet esse ita solitarius, quin quandoque aliis intersit & proficiat. Probatur ex prima suppositione, sive notabili, quia Deo debet maxime appetere assimilari, ut possit bene facere aliis, & alios docere; & nisi sic fecerit non sequitur vitam Christi.

Secundò sic, sequitur quòd vita solitaria non est felicitas. igitur &c. Consequentia patet. & antecedens apparet per Senecam dicentem. *Nullum bonum sine socio est jucunda possessio*, sive delectatio, & Arist. octavo Ethicorum, *nullus eligeret sine amicis vivere habens reliqua bona omnia.* ergo &c. Secundò, quia posse prodesse multis, & non facere est contra justitiam & charitatem: ergo talis ex recta ratione tenetur aliis benefacere. igitur: &c.

Tertia. Tertia propositio. si esset aliquis solitarius, qui ab aliis nihil peteret, vel alios non informaret propter suam ignorantiam, talis non esset bonus moraliter, neque malus: sed nec permittendus in civitate. probatur, quia ad hoc quòd sit bonus requiritur quod operetur ad alios: quia justitia est respectu alterius, & liberalitas, &c.

Quarta. Quarta propositio. quia si aliquis esset heremita vel solitarius, qui non haberet necessaria vitæ, qui non vellet laborare, immo indigeret ab aliis petere & non

& non vellet nisi speculationi vacare: talis est permittus in civitate, & est cogendus à legislatore ad laborandum. probatur primo ex Apost. qui non laborat non manducet. secundò, quia non est securus quod maneat in voluntate illa, quia potest fieri malus, & intelligitur si sit fortis & robustus.

Quinta propositio, Vita civilis est securior vita solitaria, nisi esset talis elevatus ultra cursum naturæ. patet conclusio ex dictis. *Quinta.*

Quantum ad tertium articulum. Est videndum, utrum homo seperatus à lege & justitia sit pessimum animalium. *Tertium articulum.*

Et est primo notandum, quod in proposito per justitiam intelligitur quidam habitus intellectualis, mediante quo homo inclinatur ad reddendum unicuique quod suum est. *Primum notabile quid justitia.*

Secundo notandum est quòd duplex est lex. quædam est naturalis, & est illa adquam natura inclinatur, esto quòd nullum esset præceptum circa illam, ut nemini nocere, neminẽ interficere. Alia est positiva, & est illa quæ est instituta ab hominibus, ut à Senatoribus Curiæ Imperatorum Romanorum propter communẽ bonum; & non est inconveniens quod ista lex mutetur & varietur. *Secundum quid lex.*

Tertio notandum est, quòd privatus justitia dicitur qui facit actus oppositos justitiæ, & separatus à lege qui non facit secundum legem: sed operationes oppositas. *Tertium.*

Quartò notandum, quòd in titulo quæstionis aliquid potest dici pessimum animal dupliciter, uno modo quoad naturam, alio modo quoad effectus & mores. *Quartum*

His dictis sit prima propositio. Homo seperatus à lege & justitia non est pessimum animalium quoad naturam suam, probatur, quia adhuc semper est perfectum animal inter omnia animalia. *Prima propositio*

Secunda propositio. homo seperatus à lege & justitia est pessimum animalium inter omnia, quoad effectus & operationes. probatur ex quadruplici radice: sc. quia est illiberalis, belli affectator, &c. Et etiam patet ex malitiarum multitudine, & magnitudine, prout dictum est: quia in tali natura ex actibus ad mala inclinatur. *Secundat*

Ad rationes Quæstionis. Ad primam, quando dicitur, homo incivilis secundum rectam &c. dicitur, quòd si talis sit solitarius, & contemplativus, & quodammodo communicativus aliis, talis est bonus: sed si sit solitarius propter suam malitiam, dicitur quòd talis est malus & bestialis, & pessimum animal, quia est diabolicus. *Ad rationes quæstionis.*

Ad secundam, quando dicitur homo &c. conceditur quòd est pessimum animal, non quoad naturam, sed quoad mores.

Ad tertiam quando dicitur, illud est optimum animal &c. Conceditur major. Et concluditur bene de solitario contemplativo.

Ad quartam, quando dicitur propter solitudinem multa mala & peccata &c. Dicitur quod hoc est verum de multis: sed tamen constat quòd quandoque nocet, ut dictum est.

Ad quintam, quando dicitur solitudo & incivilitas &c. Conceditur de incivilitate & solitudine, quæ ex multis unitur ex parte malitiæ. Et ulterius negatur consequentia, sed bene sequitur, quòd justitia est bona et laudanda.

Ad sextam, quando dicitur, multi sunt viri &c. Dicitur, quòd ratio bene arguit de

desolitariis speculativus elevatis ultra cursum naturæ:

Ad septimam negatur antecedens. & dicitur quòd pessimum est quoad mores & operationes, licet non quoad naturam. Et dicitur quòd Arist. loquitur de Justitia in communi; sic conceditur, sed non aliter, quia qui caret una virtute caret omnibus virtutibus.

Ratio post oppositum &c.

QUÆSTIO VI.

De servis factis à Natura.

Quæritur sextò. Utrum aliquis sit servus à natura?

Arguitur. Et arguitur primò quòd non, In aliis speciebus à specie humana non reperitur servitus à natura: igitur &c. Patet consequentia per simile, quia ratione non reperitur in aliis, nec in specie humana. Et antecedens patet per experientiam, quia non videmus quod unum individuum obligetur servire alteri ejusdem speciei servitute naturali.

Secundò sic arguitur. Si sic, sequeretur quòd cuilibet homini non orbato competeret talis servitus consequens est falsum: quia tunc nulli essent nobiles. Et probatur consequentia. quia quod convenit individuo unius speciei naturaliter, convenit omnibus, ut Isido. dicit, libro quarto Etymologiarum, quòd *Jus naturale est commune omni.*

Tertiò. Omnes homines sunt æquales in perfectione: igitur &c. Patet consequentia. quia postquam omnes homines sunt æquales, non videtur quare unus sit servus, & alius non. Et antecedens patet per Boe. de Consolatione dicentem, *omne hominum genus consimili surgit ab ortu.* Et subdit, *mortales egit æquali genere &c.* Patet consequentia. Genesis quarto. natura omnes homines genuit æquales.

Quartò sic. Nam unus homo habet voluntatem ita liberam sicut alter, & è contrà: igitur patet consequentia, quia postquam libertas est in uno sicut in alio, sequitur propositum. Et antecedens probatur. quia voluntas est ita libera quòd si non esset libera, non esset voluntas.

Quintò sic. aliqua sunt loca & regiones in quibus omnes homines sunt æquales, & nullus servus, igitur. patet consequentia, quia naturale est commune omnibus. Et antecedens probatur. de quibusdam vocatis Bragmannis, unde quidam Didimus Rex scripsit Alexandro, quod in regione sua *sunt* tranquillitas omnium personarum, & æqualitas, & nullus alteri serviebat, ac si omnes essent in statu innocentiæ.

Sextò nullum violentum est à natura, sed quælibet servitus est violenta, ergo &c. Patet consequentia. Major apparet, quia violentum & naturale distinguuntur. Minor probatur, quia servitus infert quandam coactionem & per consequens quandam violentiam. Patet, quia dicitur primo hujus, despotizare injustum est, quia violentum est.

Septimò. Nullus homo se habet ad alium sicut organum ad principale mo-

ven-

vens: igitur &c. Patet consequentia, quia sic se debet habere servus. Et antecedens patet, quia quilibet homo habet liberum arbitrium, sic quòd potest resistere non assentiendo sibi.

Octavò sic. Nulla servitus est naturalis: igitur &c. Patet consequentia. Et antecedens probatur, quia illa quæ dicuntur primo hujus, lege, hunc autem esse servum, hunc autem liberum natura non differre, propter quod despotizare injustum & violentum est.

Nonò. Nam non minus potest unus homo providere quam alter; non ergo unus est magis servus, quam alter. Consequentia patet per Philosophum: quia servus debet esse ille qui non potest mente providere. Antecedens patet quia omnes homines sunt æqualiter nobiles, & unus est ita nobilis sicut alter.

Decimò, si sequeretur, maximè esset verum de illo qui est robustus corpore, & qui non potest exequi præcepta domini: sed non ille: igitur &c. Patet consequentia per Philosophum dicentem quod robustus debet esse servus, & natura fecit corpora differentia inter servum & dominum. Et minor probatur, quia corpus ordinatur propter animam, ut dicunt morales, si ergo sit robustus & fortis corpore, sequitur quòd habet aliquid proportionabile in anima.

Undecimò arguitur. Nullus homo est servus legalis de jure, igitur &c. Consequentia patet, quoniam lex bene posita debet esse naturæ consona. Sed aliter probatur. quia si sic, maximè sequeretur quod esset ille servus qui esset devictus in bello: ut dicitur: sed hoc non, quia quidam dicunt quòd hoc injustum est.

Duodecimò sic. Omnis impotentia sive defectus est præter naturam, servitus est impotentia sive defectus: igitur &c. Major patet per Philosophum secundo Ethicorum dicentem, quòd omnis defectus est præter naturam. Et antecedens probatur: quia servus dicitur qui non habet mente providere, ut dicit Philosophus primo hujus. Et dominus ille qui potest mente providere de futuris.

Oppositum est de intentione Philosophi primo hujus, capitulo secundo, ubi dicitur, quòd aliquis est servus à natura, & etiam dominus, propter hoc natura fecit corpora divina, et multa adducit pro probatione. *In oppositum.*

In ista Quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones. In tertio dubia. Et videbitur quomodo dicta sanctorum, et dicta Philosophi possunt concordari.

Quantum ad primum articulum, Est notandum, quòd illud dicitur à natura quod nec violenter nec voluntariè est introductum: sed solum ex necessitate & inclinatione & ordinatione naturæ, sicut comburere, ardere respectu ignis. habet enim hoc ex naturali inclinatione. Ex isto sequitur corollario quòd illud quod est voluntarium à voluntate particulari, & creata, non debet dici naturale. Et dicitur notanter [à voluntate particulari] quia omne ens est naturale de voluntate universali divina. *Primus articulus.* *Primum notabile, aliquid esse à natura.*

Secundo notandum est quòd aliquid dicitur esse à natura dupliciter, uno modo quia ineſt à tota specie, scilicet cuilibet individuo speciei disposito naturaliter, & isto modo nullus est servus à natura, quia non ineſt cuilibet individuo speciei sed alio modo quia in eadem specie est quædam differentia ordinata ad legitimos fines, sicut diceremus de masculo et femella, domestico et silvestri, et inter individua ejusdem speciei. Ex hoc sequitur corollario, quando dicitur, *Secundum notabile. dupliciter aliquid dicitur esse à natura.*

verum

utrum aliquis ſit ſervus à natura, quòd debet intelligi utrum natura ordinavit aliquos in ſpecie humana aptos ad ſerviendum, et aliquos aptos ad principandum, & dominandum.

Tertium. triplex ſervitus.

Tertiò notandum eſt. quòd in generali triplex eſt ſervitus, ſc. domeſtica, & illa eſt duplex, ſc. emptitia, & locativa. alia eſt Civilis, & eſt duplex; ſcilicet tributaria, & alia operoſa. alia eſt Mechanica, & illa eſt duplex, ſcilicet corporis ad animam, alia ad hominis voluntatem: tamen de iſtis melius videbitur in ſequenti.

Quartum.

Quartò notandum eſt, quòd in propoſito quando loquimur de ſervitute & libertate, libertas capitur propriè. Et ſunt ejus duæ conditiones. prima conſiſtit in habendo poteſtatem actuum propriorum, ſc. quòd ſit compos ad illos actus, & non coactus. ſecunda conſiſtit in exercitio nobilium operationum animæ, ſcilicet in ſpeculando. Ex quo ſequitur quòd ille qui non operatur operationem animæ, ſed corporis, dicitur ſervus, & patet in ſcriptura: quia qui agit peccatum ſervus peccati eſt. ſecundo ſequitur, quòd ſervitus oppoſita libertati habet duas conditiones. prima, quòd ſit coactus ad actus proprios, & non voluntate propria: ſecunda conditio eſt, quòd non exerceat operationes nobiles animæ.

Duæ conditiones libertatis.

Quintum.

Quintò notandum eſt, quòd natura humana poteſt dupliciter conſiderari: uno modo conditionaliter, ſc. ſi unuſquiſque poteſt per ſe vivere, ſic quòd natura nullo alio indigeret, alio modo abſolutè, ſc. ſicut nunc de facto eſt. ſicut natura multis indiget, et multos habet defectus.

Sextum. de introductione ſervitutis.

Sextò notandum eſt, quòd duplex eſt radix & fundamentum, ratione cujus ſervitus fuit introducta, ſive à natura, ſive non ſcilicet propter neceſſitatem, et eſt propter juſtitiam, & propter oportunitatem. propter neceſſitatem, quia videmus per experientiam, quod multi indigent multis. propter oportunitatem, conveniens valde ſit ſive fuit, quia niſi ſic multa jurgia et diſſentiones perveniret, & ſic melius regitur politia. propter juſtitiam quia natura producit homines diſpares ingenio & ſubtilitate, & ſic de ſingulis. ergo, bonum eſt quòd ſit ſervitus.

Septimum quod organum.

Septimò notandum eſt, quòd organum poteſt ſic deſcribi, eſt illud quo aliquid operatur: ſed non niſi ſit directum ab alio dirigente. ex quo patet quod quodlibet agens particulare dicitur organum ad agens univerſale. & hoc dicit Philoſophus, quod natura ordinatè agit: ſed in quantum directa ab alio, ſcilicet a deo.

Secundum articulus.

Quantum ad ſecundum articulũ ponuntur concluſiones tres. prima concluſio eſt: conſiderando naturã primo modo, ſcilicet conditionaliter, Nullus eſt ſervus.

Prima concluſio.

probatur concluſio ſic. Natura nihil fruſtra facit: ſed natura humana ſtante illo ſtatu ſicut ibi dicebatur, non eſt neceſſe ſervitutem ponere, igitur &c. patet conſequentia, & major Tertio de Anima: minor probatur, quia ſi natura ſic eſſet diſpoſita, ſequeretur quòd nullus indigeret ſervitio alterius, & per conſequens fruſtra eſſet ſervitus, quia unuſquiſque per ſe eſſet ſufficiens. Secundo ſic, natura non eſt minus ſollicita: ſed magis de ſpecie humana, & ejus individuis, quàm de ſpeciebus brutorum, & eorum individuis, & modo poſſet, quia natura in quantum aliquid eſt nobilius, tanto magis curat, & circa ipſum tendit: ſed ſic eſt in ſpecie brutorum, quòd nullum brutorum vult alteri ſervire.

Tertiò ſic: in prima ætate nullus erat ſervus à natura: ergò ſi natura humana adhuc

adhuc esset in illa, nullus esset servus à natura: igitur &c. patet consequentia, & antecedens per omnes morales; & per Boetium. Tertiò de Consolatione. *Felix nimium prior ætas contenta fidelibus armis*. Ex isto sequitur corollariè, quòd servitus in specie humana arguit quandam imperfectionem simpliciter in ipsa. Secundo sequitur, quod loquendo simpliciter de specie humana & ejus individuis: sc. prout talia individua essent in perfectione debita, nullus est servus à natura, patet ex dictis.

Secunda conclusio. Considerando naturam humanam absolutè, scilicet secundum statum qui est modò, aliquis est servus à natura. Ista conclusio patet ex triplici fundamento prius posito in notabilibus, quia ipsa stante sicut modò est, sic est quòd homo indiget vestimentis, cibis, potibus, & sic de singulis: ergo est necessarium quòd sint servi, quia nullus omnia potest sibi imperare: ex oportunitate, quia nisi sic, fierent multa jurgia: ex justitia, quia justum est quod domini honorentur à servis. *Secunda.*

Secundo probatur à Philosopho: quæcunque sunt ex pluribus constituta, oportet quòd ibi sit aliquid principans naturaliter, & subjectum naturaliter: modò sic est, quod humana communicatio est ex pluribus constituta: igitur & cætera: patet consequentia. Et minor de se. Majorem probat Philosophus inducendo in singulis. In Harmonia apparet: quia ibi sunt concordantiæ, ut in chordis, secundum superius & inferius, ut concordent cum aliis ad invicem, & sic de singulis.

Ex istis sequitur propositum.

Tertia conclusio: Homini disparitas & inæqualitas est naturalis. Probatur quia servitus & dominatio sunt naturales, ut dictum est, igitur &c. Patet consequentia: quia illa causant inæqualitatem. Secundò apparet, quare unumquodque appetit producere sibi simile. Ex isto sequitur quod homini inæqualitas non videtur esse in specie humana, si esset in suo statu perfecto, sicut fuit in prima ætate: igitur sequitur quod inæqualitas hominum arguit quandam imperfectionem in specie humana: sicut etiam facit servitus, & hæc de secundo articulo. *Tertia.*

Quantum ad tertium articulum sunt dubitationes.

Prima: Utrùm loquendo secundum Theologicam veritatem sit concedendum aliquem esse servum à natura: *Tertius Articulus.*

Secunda: Utrum in speciebus animalium aliis à specie humana sit servitus à natura. *Primum dubium.*

Tertia: Utrum si homo permansisset in statu innocentiæ, fuissent aliqua animalia silvestria ad naturam humanam deservientia.

De primo dubio Arguitur per illud *Genesis* 9. ubi dicitur omnes homines æquales natura genuit. Et etiam per *Ambrosium*: natura non fecit servum, sed insipientia: nec manumissio fecit liberum, sed disciplina. *Arguitur.*

Oppositò arguitur, quoniam secundum Theologicam veritatem ponenda est servitus: vel ergò illa est à natura, vel præter naturam: sed non præter naturam: igitur &c. patet consequentia, & major nota est: quia in regno Dei est servitus: igitur &c. Minor apparet, quia si sic, servitus ipsa esset violenta. *In oppositum.* *Primum notabile de introductione servitutis.*

Pro cujus intellectu est notandum, quòd secundum intentionem Philosophi, & aliorum Philosophorum, servitus est introducta propter defectum quo dominus

nus abundabat, qui scit bene disponere res suas. Et illa suppositio est de intentione Philosophi.

Secundum, de defectibus hominis. Secundo notandum est, quod secundum intentionem Philosophi sunt duplices defectus in homine: quidam est ex parte corporis, ut defectus in membris, & alius est defectus ex parte animæ, ut hebetudo, inhabilitas animæ, ignorantia.

Tertium. Tertio notandum est, quòd sicut dicunt Philosophi, defectus humani inexistentes animæ insunt animali ex complexione, & à nativitate. Et hoc dicit Philosophus, qd secundum defectus corporis reperitur defectus ex parte animæ.

Istis notatis, sequitur primò quòd defectus & indigentiæ insunt â natura, saltem animæ. Item sequitur secundo, quod servitus est à natura: Patet, quia causa quare servitus fuit introducta est a natura, igitur &c. Consequentia patet, Et Antecedens patet ex notabili, quia defectus sunt à natura.

Quartum. Quartò notandum est, quod defectus humani, scil: ignorantia animæ, & inertia non fuerunt in homine in statu naturæ conditæ, seu in statu innocentiæ, secundum Theologicam veritatem.

Ista suppositio potest patere satis per auctoritates allegatas post oppositum.

Quintum. Quintò notandum est, quòd secundum Theologicam veritatem in statu naturæ lapsæ in pœnam peccati sunt isti defectus humani.

Suppositio ista patet per multos textus & auctoritates. Ex istis sequitur, quòd rebellio virium animæ, & ignorantia, & hebetudo, &c. non sunt à natura.

Conclusio responsiva. Secundo sequitur. Conclusio responsiva: quod secundum Theologicam veritatem non est concedendum, aliquem à natura servum. patet, quia causa propter quam servitus est introducta non est à natura: igitur &c. Patet consequentia ex dictis: secundo sequitur quòd servitutem inesse à natura, vel non inesse, aliter consideratur secundum veritatem Theologicam: & secundum Philosophum.

Ad rationem dubii. Et tunc ad rationem post oppositum dicitur, quod inest aliqualiter præter naturam: quia advenichat homini in statu naturæ lapsæ. Et hæc de primo dubio.

Secundum dubium. Secundum dubium, utrum in speciebus animalium, &c?

Arguitur. Arguitur primo quod sic: animalia domestica præsunt animalibus silvestribus in eadem specie: igitur. Consequentia patet: Et Antecedens est Philosophi, & causam assignat, quia magis participant de ratione, quam silvestria.

In Oppositum. Oppositum patet per illa quæ dicebantur in præcedenti dubio, etiam patet per Philosophum in textu. Nam ostensum est: quod postquam talia animalia veniunt ad perfectam ætatem non indigent servitute.

Primum notabile. Pro intellectu istius dubii est notandum, quod quamo species est perfectior, tanto pluribus individuis illius speciei indiget ad perfectè vivere. Nam ordinatum est quod homines diu maneant apud parentes.

Secundum. Secundo notandum est, quod animalia alia ab homine sunt indifferentia duplici, quædam sunt silvestria, & quædam domestica.

Tertium. Tertio notandum est, quod animalia domestica obtinent aliquam dignitatem super silvestria animalia: quia magis conversantur cum hominibus, etiam magis serviunt naturæ humanæ, & discunt loqui.

Quartum. Quartò notandum est: quod loquendo propriè de servitio & dominio naturalibus, propriè servitium convenit animalibus quæ habent convivere, simulque

indigent

indigent cibis & potibus, & multis aliis: ut patet ex dictis.

Istis sic positis patet conclusio responsiva: Loquendo propriè de servitio & dominio naturalibus, in animalibus aliis ab hominibus non est servitus à natura. Patet, quia illa non habent simul convivere, et non indigent tot quot homines. *Conclusio responsiva.*

Ad rationem ante oppositum negatur consequentia, & talis excellentia est magis ab extrinseco. *Ad rationem dubis.*

Tertium dubium est, utrum si homo mansisset in statu innocentiæ &c. *Tertium Dubium.*

Pro solutione istius dubii sine argumentis est Notandum: quod animalia vocantur silvestria in ordine ad naturam humanam, vel quæ sunt humanæ naturæ nociva, vel fugiunt societatem humanæ naturæ. *Primum notabile.*

Secundo supponendum est, quod omnes creaturæ quæ sunt sub specie humana fuerunt conditæ ad serviendum homini, si ipse mansisset in statu naturæ conditæ: Ista conclusio est Catholica. Istis positis est conclusio responsiva: si homo mansisset in statu innocentiæ, non fuissent aliqua animalia silvestria ad naturam humanam subvenientia. Patet, quia si homo mansisset secundum naturam humanam, omnes creaturæ fuissent subjectæ & serviles homini, & non ei nocentes patet consequentia ex notabili posito. Et ex suppositione patet: sed post quam homo fuit factus inobediens, etiam illa animalia silvestria desinebant esse subjecta, & servilia humanæ naturæ. De aliis dubiis videndum est statim. *Secundum. Conclusio responsiva.*

Aliæ sunt dubitationes: prima est utrum ille qui deficit in aliquo bono sit ille servus qui eum in eodem excedit. Secundo, qui debent dici à natura servi et domini. Tertio, quare unus est à natura ingeniosior alio. *Aliud dubium.*

Quantum ad primum arguitur quòd sic. Ille qui deficit in aliquo bono se habet ad illum qui excedit in illo bono, sicut activum ad passivum: igitur &c. Consequentia patet: Et Antecedens patet, quia excedens se habet tanquam efficiens. *Arguitur.*

Confirmatur per Arist. in isto primo, qui determinat hoc ex intentione.

Oppositum patet, quia si sic, sequitur quod deficiens in bonis temporalibus, vel corporis esset servus à natura illi qui excedit in illis bonis. Consequens est falsum: Et patet consequentia de se. *In oppositum.*

Pro intellectu dubitationis est notandum, quod subditus est qui caret bono quod a alio potest acquirere. Et principans est qui in tali bono excedit alium, & potest illud bonum alteri dare. Ex quo sequitur corollariè, quod comparando principem ad subditum: princeps se habet ad servum sicut activum ad passivum. *Primum notabile quid subditus.*

Secundo notandum est quod triplicia sunt bona: quædam sunt infima, ut bona fortunæ subjecta: alia sunt suprema, ut virtutes animæ: alia sunt media, ut sunt bona naturæ, scil. corporis, ut robur, sanitas, &c. *Secundum triplicia sunt bona.*

Tertiò notandum est, quod inter ista bona, sola bona animæ sunt bona simpliciter: Patet quia sunt honesta. & alia secundum quid. *Tertium.*

Quarto notandum est, quod bona fortunæ, & bona naturæ non sunt bona hominis ut homo est: sed solum bona animæ sunt bona hominis, ut homo est. Patet, quia alia animalia plus abundant illis bonis. *Quartum.*

Quintò est, quod ille qui alium excedit in divitiis, vel aliis hujusmodi bonis, non dicitur illum excedere simpliciter: sed solum ille excedit alium qui excedit in bonis animæ. *Quintum.*

Prima conclusio. His præmissis sit prima conclusio. Loquendo de bonis fortunæ & naturæ: ille qui deficit in illis bonis non est subditus illi qui in illis abundat: patet per rationem post oppositum.

Secunda. Secunda conclusio: loquendo de bono simpliciter: ille qui deficit in illo est subditus illi qui illo bono abundat: probatur, quia ille qui sic abundat potest mente providere, & alter non: ergo &c. Consequentia patet: Et Antecedens patet sufficienter de se.

Aliud dubium. His dictis patet responsio, quia quicquid arguit hoc est pro prima conclusione.

Responsio. Secundum dubium. qui sunt illi, qui sunt dicendi servi à natura, et qui principes. Hoc dubium distinguit Philosophus in litera: Primò quòd homines sunt in duplici differentia. quidam sunt habiles & idonei ad opera grossa, & inepti ad opera animæ, scilicet ad judicandum, et consulendum, et tales sunt servi à natura, et tales sunt necessarii in Politia. Alii sunt qui sunt omnino inepti ad grossa opera et habiles ad judicandum et consulendum. Unde Aristoteles dicit, quòd in servitio quandoque anima est libera, quandoque non.

Aliud dubium. Tertium dubium, quare aliqui homines à natura sunt ingeniosiores aliis?

Primum notabile. Pro solutione istius: primo supponendum, quòd natura humana scil. anima non exercet operationes in se organis corporis, quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Et ista est causa quare intellectus humanus aliquando fatigatur, & hoc impropriè & non secundum se, sed solum sensus secundum potentias exteriores, cum quibus intellectus habet agere.

Secundum. Secundo notandum, quòd sensus exteriores sunt habiliores & dispositiores, secundum quod organum mediante quo fit sensatio est melius vel pejus dispositum.

Tertium. Tertiò notandum, quòd aliqui homines secundum quòd sunt diversimode complexionati sunt servi à natura, vel domini, saltem initiativè, ut patet ex

Responsio. dictis. Ex istis sequitur causa & solutio dubii, quòd licet anima sit æquè perfecta tamen aliquando operatur melius secundum quod organum est melius dispositum, & complexionatum. Et ideo sequitur corollariè, quòd diversitas ingeniositatis non provenit ex parte animæ.

Ad rationes Quæstionis. Ad rationes. Ad primam dicitur, quòd quando dicitur in speciebus aliis &c. negetur consequentia, quia ex quo magis perfecta est species humana quàm alia, magis indiget quam alia species.

Ad secundam quando dicitur, si sic, sequeretur, quod &c. negetur consequentia. & causa est, quia aliquid dicitur competere à natura alicui dupliciter. Uno modo à perfectione, & sic benè conceditur. Alio modo solum propter defectum et impotentiam, et ideo solum competit à natura servitus humanæ speciei.

Ad tertiam quando dicitur, quod omnes homines sunt æqualiter perfecti, conceditur loquendo de perfectione essentiali. sed non est verum loquendo de perfectionibus accidentalibus quomodò servitus est &c.

Ad quartam quando dicitur quod unus habet ita bene voluntatem liberam sicut alter &c. conceditur hoc quantum est de se, scil. si voluntas est sibi commissa; non tamen est inconveniens quod voluntas unius sit magis libera, & hoc quantum ad extrinseca. ideo dicitur quòd in illo scil. in justo omnia consonant

nam rationi. Etiam potest aliter dici, quòd servitus non attenditur penes mentem esse liberam, vel non; sed penes mentem providere, vel non.

Ad quintam, quando dicitur aliqua sunt loca &c. dicitur quòd si tales homines sunt in statu, in quo primi parentes fuerunt, conceditur bene; sed si haberent se secundum quod nunc se habent homines, tunc indigent servitute & aliis.

Ad sextam, quando dicitur nullum violentum est à natura &c. conceditur major, et negetur minor loquendo de servitute de qua est ad propositum. & dicitur quòd verum est loquendo de legali, sed non de servitute à natura, quia illa est libera.

Ad septimam, quando dicitur, nunquam unus homo se habet ad alium, sicut membrum ad organum &c. loquendo propriè de organo conceditur. sed loquendo de organo Metaphoricè, negatur. Etiam aliter dicitur, quod duplex est organum. quoddam est animatum, et quoddam inanimatum.

Ad octavam, negetur antecedens, et ad Philosophum dicitur, quod illa litera non est de intentione Philosophi, recitat autem tanquam opinionem aliorum.

Ad nonam, quando dicitur ita bene unus homo &c. negatur antecedens, et ad probationem bene conceditur, quantum ad perfectionem essentialem: sed hoc est propter perfectionem accidentalem.

Ad decimam, quando dicitur homo maxime &c. conceditur hoc si talis sit ipse ad opera animæ.

Ad undecimam, quando dicitur nullus est servus legalis à natura, &c. negatur antecedens. Et ad probationem dicitur quòd duplex est bellum, scil. justum et injustum. si in bello justo verum est quod sit servus à natura, et non aliter.

Ad duodecimam, quando dicitur omnis defectus &c. dicitur quod servitus uno modo bene est propter intentionem naturæ. Pro quo notandum est, quòd aliquid potest esse à natura dupliciter, uno modo, quia est à nativitate, alio modo quia ejus causa est à natura; et sic servitus est à natura, quia ejus causa; scil. impotentia et defectus est à natura. et primo modo est propter intentionem, secundo modo autem non. *Notabile.*

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO VII.

De servitute jure contracta.

QUæritur septimo. Utrum aliquis sit servus de jure, et arguitur quod non; quia si sic, aut esset de jure naturali; aut civili. Sed nullo istorum modorum, &c. patet consequentia et major à sufficienti divisione. minor probatur; non jure naturali, quia dicit Isidorus. *Jus naturale commune est omni nationi.* Et ideo dicit Gregorius, *Omnes natura genuit æquales.* nec jure civili, quia jus civile debet se conformare juri naturali: sed non jure naturali est servus, igitur &c. consequentia patet. *Arguitur.*

Secundò,

Secundò, quia jus civile est jus omnium civium, sed cives volunt omnes esse æquales honore et principatu. igitur.

Tertiò si sic, sequeretur quòd de jure aliquis posset aliquid ab alio removere quod esset sibi proprium. consequens est falsum. et probatur consequentia, quia unusquisque à nativitate habet libertatem cum qua non stat servitus. ergo si esset servitus de jure, removeretur libertas qua est propria.

Quartò sic, quilibet homo habens usum rationis de jure est liber. igitur. patet consequentia, et antecedens est Philosophi, quia ratio et usus rationis est habere libertatem suorum, sed unusquisque non orbatus est hujusmodi. igitur &c.

Quintò, si sic, sequeretur quòd aliquis de jure posset compelli ad servitutem. consequens est falsum, quia hoc esset violentia. et probatur consequentia, quia de jure potest cogi ad illud faciendum quod est de jure.

Sextò, si sic, aut hoc est verum de servo capto in bello, aut depauperato, vel de servo locativo, sed neutro istorum modorum potest dici. igitur &c. patet consequentia, et major à sufficienti divisione; & minor probatur, non de captivato, quia ille est liber secundum Philosophum: et ille de jure non potest compellis nec etiam de paupere, quia hoc est à fortuna quòd sit pauper: nec de servo locativo, quia est servus ab electione & voluntate.

In oppositum. Oppositum arguitur per Philosophum primo hujus capitulo tertio. quia servum naturaliter servire est expediens & justum; de servo in bello capto justum est, quod serviat, quoniam etiam lex de servitute secundum bellum est posita bene & justa.

In Quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur utrum ratio principetur, seu pars intellectualis parti sensitivæ, vel sensualitati, principatu civili, vel naturali. In secundo videbitur quæ servitus debetur de jure, & quæ non. In tertio de quæsito principali.

Quoad secundum articulum arguitur. Quantum ad primum est videndum. Utrum ratio principetur. &c. Arguitur primo quod non. appetitus sensitivus non est natus obedire rationi, igitur &c. consequentia patet. et antecedens probatur tripliciter, primò quia appetitus sensitivus non est capax rationis. igitur &c. consequentia patet, et antecedens probatur per Philosophum, qui ponit differentiam inter servitutem in bruto, et in homine. Secundo appetitus sensitivus est natus rationi obviare, igitur &c. patet consequentia, et antecedens est Philosophi, quia ratio semper ad optima deprecatur. sensus vero obviat. Tertio probatur: sensus non natus est obedire rationi, igitur &c. consequentia apparet. et antecedens probatur, quia non est in potestate oculi quòd clarius vel non clarius videat rem.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi dicentis quod anima principatur corpori principatu Despotico, et appetitui sensitivo principatur principatu Politico et Regali.

Primum notabile, de differentia principatuum. Quantum ad hoc dubium sunt primò suppositiones. secundo Conclusiones. Primo supponendum est ex dictis quòd inter principatum Despoticum et Politicum est differentia. quia in principatu despotico principans taliter principatur subditis, quod non est licitum ipsis rebellari; ut est dominus respectu servi. Sed in principatu politico vel regali principans potest præcipere aliis liberis, cum alii possint sibi in aliquibus resistere. sed differunt principatus regalis et civilis, quia in regali sufficit minus: in politico autem non.

Secundò

Secundò sciendum est, quòd in anima humana sunt tres partes, scilicet pars vegetativa, pars sensitiva, et pars intellectiva, sive rationalis: non tamen quòd illæ partes sint distinctæ in eodem. *Secundum. tres sunt partes animæ.*

Tertiò sciendum est, quòd pars vegetativa ut sic non est propria homini, quia convenit aliis animalibus et plantis. *Tertium.*

Quartò sciendum est, quòd propter operationes partis vegetativæ non laudamur, neque vituperamur. Primò patet, quia non sunt partes humanæ. Secundò, quia tales operationes non sunt in potestate nostra, nec hominis. Tertiò, quia tales operationes magis fiunt in somno, quàm in vigilia. *Quartum.*

Quintò principaliter sciendum est, quòd aliqua pars animæ potest dupliciter dici rationalis. uno modo per essentiam, alio modo per participationem, quia nata est obedire rationi. *Quintum.*

Sextò notandum est, quòd dupliciter possumus loqui de homine. Primò de homine virtuoso, in quo omnes vires consonant rationi. Secundò modo de homine vitioso, in quo omnes vires rebellant rationi. *Sextum.*

Quantum ad primum sit prima conclusio: Ratio, sive pars rationalis per essentiam non principatur appetitui sensitivo principatu despotico. patet, quia ratio non principatur sensui tanquam non potenti rebellare. igitur. Patet consequentia, et antecedens patet ex dictis, et per experientiam. *Prima conclusio.*

Secunda Propositio: In homine vitioso ratio sive rationalis pars per essentiam non principatur appetitui sensitivo principatu politico et regali. patet ex dictis. *Secunda.*

Tertia conclusio Philosophi, & responsiva: ratio principatur appetitui sensitivo in homine virtuoso principatu politico sive civili: patet conclusio, quia non potest præcipere appetitui liberè, & tamen appetitus potest rebellare. patet consequentia, & antecedens notum est de se. *Tertia.*

Ad rationes respondetur negando antecedens. ad probationem negatur antecedens, quia immo est capax præcepti à voluntate per rationem ordinatam, tamen in homine licet non in bruto; & similiter ratio potest capi dupliciter, uno modo pro ratione per essentiam, & sic appetitus sensitivus non est capax rationis. sed alio modo bene, scil. si capitur pro intellectu per participationem. Ad secundam probationem negatur consequentia. & Ad tertiam dicitur, quòd tam appetitus quam etiam sensus debent & possunt obedire, & nati sunt obedire, & hoc diversimodè, sensus enim habet exercere præceptum à ratione, si non sit impeditus, & appetitus sensitivus per modum exercitii. *Ad rationes articuli.*

Quantum ad secundum articulum videndum est, Utrum aliquis sit servus de jure naturali. Et pro isto dubio erunt notabilia. secundò conclusiones, & tertiò dubia. *Secundus articulus.*

Pro quo notandum primò, quòd sicut potest trahi ex dictis naturalium Philosophorum. Jus est duplex, scil. naturale, & est illud quòd ubique eandem potestatem habet; ut exponit Eustrathius quòd ab omnibus observatur non orbatis. Sed aliud est humanum jus, & illud est jus legale positivum, sive civile. *Primum notabile. Duplex Jus. Secundum notabile.*

Secundò notandum est, quòd inter ista duo jura est quadruplex differentia. Prima est quia jus naturale est commune omnibus, scil. animalibus. jus humanum est proprium secundum quod expedit hominibus, & secundum quod expedit jura, *est quadruplex differentia inter illa*

pedit communitati. Secunda differentia est, quia jus naturale est immutabile, jus humanum mutabile et variabile secundum tempus, et hominum varietates. Tertia differentia est, quia jus naturale est per se notum, & non indiget naturali promulgatione, ergo qui recedit ab illo non excusatur: jus verò humanum non est per se notum, sed indiget promulgatione, & non obligat nisi post promulgationem. Quarta differentia, quia jus naturale est principium juris humani & finis: nam legislatores ponunt jura in se quantum recta ratio permittit.

Tertium.

Dupliciter capitur jus naturale.

Tertiò notandum est, quòd jus naturale dupliciter capitur: uno modo largè prout competit omnibus animalibus, secundo modo prout restringitur ad jus gentium, sic solum competit hominibus.

Quartum.

Quartò sciendum est quod servando servitutem non considerare debemus naturam humanam prout ipsa fuit in prima creatione, sed prout est lapsa, & in statu in quo nunc est: patet prima pars, in prima statu non fuit dominium, & servitus, omne enim hominum genus simili surgebat aborsu, & secunda pars patet ex prius dictis, nam natura multis indiget. Ex quo patet quod servitus in humana communicatione arguit imperfectionem et defectum, etiam patet, quòd non deberet servitus nisi naturæ læsæ: his suppositis sunt conclusiones.

Prima conclusio.

Prima conclusio: Servitus est de jure naturali: probatur, nam cuilibet congregationi hominum, vel regionum politicè viventium convenit servitus, vel principatus. igitur &c. patet consequentia, quia jus naturale competit omnibus non perversis & vitiosis: antecedens patet, quia si politicè vivant, oportet quòd aliqui sint qui videant futura, & illi sunt domini, & quòd sint aliqui qui habeant eis obedire, scil. servi.

Secunda.

Secunda conclusio: Servitus non est de jure naturali nisi restringendo jus naturale ad jus gentium: probatur quia talis servitus non convenit omnibus, sed solum hominibus, ergò, &c. patet consequentia, per quid nominis juris naturalis: & antecedens patet, quia servitus non est propriè in brutis, ut dictum est.

Tertia.

Tertia conclusio sequens ex dictis, qd aliquis est servus de jure naturali. probatur, aliquis est servus à natura: igitur &c. patet consequentia: & antecedens patet per prædicta: ex istis sequitur, qd licet aliquis non sit servus de jure naturali considerando naturam prout fuit in statu innocentiæ: tamen est servus, considerando naturam in statu in quo nunc est. Tunc sunt dubitationes: nam si sit aliquis

Objicitur.

servus de jure, sequitur quòd aliquis posset vicinum suum cogere ad sibi serviendum. consequens est falsum: probatur tamen consequentia, quia posito quòd aliquis habeat vicinum qui nescit mente providere, sed sit fortis corpore, & tunc ille est naturaraliter servus. igitur &c. potest naturaliter compelli.

Secundo, si sic, sequeretur quod aliquis esset dominus de jure: consequens est falsum, quia omnis dominus est ab electione, et patet consequentia.

Tertiò, si sic, sequeretur quod non deberent poni leges dominis et servis: consequens est falsum, & probatur consequentia, quia natura sufficeret.

Respondetur.

Ad rationes istas respondetur. Ad primam quando dicitur sequeretur &c. Pro solutione sciendum est, quod aliqua sunt de jure quæ sic se habent quòd per leges positivas possunt compelli: ut reddere unicuique quod suum est. Alia sunt quæ sic se habent quod talia non possunt compelli, & causa est, quia talia sunt

nobis

nobis ignota, & immanifesta: scil: quod aliquis sit talis qui sit rudis anima: ergo non deberet compelli: negatur consequentia, quia non est nobis manifestum qui sunt illiqui sunt nati ad serviendum.

Ad secundam quando dicitur quod alibuis est dominus, &c. conceditur quòd aliquis est dominus initiativè naturaliter, licet sit completivè ab electione.

Ad tertiam negatur consequentia, quia naturales homines aliquando contra naturales appetitus per malas & pravas cogitationes &c. ergo ponendæ sunt leges.

Quantum ad tertium articulum est videndum, utrum aliquis sit aliter servus quam de jure naturali: et respondebitur, ad quæstionem pro primo sunt suppositiones & distinctiones, *Tertium articulum.*

Primo notandum est quod duplex est servitus. quædam est à natura, alia est à fortuna: à natura quidem est aliquis servus naturaliter, scil. qui non est mente providus: servitus à fortuna est illa quæ provenit ex coactione, scilicet propter bellum, propter necessitatem, & sic de aliis, scil. de indigentia cibi. *Primum notabile.* *Duplex servitum.*

Secundo notandum est, quòd bellum ex quo consequitur servitus est duplex, scil justum & injustum: si sit justum, servitus inde secuta est justa, & lex ponit etiam eam. *Duplex bellum.*

Tertio notandum est, quòd bellum justum potest esse duplex, quoddam est pro illis qui nati sunt servire & nolunt, scil: robustis: Aliud est bellum injustum, quod sit propter alias causas, scil: defensiones reipublicæ. *Tertium duplex bellum justum.*

Quarto notandum est, quòd unicuique expedit operari prout proprii mores exigunt: ista propositio est Philosophi primo hujus, et tamen debet supponi quòd tales mores sint boni & virtuosi: Ex quo inferunt expositores, quòd si aliquis natus est subjici, & non principari, expedit quòd ipse subjiciatur, quia hoc est propter proprios mores. *Quartum.*

Quinto notandum est, quod licitè in favorem justè bellandi legislator potest alios ad principatum inducere. *Quintum.*

Sexto notandum est, quod servitus existens in habitudine servi ad naturalem dominum, dicitur quasi naturalis, istud est Philosophi. His dictis ponuntur propositiones. *Sextum.*

Prima propositio: Servitus proveniens ex bello justo injto contra justos natos subjici, & tamen nolunt subjici, est naturalis: probatur, quia tale bellum est justum & contra naturales servos. Et si objiceret aliquis, talis servitus est ex coactione. scil: bello. igitur, &c. Patet Consequentia; et antecedens est notum, quia sit ex bello inito. Ad hoc respondetur distinguendo de coactione. Nam illa est duplex, quædam est illicita & injusta, scil. quæ fertur contra illos contra quos non debet inferri, & illa non est naturalis; alia est justa et licita quæ sit contra quos debet ferri, & quandò debet ferri, & talis coactio non impedit quin talis servitus sit naturalis: Modo sic respondetur ad argumentum. *Prima Propositio.*

Secunda conclusio: Servitus propter aliam causam quam propter bellum initum contra natos subjici & nolentes esse servi, non est naturalis: probatur, nam stat, quòd talis servitus non sit naturalis, igitur &c. Patet Consequentia, & Antecedens apparet in bello in quo essent aliqui nobiles qui haberent rectam causam et justam qui vincerentur, tamen non oportet quòd illi devicti sint servi, quia per oppositum sunt liberi famosissimi. *Secunda.*

Tertia. Tertia conclusio: Servitus quæ provenit propter aliam causam quam propter bellum initum contra servos naturaliter, est de jure civili politico, vel naturali, probatur, quia talis servitus est de jure civili, & non naturali, igitur &c. consequentia patet, & antecedens per prædicta.

Quarta. Quarta conclusio: Lex instituens servitutem de qua dictum est in secunda & tertia conclusionibus, est justa: probatur, quia legislator potest instituere servitutem ad favorem justè bellantium: igitur &c. patet consequentia, & antecedens apparet per unam suppositionem, quia quantum est possibile legislator debet esse favorabilis justè pugnantibus. Ex his sequitur corollariè, quòd aliquis est de jure servus, etiam de jure naturali. Secundo sequitur, quod stat servitus de jure in homine libero naturaliter: apparet, supponendo quod in bello justo essent duæ partes, quarum una crederet habere bonam & justam causam, licet non haberet, et essent nobiles: tunc si tales devincerentur, essent de jure servi, ut patet satis. Tertiò sequitur

Ultima responsiva. Conclusio responsiva ad quæstionem primam, quòd aliquis est servus de jure naturali, et etiam de jure civili, vel politico, vel legali, vel positivo.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes quæstionis. Ad primam dicitur, quòd hoc verum est in statu innocentiæ, sed nunc læsa est propter peccatum. &c.

Ad secundam, quando dicitur quia nullus est servus de jure civili negatur hoc; imo est aliquis servus de jure legali, ut patet ex dictis.

Ad tertiam, quando dicitur, sic sequeretur quòd aliquis posset removere ab alio, &c. negatur consequentia, quando dicitur unusquisque nascitur liber, negatur illa prout libertas opponitur servituti naturali, quia aliqui nascuntur qui postea nesciunt mente providere.

Ad quartam, quando dicitur quod quilibet habens usum rationis. &c. Dicitur quòd si talis habet usum rationis integrè et incorruptè tunc conceditur, cum hoc tamen stat quòd quilibet homo non habet perfectè usum rationis.

Ad quintam cum dicitur sequeretur quod aliquis posset cogi, &c. de ratione ista visum est in secundo articulo negando consequentiam, quia dictum est quòd aliqua sunt manifesta, & ad illa possunt cogi: sicut reddere alicui quod suum est, & sic licitè possunt cogi. Alia sunt immanifesta, & sic immanifestum est quis scit mente providere, & quis non, ideo non debet cogi, sed si hoc fuerit manifestum, potest cogi.

Ad sextam, quando dicitur per hoc esset, &c. dicitur, quòd de jure legali ita est de servo captivato et capto in bello justo, ut dictum est: Alia patent ex dictis.

Ratio post oppositum est pro conclusione respondali.

QUÆSTIO VIII.

De filiorum progressu à parentibus.

Arguitur. QUæritur octavo. Utrum ex bonis parentibus nascantur semper boni filii? & arguitur primò quòd sic, auctoritate Philosophi in isto primo, capitulo tertio, ex ambabus progenitricibus radicibus quis dignificabit servum.

Secunda

Secunda auctoritas est Philosophi primo hujus, dignificant autem quemadmodum ex bestia bestiam, ex homine hominem, ex bono bonum.

Tertia auctoritas est Christi *Matthæi* septimo capitulo dicentis, quòd *bona arbor bonos fructus facit.*

Secundò ratione sic, unumquodque ens naturale naturaliter inclinatur ad producendum simile sibi, ergo inclinatur ad producendum bonum hominem. patet consequentia, & antecedens probatur inductivè inducendo de quolibet. quia nisi sic inclinatio esset frustra. Secundò, bonus homo secundum corpus generat bonum secundum corpus, ergo bonus secundum animam generat bonum secundum animam. igitur &c. patet consequentia prima, quia anima sequitur corpus, et secunda est nota: et antecedens apparet in multis. Nam videmus quod pulchri homines producunt filios pulchros, & turpes turpes.

Oppositum arguitur. Nam si sic, sequeretur quòd boni filii propter suam bonitatem non deberent laudari: Consequens est falsum. Et probatur consequentia, quia pro illo quod inest à natura nemo laudatur nec vituperatur. *In oppositum.*

Secundò, boni filii fiunt boni per consuetudinem bonam & assuefactionem. igitur. &c. patet consequentia & antecedens apparet. quia homo virtuosus fit, & bonus ex consuetudine. ut patet per Philosophum secundo Ethicorum, ut non parum differunt &c. In quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur in quo consistit bonitas. In secundo respondebitur ad quæstum. In tertio movebuntur quædam dubia. *Primus articulus. Primum notabile.*

Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd duplex est bonum. Quoddam est entis bonum: & aliud bonum moris, de bono entis quilibet homo quantum habet de entitate tantum habet de bonitate, & sic concedendum est, quòd diabolus est melior homine. *Duplex bonum.*

Secundò notandum est, quòd duplices sunt actus humani. Quidam sunt simpliciter boni, ut diligere deum. Alii sunt non simpliciter boni, ut sunt illi qui possunt malè fieri, ut dare eleemosynam, jejunare. *Secundum. Duplices sunt actus humani.*

Tertiò notandum est, quòd in homine ratio potest se habere dupliciter. Uno modo prout est recta, ratiocinans secundum veritatem. Alia est ratio perversa, quæ obedit appetitui sensitivo, scilicet dictans contra verum judicium, & illa est in homine vitioso. *Tertium. Ratio dupliciter potest se habere.*

Quartò notandum quòd magna est differentia inter elicere actum bonum, & elicere actum bene electum. quia ad hoc quòd actus sit bonus sufficit quòd sit de genere boni, & ad hoc quòd actus sit bene electus, requiritur quòd eliciatur secundum dictamen rectæ rationis. His suppositis sit *Quartum. Duplex modus eliciendi.*

Prima conclusio: homo non dicitur bonus moraliter, quia facit actum bonum de genere boni. probatur, quoniam si sic, sequerur quòd dando eleemosynam propter vanam gloriam, & eundo tali modo ad Ecclesiam fieret homo virtuosus. consequens est falsum; patet consequentia, quia talis facit actum bonum in genere boni. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. Ad hoc quòd aliquis sit bonus oportet quòd operetur secundum actum bonum bene. probatur, quia homo non dicitur bonus, nisi operetur secundum quod recta ratio dictaverit. igitur. patet consequentia, & antecedens ex istis patet, quòd bonitas hominis moralis non consistit in bonis fortunæ, sive corporis. Ideo dicit Philosophus primo Ethicorum, quòd non omni- *Secunda conclusio.*

Secundus articulus.

nino felix est qui specie turpissimus est. &c. volebat dicere quòd fœlicitas consistit in bonis corporis organicè & instrumentaliter scilicet, in quantum servium talis felicitati.

Primum notabile. dupliciter quis dicitur bonus.

Quantum ad secundum, Videndum est de quæsito.

Pro quo notandum est, quòd aliquis potest dici dupliciter bonus. Uno modo in actu perfecto, scilicet quod actualiter habet virtutes. Alio modo solum inclinativè, scilicet quia habet inclinationem naturalem facilem ad faciendum bonum. Ideo dicit Philosophus, quòd sunt aliquæ virtutes quæ insunt naturaliter alicui, scilicet inclinativè. Ex quo sequitur corollariè, quòd quando quæritur &c, hoc potest intelligi dupliciter. Uno modo utrum nascantur boni filii inclinativè, Alio modo utrum nascantur boni filii scilicet in actu perfecto.

Secundum notabile, de bona proportione qualitatum.

Secundò notandum est, quòd dicit beatus Thomas, quòd bona proportio qualitatum complexionabilium multum proficit ad qualitatem animæ, & hoc probat auctoritate Philosophi dicentis, molles carne aptos mente dicimus esse, & etiam sequitur anima corpus. & hoc satis patet ratione, quia ex illa complexione consurgit quòd sensus sunt vivaciores. igitur &c.

Tertium de filiis ex patribus bene complexionatis.

Tertiò notandum est, & primò supponitur, quòd communiter ex patribus bene complexionatis nascuntur ut in pluribus filii naturaliter bene complexionati, & hoc probat expositor quidam: nam semen quod deciditur ex nutrimento patris ex puro deciditur, & nascitur filius melius complexionatus, & hoc est verum, ut in pluribus, quia stat parentes bonos malum filium producere, & è contrà. tunc sit

Prima conclusio.

Prima conclusio. Loquendo de bonis filiis in actu perfecto, ex bonis parentibus non nascuntur boni filii naturaliter. patet per rationes post oppositum.

Secunda.

Secunda propositio: Loquendo de bonis filiis inclinativè, ex bonis parentibus ut in pluribus nascuntur boni filii naturaliter. probatur, nam ex parentibus bene complexionatis generantur filii bene complexionati igitur &c. patet consequentia per notabile, & antecedens apparet, dicitur notanter [ut in pluribus,] quia dicit Philosophus, natura vult hoc semper, licet quandoque non posset. Et hæc de secundo articulo.

Tertius articulus de nobilitate animæ ad corpus.

Quantum ad tertium articulum, circa materiam quæstionis movetur dubium. Utrum cuicunque natura dat animam nobilem det ei nobile corpus; & è contrà, utrum cui natura dat animam servilem, det etiam corpus servile. Et arguitur pro prima parte quòd sic; nam natura dat unicuique secundum quod melius est, igitur &c. patet consequentia, & antecedens apparet, quia ars imitatur naturam, in quantum potest.

Arguitur affirmativè.

Secundò sic, si anima est nobilis ipsa habet nobiles & bonas operationes, & si habet bonas operationes corpus habet nobile. igitur &c. patet consequentia, & antecedens apparet de primo ad ultimum; sed patet antecedens. Primò probatur conditionalis; quia secundum veritatem non dicitur anima nobilis, nisi respectu operationis nobilis. Et probatur secunda consequentia, quia corpus dicitur instrumentum mediante quo anima agit, modo agens principale non potest bene agere sine bono instrumento.

Arguitur negativè.

Deinde arguitur quòd hoc sit è contrario, nam si non, sequitur quòd anima non insequitur corpus: consequens est falsum: patet consequentia, quia si corpus est nobile, & anima innobilis, tunc anima non sequitur corpus,

Deinde

Deinde pro secunda parte dubitationis arguitur auctoritate Alberti dicentis, quod *monstrum in corpore est monstrum in anima*.

Secundò si sic, sequeretur quòd natura faceret aliquid frustra, consequens est falsum, & patet consequentia. quia si anima sit nobilis, & corpus non, tunc anima non potest exercere operationes humanas, & ita nobilitas animæ esset frustra.

Oppositum est de intentione Philosophi, quòd natura in quantum potest intendit dare animæ nobili corpus nobile, & è contrà. tamen oppositum communiter accidit.

Pro evidentia dubitationis primò sunt notabilia. secundò conclusiones.

Primum notabile. quod anima nobilis.

Primò notandum est, quòd in proposito per animam nobilem debemus intelligere animam habentem usum rationis debitum, quæ est dispositæ ad rectè operandum, ut prævidere futura secundum quod debet. Sed anima ignobilis debet dici per oppositum. Istud notabile est Philosophi dicentis, quòd dominus est qui potest mentes providere, & servus non. Sed aliter modo quo dicitur nobilis, quando est bene dispositæ ad finem ad quem facta est. Ex illo sequitur corollarie, quòd nullus vitiosus habet animam nobilem. patet quia talis anima non habet usum rationis. Istud notabile est de intentione Philosophi, & Philosophorum dicentium, quod nobilitas sola est quæ animam moribus ornat.

Secundum, tripliciter dicitur corpus nobile.

Secundò notandum est, quòd corpus dicitur nobile tripliciter. Uno modo quantum ad dispositiones interiores. Secundo modo quoad dispositiones exteriores, sc. ad vires sensitivas. Tertiò modo quòd dispositiones interiores, & exteriores simul: ista nobilitas corporis est optima, quia includit duas primas.

Tertium. triplò dicitur corpus dæmoniacum, & sic de aliis, secundum modos quibus dicitur nobile per oppositum dicitur innobile.

Tertiò notandum est, quòd proportionabiliter corpus tribus modis potest dici innobile, & servile. Uno modo quantum ad dispositiones exteriores, ut sunt *citer corpus dæmoniacum, & sic de aliis, secundum modos quibus dicitur nobile per oppositum citur servile.*

Quartum.

Quartò notandum est, quòd licet intellectus non sit virtus organica, tamen prout est conjunctus naturæ non exercet operationes nisi mediante juvamine corporis. Prima pars notabilis nota est. secunda pars patet per omnes naturales. His præmissis ponuntur aliquæ conclusiones.

Prima conclusio.

Prima conclusio: Cuicunq; natura dat animam nobilem, ipsa etiam dat ei corpus nobile quoad dispositiones interiores. Probatur conclusio: quia cuicunque natura dat animam nobilem dat ei illud per quod potest exercere suas operationes. igitur. patet consequentia. & antecedens patet, quia alias anima non dicitur nobilis nisi quantum ad operationes.

Secunda.

Secunda conclusio: Cuicunque natura dat corpus servile quoad dispositiones interiores, etiam dat animam servilem. illa conclusio probatur, quia si corpus non potest debitè exercere suas operationes, tunc anima est innobilis.

Ultima.

Tertia conclusio: non cuicunque natura dat corpus servile, quantum ad exteriora, dat animam servilem. probatur, quia stat quòd anima sit nobilis, & corpus ad extra sit difforme, & sic patet quid sit dicendum.

Ad rationes dubii.

Ad rationes dubii. Ad primam quando dicitur, sic est in artificio artificis &c. conceditur hoc quoad multa. & quandodicitur, quòd artifex disponit materiam &c. conceditur. hoc etiam conceditur, quòd natura producens animam nobilem producit materiam nobilem in qua potest conservari, & hoc est verum, si ipsa potest conservari. Ad secundam dicitur, quòd hoc oportet quantum ad dispositiones interiores.

Ad

Ad tertiam, quando dicitur, anima sequitur corpus: dicitur, quòd hoc est verum, tanquam ad interiora; scil. si corpus est nobile, quantum ad dispositiones interiores anima est nobilis.

Ad quartam, de auctoritate Alberti dicitur, quòd hoc est verum quod monstrum in corpore, scil. quantum ad dispositiones interiores est monstrum in anima, sed non oportet quantum ad dispositiones exteriores.

Ad quintam, negatur consequentia, quia stat quòd dispositio exterior nihil impedit, nec agat; sed si mala sit dispositio exterior, tunc bene sequitur propositum. & hoc de tertio.

Ad rationes quæstionis. Ad primam, quæ continebat tres auctoritates. Ad primam auctoritatem ex duabus &c. Secunda erat enim, dignificabant &c. dicitur quòd illæ duæ intelliguntur, quòd in pluribus provenit, dicet natura quandoque faciat oppositum propter defectum. Tertia auctoritas est salvatoris, & intelligitur eodem modo.

Ad secundam, quando dicitur natura intendit producere ex simili simile, conceditur hoc, & negetur consequentia, quia nunc non oportet producere mortaliter bonos filios, sed bene bonos filios per naturam.

Ad tertiam conceditur antecedens, quoad bona naturalia. igitur etiam anima &c. negatur consequentia, quia anima est agens liberum, & habet libertatem. ideò dicit Seneca, turpitudo corporis animam non maculat; & hoc provenit ratione libertatis animæ.

Ratio post oppositum est pro dictis in conclusione.

QUÆSTIO IX.

De ingenuitate Naturali.

Arguitur. QUæritur nonò. Utrum aliquis sit nobilis seu ingenuus à natura. Arguitur primò quod non. nullus est nobilis, seu ingenuus à natura, nisi à virtute, sed virtus non est à natura: igitur &c. Patet consequentia, & major per Tullium dicentem, *dictum est ab eruditis viris, sapientem esse nobilem vel liberum.* ubi vult, quòd solus sapiens est nobilis. minor patet, quia virtus est habitus acquisitus per operationes nostras.

Secundò si sic, maximè esset de nobilitate generis, sed per istam nobilitatem nullus debet dici ingenuus, aut nobilis: igitur &c. patet consequentia, & major, & minor patet per Boëtium dicentem, *à nobilitate aliena nullus debet aliquem esse nobilem, vel clarum.* & per hoc habetur quòd per talem nobilitatem nullus dicitur nobilis.

Tertiò, sola nobilitas est, quæ animum moribus & scientiis ornat, & illa non est à natura. igitur &c. Consequentia patet. Et major patet: quia illa dicitur nobilitas sola quæ animum moribus & scientiis ornat. Minor est nota, quia anima est tanquam tabula in qua nihil depictum est.

Quartò si sic, vel hoc esset à materia, vel à forma: sed nullum istorum est dicendum: igitur &c. Consequentia patet, & major à sufficienti divisione. Minor probatur, non à forma, quia illa dat esse: sed non dat esse nobile: quia

sic

sic omnes essent æqualiter nobiles: nec etiam à materia. ut patet.

Quintò sic. Nobilitas est à divitiis: igitur &c. Consequentia patet. Antecedens est Senecæ dicentis, quòd nobilitas nihil aliud est quam divitiæ antiquatæ; modò manifestum est quòd divitiæ sunt fortunæ subjectæ.

Oppositum est de intentione Philosophi primò hujus, capitulo primo, dicentis, quòd aliquis est servus à natura. postea concludit. eodem modo dicendum est de nobilitate & ingenuitate. *In oppositum.*

In ista Quæstione erunt tres articuli. In primo movebitur dubium de electione principis ad populum. In secundo respondebitur ad quæstum. In tertio movebuntur dubitationes circa electionem principis.

Quantum ad primum est dubium, Hoc posito quod Sortes & Plato sic se habeant, quod Sortes sit pulchrior Platone corpore, & robustior viribus corporis: & Plato sit difformis corpore, & sit mente providentior, et quòd oportet unum illorum eligi à populo; quæritur quia illorum eligi debet eligi à populo in principem. Arguitur quòd Sortes sit melius elegendus à populo in principem, nam dicit Philosophus primo hujus, quòd si tantum sint differentes corpore solùm quantum eorum imagines sunt, deformes homines decet dignos alios servire. quasi dicendo, quòd difformes debent aliis servire, & sic ad propositum. *Primus articulus. Dubium de eligendo principem.*

Secundò, nam dicit Porphyrius. quòd Priamus propter sui formositatem dignus fuit imperio, igitur ad propositum.

Tertio inter omnes cæteros ille debet eligi, cujus aspectus potest plus augmentare amorem subditis, & timorem inducere suis hostibus: sed sic est de Sorte. igitur &c. Patet consequentia, & major est nota ex terminis. minor probatur, quia postquam Sortes est pulcher homo, magis placet subditis, quàm Plato, & magis terret hostes propter aptitudinem ad bellandum.

In oppositum arguitur. nam dicit Philosophus expressè, quòd si ille qui alios excellit in viribus corporis aliis debeat principare meritò, magis ille qui excedit alios in viribus animæ. *In oppositum.*

Pro isto dubio est notandum. quòd formositas hominis, & robur sive prudentia animæ multò plus est nocumentum quàm perfectio: & ideo dicit Philosophus quod propter pulchritudinem & divitias multi perierunt. *Primum notabile.*

Secundò notandum est: quòd ad bonum regimen reipub. plus debet attendi in principibus prudentia quàm vires corporis. patet, quia multo melius potentia seu politia regitur per prudentes, quam per imprudentes. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd Sortes in casu posito potest tripliciter comparari ad Platonem. uno modo quia habet æqualiter prudentiam cum fortitudine & formositate. Secundo, quia cum ipsis virtutibus corporalibus habet sufficientem prudentiam ad regendum se, & populum. Tertio, quòd sit omnino imprudens, licet habeat illa bona corporis. *Tertium.*

Quartò sciendum est: quòd ubi cætera sunt paria magis eligendus esset ille in principem, qui esset pulchrior, formosior, virtuosior, et aptior ad bellandum. patet, quia si haberet prudentiam sufficientem, ipse terreret hostes &c. *Quartum.*

His positis, ponuntur propositiones.

Prima propositio. Si Sortes in casu dicto cum hoc esset prudens: tunc Plato non esset eligendus. Patet ex dictis. *Prima conclusio.*

Secunda propositio: Si Sortes cum hoc in casu dicto haberet sufficientem discretionem *Secunda conclusio.*

discretionem ad regimen reipublicæ ipse esset magis eligendus. Patet quia ipse est sapior.

Tertia. Tertia propositio probabilis. Si Sortes haberet illa prædicta, & cum hoc prudentiam sufficientem, adhuc Sortes est eligendus prius Platone, licet Plato sit prudentior. Patet, quia licet Plato haberet prudentiam, tamen deficeret in dictis tribus eligitur &c.

Ex istis sequitur corollariè: quòd non semper magis est eligendus prudentior, sed melior, id est virtuosior.

Ad rationes dubii. His dictis solvuntur rationes.

Ad primam dicitur, quòd Philosophus intellexit autoritatem, ubi cetera sunt paria, scilicet si talis haberet prudentiam.

Secundò potest intelligi. quòd sit eligendus, si talis habeat prudentiam sufficientem.

Ad autoritatem Porphyrii dicitur, quòd Priamus fuit prudens, & ideo dignus.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, videndum est de quæstione loquendo de nobilitate communiter dicta.

Primum notabile. Et est notandum primò quòd illa nomina, nobilis, ingenuus, generosus sunt synonyma, sed si strictè accipiantur. Ingenuus dicitur ille, qui postquam natus est dicitur liber immediatè. Sed ille dicitur nobilis qui est genitus ex parentibus virtuosis. Sed generosus dicitur qui non generat ultrà.

Secundum. Secundò sciendum est, quòd populares vocant gentiles nobiles, & hoc propter duas causas. Una, quia sunt geniti tales. Secunda, quia generant tales.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd felicitas non consistit in bonis interioribus corporis, nec in bonis exterioribus: nam felicitate non contingit malè uti: sed bene deserviunt felicitati organicè.

Ideo dicit Philosophus, quòd non omnino felix est qui specie turpissimus est, aut ignobilis, aut sine prole.

Quartum. Quartò, sciendum est, quòd veraciter felicitas consistit in bonis animæ, & in ejus bonis operationibus.

Ex quo sequitur veraciter, quòd operatio virtutis est nobilior virtute. Patet, quia virtus est ratione operationis.

Quintum. Quintò, sciendum est, quòd vera libertas reperitur in virtute, & solum in illa.

Unde tunc aliquis dicitur dominus, qui dominatur viribus suis.

Ex quo sequitur. quòd vitiosus est servus, & non liber.

Sextum. Sextò, notandum est, quòd quilibet homo habens usum rationis talem potest libertatem acquirere. Patet, quia potest declinare mala & facere bona.

Ex quo sequitur, quòd si aliquis perdiderit usum rationis, non ex culpa, quod talis non operatur benè vel malè moraliter; & per consequens talis non est bonus, neque malus moraliter. Et dicitur notanter [non ex culpa sua] quia si cum culpa esset, peccaret. Et ideo dicit Philosophus, quòd ebrio debentur duplices increpationes: scil. propter factum & ebrietatem.

Septimum. Septimò, notandum est, quod aliqui à principio nativitatis suæ sunt inclinati ad virtutes, & aliqui ad vitia. Et ideo dicit Philosophus, quod aliqui tales sunt confestim à nativitate, & cum omnibus istis inclinationibus stat liberum arbitrium.

Octavo

Octavò sciendum, quod cum quæritur, Utrum aliquis sit nobilis &c. Potest intelligi dupliciter. *Octavum.*

Uno modo quòd à nativitate habeat nobilitatem perfectam in actu perfecto: quia contrahit eam à parentibus.

Alio modo, quia habet nobilitatem inclinativè, quia habet inclinationem ad acquirendum talem nobilitatem.

His dictis ponuntur aliquæ conclusiones.

Prima conclusio est. Vera nobilitas est ab intrinseco: scilicet à virtute animæ hominis, vel bonitate. Probatur. Nam nobilitas est felicitas quæ potest haberi in isto statu: sed talis felicitas est ab intrinseco: igitur &c. Conclusio patet, & major apparet, quia vera nobilitas est libertas, & libertas est felicitas: igitur &c. Minor est nota. *Prima conclusio.*

Secundo confirmatur. quia si non, sequeretur quod libertas non esset in hominis potestate. Consequens est falsum. Et patet consequentia cuiam, quia anima in principio creationis suæ est tanquam tabula rasa in qua nihil est depictum.

Secunda conclusio: Talis nobilitas ineſt à natura inclinativè seu inchoativè. Probatur, quia dictum est, quod aliqui à nativitate sunt inclinati ad virtutes, & aliqui ad vitia: igitur &c. Consequentia patet per Philosophum, qui vocat aliquos bene natos, & aliquos malè. *Secunda.*

Tertia conclusio: Esse ex nobili prosapia, ex viris nobilibus & ingenuis, loquendo de nobilitate impropriè dicta, est signum talis inclinationis ad nobilitatem veram. Probatur conclusio ex quadruplici radice, scilicet ex parte divitiarum, ex parte similitudinis, sic unumquodque ens naturale appetit producere sibi simile. Et ob hoc dicit Philosophus, quòd ex duabus progeniebus nobilibus quis dignificatur, quasi diceret nullus &c. Secundo ex parte divitiarum. Quoniam si ex antiquis, scilicet avi & proavi fuerunt divites, signum est quòd bene acquisiverunt divitias. Et ideo dicitur per oppositum de male acquisitis non gaudebit tertius heres. Tertiò ex parte nutrimentorum, quia sunt nutriti ex bonis cibariis & subtilibus, & inde fit nobilis complexio, & talis complexio conformat se rationi: ideo dicit Philosophus secundo Rhetoricæ, quòd *differentia cibi facit vitæ differentes.* Quartò ex parte doctrinæ. Nam tales filios suos tradunt imbuendos in variis doctrinis, ideo dicit Philosophus secundo Rhetorices hoc idem &c. *Tertia.*

Quantum ad tertium, sunt dubitationes. Prima est, *Tertius articulus.*

Utrum filius sit laudandus, vel honorandus, propter nobilitatem parentum. *Primum dubium.*

Arguitur primò quòd non. Nullus est laudandus, nec vituperandus, nisi propter bonum proprium & intrinsecum: sed nobilitas parentum est extrinseca filio: igitur &c. Consequentia patet, Et major est Boëtii. Secundò stat parentes esse nobiles, & filios vitiosos: igitur &c. Patet consequentia, quia soli boni homines sunt laudandi. *Arguitur.*

In oppositum arguitur: quia politia bene regulata permittit, tales filios honorari propter nobilitatem: &c. patet consequentia, quia nisi sic, politia hoc non permitteret, eò quòd nihil facit sine bona ratione. *In oppositum.*

Pro intellectu quæstionis. Notandum est quòd ex bonis parentibus nascuntur boni filii initiativè seu inclinativè: licet non in actu perfecto. Ista suppo-

tio patet ex priùs dictis: quia bona complexio valet ad nobilitatem animæ. Et dicitur [non in actu perfecto:] quia acquiritur virtus ex propriis actibus.

Secundum. Secundò notandum, quòd titulus dubitationis potest intelligi dupliciter. Uno modo quòd sint laudandi sicut boni & virtuosi. Secundò, non tanquam boni formaliter, sed tanquam signum bonitatis: quemadmodum laudamus urinam: scil: quia monstrat sanitatem.

Tertium. Tertio notandum est, quod nobilitas est duplex. Quædam est dicta simpliciter, quæ consistit in bonis animæ virtutibus: Alia est Metaphorica, quam communes & populares vocant nobilitatem.

Nobilitas duplex.

Quartum. Quartò notandum est: quòd licet solum boni sint laudandi, scilicet quia sunt digni honore. Verumtamen aliquando alii sunt laudandi: non quia digni honore, sed in ordine ad aliud: ut si Sacerdos habeat principem vitiosum, debet ipsum corrigere coram communitate.

Prima conclusio. Tunc sit hæc prima conclusio: Filii non sunt laudandi tanquam boni secundum se propter nobilitatem parentum. Patet, quia filii non sunt secundum se boni propter nobilitatem parentum.

Secunda. Secunda propositio: Filii sunt laudandi tanquam signa bonorum propter nobilitatem parentum: patet, quia filii bonorum parentum repræsentant bona signa propter nobilitatem parentum.

Ex quo sequitur, quòd illi errant, qui filios laudant, tanquam secundum se bonos, propter nobilitatem parentum, & sic patet responsio.

Ad rationes dubii. Ad rationes, prima est pro prima conclusione. Ratio post oppositum est pro secunda conclusione.

Secundum dubium. Secunda dubitatio. Utrum aliquo modo sit concedendum, ingenuitatem sive nobilitatem esse in exterioribus?

Arguitur in oppositum. Et Arguitur quòd sic auctoritate Senecæ dicentis: quòd *nobilitas nihil aliud est, quam divitiæ inveteratæ.*

In oppositum arguitur: Felicitas non consistit in illis: igitur &c. Consequentia patet, quia nobilitas est ex bonis animæ.

Primum notabile. Pro solutione notandum primò est: quòd nobilitatem consistere in bonis exterioribus potest intelligi dupliciter.

Uno modo quòd insit nobilitas arguitivè, scil: quia in tali prosapia fuerunt avi & proavi divites de linea in lineam, & tunc bene diceretur sive arguitur: quòd divitiæ sunt benè acquisitæ, & tunc dicitur nobilis.

Secundum. Secundò notandum est, quod divitiis exterioribus secundum se consideratis contingit bene uti, & malè moraliter. Et ideo dicit Philosophus primo Ethic. quod propter divitias multi perierunt, & etiam divitiæ ordinatæ ad proprium finem & regulatæ sunt bonæ, & ipsis, ut sic non contingit malè uti.

Undè dicit Philosophus quinto hujus: quod divitiæ ornamenta sunt virtutum, intelligit de divitiis quibus acquiruntur necessaria ad vitam, appetitus talium non est in infinitum, & ille est naturalis.

Prima conclusio. Istis positis sit prima conclusio: quod in divitiis exterioribus secundum se consideratis & bonis naturalibus non consistit vera nobilitas. Patet, quia ipsis ut sic contingit benè & malè uti, & sic non est ibi libertas: ergo nec nobilitas.

Secunda. Secunda conclusio. Divitiæ exteriores ordinatæ ut debent ordinari, etiam bona naturalia sic ordinata pertinent ad nobilitatem organicè. Ista conclusio est Philosophi.

Tertia

Tertia conclusio. Nobilitas Metaphorica consistit in bonis exterioribus sive in bonis naturæ. Ista conclusio est de intentione Senecæ dicentis, quòd divitiæ antiquatæ sunt nobilitas, & sic patet responsio ad dubium: *Tertia.*

Ad rationes. Ad primam cum dicitur, nulla nobilitas est, nisi illa quæ est à virtute. Concéditur de vera nobilitate. Et cum dicitur virtus non est à natura rerum est in actu perfecto: sed benè inclinativè, quia dicit Philosophus, quòd quidam inclinantur ad virtutes. *Ad rationes. Quæstionis.*

Ad secundam, cum dicitur, si sic, sequeretur &c. Dicitur quòd ratio benè arguit: quia licet filii bonorum parentum debeant laudari tanquam signa, non tamen secundum se.

Ad tertiam dicitur, quod ratio bene arguit de vera nobilitate, quæ est ex intrinseco bono.

Ad quartam dicitur, quod à forma & à materia inclinativè.

Ad quintam negatur consequentia. Et ad Senecam dicitur quod loquitur de nobilitate arguitivè, ut dictum est: quia illi sunt laudandi arguitivè. Etiam posset dici: quòd loquitur de nobilitate impropriè dicta, & vulgari.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione. Et pro dictis in notabilibus & dubitationibus.

QUÆSTIO X.

De servientibus hominis.

QUæritur decimo. Utrum plantæ & animalia alia ab homine sint propter hominem facta, vel gratia hominis. *Arguitur.*

Et Arguitur primò quod non: quia plantæ & alia animalia ab homine sunt gratia suarum operationum igitur &c. Patet Consequentia, quia homo non est operatio plantæ. Et Antecedens est Philosophi. 2. cœli. Omne habens opus est gratia illius operationis.

Secundo homines uti plantis & animalibus non est bonum plantarum & animalium: igitur. Consequentia patet: quoniam si ita, esset quod homo esset finis illorum, sic eis uti esset bonum: igitur. Antecedens apparet: quia cum homines utuntur plantis & animalibus, destruuntur plantæ & animalia.

Tertio sic, Plantæ & alia animalia ab homine frequenter nocumentum inferunt homini: igitur. Consequentia patet. Et Antecedens de multis feris, & animalibus venenosis, & de multis malis plantis.

Quartò. Nam si sic, sequeretur quod homo non esset perfectior plantis, & aliis animalibus. Consequens est falsum. Et probatur consequentia: quia sic esse hominis dependeret à plantis, & aliis animalibus in suo esse, & dependens est minus nobile, quam illud à quo dependet: igitur sequitur propositum.

Oppositum est de intentione Philosophi dicentis hic in primo, quòd omnia alia animalia ab homine sunt gratia hominis. Et secundo Physicorum, ubi dicit, quod nos sumus quodammodo finis omnium. *In Oppositum.*

In ista quæstione erunt tres Articuli. In primo videbitur de Quæstione principali. In secundo, utrum aliqua alia animalia ab homine

mine diversificentur ab homine secundum diversitates ciborum. In tertio Articulo erunt dubitationes.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum præmittuntur duæ suppositiones. Prima est: quod minus perfectum ordinatur ad magis perfectum tanquam in finem suum,

Primum notabile. Et hoc dicit Philosophus quòd deterius est gratia melioris: etiam dicit Philosophus quòd omnia alia à Deo in ipsum Deum tanquam in finem principaliter ordinantur. Ex illo sequitur quòd non valet consequentia, *a* magis est necessarium quam *b*: ergo *a* est nobilius vel melius *b*.

Secundum. Secundo notandum est: quod in omni genere entium est semper unum principalissimum & perfectissimum, ad quod omnia alia ejusdem generis habent scribibilitatem. Patet illa suppositio inductivè. Ideò dicit Philosophus quod in genere motus, est unus qui est omnium aliorum mensura.

Ex illo sequitur corollariè, quod Philosophus purè naturalis habet concedere, quod in tota ordinatione generum animalium est unum ens independens. Et ulterius sequitur, quòd naturalis habet ponere naturaliter loquendo sine fide unum primum independens.

Tertium. Tertio notandum est: quod ut in pluribus plantæ & animalia sunt nutrimenta ex quibus homo nutritur mediatè vel immediatè, quæ immediatè transeunt in nutrimentum.

Quartum. Quartò supponitur quod natura non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis.

Ex quo sequitur corollariè: quod natura nunquam intendit monstrum, duodecimo Metaphysicæ: quoniam natura ordinatè agit.

Quintum. Quintò sciendum est: quod in aliqua specie quanto individua sunt perfectiora, tanto pluribus indigent ad sui perfectionem. Patet: quia illa est causa quare post nativitatem puer statim non ambulat.

Sextum. Sexto sciendum est: quòd natura semper in suis operationibus procedit à minus perfecto ad magis perfectum, vel ab imperfecto ad perfectum: ideo dixit Philosophus, quod posteriora via generationis sunt priora via perfectionis. Idem apparet in artificialibus.

Septimum. Septimo notandum quod natura semper in suis operationibus intendit ad decorem totius universi; ad quem decorem requiritur subordinatio entium totius universi, & ob hoc natura abhorret vacuum.

Octavum. Octavo supponitur: quod inter entia illa quæ sunt cognitiva sunt perfectiora & nobiliora aliis non cognitivis. Et illa quæ sunt cognitiva intellectualiter sunt nobiliora non cognitivis tali modo. Patet: quia cognoscere est principalissimum; Modo quantum aliquid magis participat cum illo primo ente tantum dicitur nobilius.

Ex quo sequitur corollariè: quod inter omnia animalia homo est nobilissimum. Patet: quia cognoscit intellectualiter.

Etiam sequitur corollariè, qd non valet consequentia. Hoc est magis durabile, ergo est perfectius. Patet, quia materia prima est infinitæ durationis, quia est perpetua secundum Philosophum: & tamen est minimæ perfectionis: ut dicunt naturales Philosophi.

Conclusio responsiva. His notatis ponitur Conclusio responsiva, quod plantæ & animalia alia ab homine sunt gratia hominis, & propter hominem. Probatur, quia plantæ & animalia

nimalia alia sunt res minus perfectæ, quam homo: igitur sequitur quod ordinantur ad hominem tanquam ad finem. Patet consequentia per suppositionem. Et Antecedens patet ex dictis. Secundo probatur. Natura nunquam deficit in necessariis: modo homo ad suum esse indiget nutrimentis: igitur natura debuit ordinare nutrimentum pro ipso, & talia sunt plantæ, & animalia, igitur &c.

Tertio sic. Plantæ ordinantur in bruta, ut inde possint vivere, & bruta in animalia, & non in alia quam in homines: igitur &c.

Quarto sic, homo ordinatur ad plantas, vel ad bruta, velè contrà: sed homo non ordinatur ad bruta vel plantas: igitur &c. *Corollaria.*

Ex isto sequitur corollariè: qd si homo ordinet plantas, & alia animalia ad alium finem, quam ad vitam hominis: ille homo non eis utitur, sed abutitur: Patet quia quis dicitur alio abuti quando non ordinat illud in proprium finem.

Secundo quod si homo ultra sufficientiam utatur plantis vel animalibus brutis, ipse eis abutitur ut prius.

Tertiò sequitur corollariè: quòd ille qui vendit plantas & animalia bruta finaliter propter habere pecunias eis abutitur.

Quartò sequitur, quòd pecunia campsoria non est naturalis, patet, quia non ordinatur in proprium finem naturalem.

Quintò sequitur, quòd inter omnes divitias naturales plantæ & animalia alia sunt perfectiores dititiæ. Patet, quia ordinantur in finem, in quem debent ordinari, igitur.

Quantum ad secundum videndum est utrum vitæ animalium diversificentur secundum ciborum diversitates: quia dicit Philosophus secundo capitulo quod differentiæ ciborum differentes vitas animalium fecerunt. Et arguitur quòd non, quia vitæ sunt priores diversitate ciborum: igitur &c: & patet consequentia, quia priora non dependent à posterioribus. Et antecedens apparet quia semper prior est vita quam diversitas illius, sed non causatur per illud quod est in potestate sua: igitur. patet consequentia. Et Major & minor apparet, quia alimentum est in potestate animalis. *Secundus articulus. Dubium. Arguitur.*

Oppositum est de intentione Philosophi in loco prælegato. *In oppositum.*

Pro intellectu quæstionis sunt aliqua notanda. Primo notandum est quod hoc nomen [vita] tribus modis capitur: uno modo pro principio operationum vitalium: & sic anima est vita: secundo pro operatione vitali: & sic dicit Philosophus secundo de anima, quod appetere est vivere prout appetitus viventis inclinatur ad vitæ necessaria, & sic capit Aristot: quinto Ethic: dicens, quòd illud quod aliquis maximè appetit dicetur vita sua. Et exemplificat, sicut venator appetit venare & Philosophus philosophari, & hoc modo capitur in proposito: scil: utrum viventia habent diversitatem inclinationum secundum diversitatem ciborum. *Primum notabile. Triplicitèr capitur vita. Secundum,*

Secundo notandum est, quod non est possibile naturaliter animal diu vivere sine cibo. Patet ex Philosophia: quia cito humidum radicale consumeretur, nisi alimentum præstaret.

Ex isto sequitur quod cibus ordinatur ad vivere.

Tertio notandum est, quòd animal naturaliter appetit illud sine quo non potest diu vivere. Patet per Philosophum secundo hujus. Et probatur ratione: animal appetit vivere, & permanentiam: ergo inclinatur ad illud sine quo non potest vivere. *Tertium.*

Videtur

Videtur ſecundo etiam, animalia pugnant propter cibum: ergo &c.

Quartum. Quarto ſciendum eſt, quod animalia ſunt duplicia, quædam ſunt quæ vivunt ſimpliciter, ut animata rapacia, ut lupi, vulpes, & illa dicuntur animata vaga. Alia ſunt quæ poſſunt convivere, ut oves. Ex iſto ſequitur corollariè quod cum natura non deficiat in neceſſariis, ex notabili ſequitur, quod natura diverſis animalibus dedit diverſum modum acquirendi nutrimenta. Patet, nam natura dedit aliquibus animalibus quod debent ſimul vivere, aliis oppoſitum.

Duplicia animalia.

Quintum. Quinto ſciendum eſt, quod ſecundum diverſitatem complexionum ſequitur frequenter diverſitas potentiarum inclinantium animam. Patet, quia ſecundum diverſitatem complexionum ſequitur diverſitas inclinationum potentiæ animæ. Et hoc etiam dicit Seneca, quod educatio facit mores.

De diverſitate complexionum.

Sextum. Sexto notandum eſt, quod ſecundum diverſitatem finium oportet eſſe diverſitatem ordinatorum in illum finem; patet, quia ſecundum exigentiam finis omnia ordinantur.

De diverſitate finium.

Septimum. Septimo notandum eſt, quod quanto vires animæ habent organa magis diſpoſita, tanto inclinantur magis ad virtuoſas operationes concupiſcendas. Patet per Philoſophum in littera, quia anima ſequitur corpus.

Prima concluſio. Iſtis notatis ſit prima concluſio. Capiendo vitam primo modo vel ſecundo, vita non diverſificatur ſecundum diverſitatem ciborum. Iſta propoſitio probatur per primam rationem ante oppoſitum.

Secunda. Secunda concluſio. Capiendo vitam tertio modo, vitæ animalium diverſificantur ſecundum diverſitatem ciborum. Probatur iſta propoſitio. Nam ſecundum ciborum diverſitates diverſificantur complexiones animæ: & ad diverſitatẽ cõplexionũ ſequitur diverſitas inclinationũ. igitur &c. Antecedẽs patet ex dictis.

Corrolariè. Ex quo ſequitur ulterius, quod quantum eſt ex parte complexionum & ciborum, illi qui delicate nutriuntur habent nobiliores & laudabiliores operationes animæ. Et ideo dicit Philoſophus: quod filii divitum & regum ſunt nobiliores quoad animam & corpus.

Secundò ſequitur corollariè: quòd intellectus humanus ſeu voluntas inclinatur aliquando magis ad aliquas operationes, quàm ad alias.

Tertiò ſequitur corollariè, quòd benè nates ſi nutriantur delicatè facile eſt operationes bonas facere. Et dicuntur benè nati, qui juſti ſunt. Ulteriùs concluditur, quòd filii nobilium & divitum ſi vitioſe operantur, magis debent increpari quam alii. Patet, quia ſunt magis inclinati ad bene agere, & ſic cum majori motivo peccant, quam alii qui non ſunt filii divitum.

Tertius Articulus. Quantum ad tertium articulum movendæ ſunt dubitationes. Prima, utrum aliquis poſſit appetere malum? Secunda eſt, utrum quodlibet animatum quodlibet inanimato ſit perfectius.

Primum dubium. Ad primum dubium, arguitur quòd ſic: nam homo aliquando appetit mori, & taliter mori malum eſt. igitur conſequentia patet, & antecedens apparet de obſtinato.

Arguitur. Secundo, incontinens appetit fornicari, & hoc eſt ſibi malum: igitur patet conſequentia, & antecedens eſt notum.

Tertio, aliquod agens appetit alicujus effectus corruptionem. igitur. Patet conſequentia, quia generatio unius eſt corruptio alterius. Et antecedens notum eſt.

In

In oppositum est Philosophus primo Ethicorum, dicens, quod omnia bonum appetunt. *In oppositum.*

Pro dubio est notandum, quòd refert dicere malum appetere, & appetere malum ratione mali, de secundo videbitur hic. *Primum notabile.*

Secundò sciendum est quod duplex est malum, scil. malum pœnæ, & illud benè stat cum virtute morali: aliud est malum culpæ, & illud non stat cum virtute. *Secundum.* *Duplex malum.*

Tertiò est sciendum, qd quandocunque aliqua duo adinvicem comparantur quæ sunt mala, si seorsum capiantur, minus malum habet rationem boni in respectu secundi mali; ideo dicit Philosophus, quòd de duobus malis minus malum est faciendum. *Tertium.*

Quartò sciendum est, quod in homine vitioso semper est defectus in judiciis, ideò dicit Philosophus secundo Ethic. quod omnis malus est ignorans: quia in tali homine ratio subjicitur appetitui, & ideo ratio non dominatur. *Quartum.* *Defectus judicii in vitioso.*

Quintò sciendum est, quòd nihil est objectum appetitus, nisi sub ratione bonitatis alicujus, vel eligibilitatis: apparet, quia omnis appetitus, vel est naturalis, vel est animalis: si animalis, sic fit ratione eligibilitatis: si naturalis, tunc semper fit ratione bonitatis, cum dirigatur ab agente infallibili. *Quintum.*

Sextò notandum est, quòd licet ens & bonum convertantur, tamen bonum denotat eligibilitatem, & ens nihil connotat. *Sextum.*

His positis ponitur conclusio assertiva. Nullus potest appetere malum sub ratione mali. patet, quia nullus potest appetere nisi illud quod habet terminare proprium objectum appetitus, & illud est bonum ratione eligibilitatis: igitur. Patet consequentia, & antecedens ex dictis. *Conclusio assertiva.*

Secunda conclusio appetitus frequentes ferunt in malum, tamen hoc non est sub ratione mali, patet illa propositio de obstinato. *Secunda.*

Ad rationes. Ad primam dicitur, quod illud mori apparet sibi bonum. igitur illud mori appetit ratione eligibilitatis, & boni. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam dicitur de incontinente, quòd non est possibile quod aliquis habeat actualem scientiam hæc hoc, quòd fornicari est malum, & quòd actu illo tempore fornicetur. igitur dicitur, quòd sibi videtur quod fornicari est bonum.

Ad tertiam dicitur, quod natura est duplex, quædam est particularis, scilicet forma hominis, & illa appetit permanentiam: alia est universalis, scil. intelligentia universalis, & illa benè appetit corruptionem entis particularis.

Secundum dubium. Utrum quodlibet animatum quodlibet inanimato sit perfectius. *Secundum dubium.*

Arguitur quod non: quia cœlum circumscripta intelligentia est inanimatum, & est perfectius quolibet animato: igitur &c. Consequentia & major est nota. Et minor apparet, quia circumscripta intelligentia adhuc cœlum est perpetuum, & illud est nobilius. *Arguitur.*

Oppositum arguitur ex primo antiquo, quod cibus facit vitas differentes &c. *In oppositum.*

Pro quo notandum est: quod diutior duratio & permanentia non arguit majorem perfectionem, ut patet de lapide, qui diutius durat quam homo, tamen non est perfectior homine. *Primum notabile.* *De duratione.*

Secundo notandum est, quod quanto ens in pluribus participat de primo ente, tanto est perfectior. Patet satis. *Secundum.*

Tertiùm. Tertiò notandum est, quòd esse perpetuum non est prædicatum simpliciter perfectionale. sed bene perpetuum independens, & tale non est cœlum, & sic sequitur corollariò, quòd differunt primum ens sive Deus, & perpetuum, & cœlum.

Conclusio responsiva. His positis sit conclusio responsiva, quodlibet animatum quolibet inanimato est perfectius. Patet, quia animatum in pluribus prædicatis participat cum primo ente, quia in animatum est gratia animati: igitur &c.

Ad rationes quæstionis. Et tunc ad rationes ante oppositum. Patet solutio ex dictis.

Ad primam negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quòd non est inconveniens quòd unius & ejusdem sint plures fines subordinati.

Ad secundam dicitur quòd est malum. quod negatur particulariter: sed non quod negatur universaliter.

Ad tertiam conceditur, quòd multa sunt animantia &c. Negatur consequentia. quia licet illa animantia homini noceant: tamen illa sunt gratia multorum animalium quæ sunt gratia hominis immediatè.

Aliter dicitur quòd sunt propter hominem. quia licet noceant, tamen sunt propter hominem, eò quòd homo debet in hoc considerare suam fragilitatem, ut cognoscat suum creatorem.

Ad quartam negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quòd hoc non est inconveniens, quod homo sive esse hominis dependeat ab aliis animalibus unquam à causa materiali, quia sunt nutrimenta hominis: sed non in causa efficienti: quia sic solum dependent à deo.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO XI.

De commutatione monetarum.

QUæstio undecima. Utrum mutatio & commutatio monetarum in Politia bene recta sint licitæ.

Arguitur. Et Arguitur primò quòd mutatio monetarum sit illicita, quia illud est illicitum per quod veniunt seditiones & jurgia: sed hoc est per mutationes monetarum, ergo &c. Consequentia est nota, & major similiter, minor patet per experientiam. quia tunc fiunt oblocutiones & murmurationes, lites & querelæ contra principem & dominum.

Secundò sic, illud est illicitum in Politia, per quod bonum commune diminuitur, & bonum singularis personæ augetur: sed hoc est propter mutationem monetarum. igitur. Major est nota, & minor patet, quia quandocunque est mutatio monetarum, tunc bonum domini augetur, & bonum commune deminuitur.

Tertiò sic, illud est illicitum in politia quo existente seu non existente adhuc haberetur finis ad quem moneta ordinatur: sed hoc fit per monetarum mutationem. igitur &c. patet consequentia, major est nota, & minor apparet, quia finis monetæ est commutatio bonorum, & talis potest fieri mediante una sola moneta.

Quarò

Quartò sic: omnis novitas est nociva in politia quæ non sit propter necessarium: sed mutatio monetarum est novitas quæ non sit ex causa optima & necessaria, igitur. patet consequentia. & major patet in morali Philosophia, minor apparet, quia mutatio monetarum fit propter utilitatem dominorum.

Deinde arguitur, quòd mutatio monetarum sit illicita, & maximè campsoria, & arguitur sic, mutatio campsoria sit præter usum, & ordinem naturæ pecuniæ, igitur &c. consequentia patet, & antecedens patet, quia ordo naturæ pecuniæ & proprius finis est commutatio bonorum aliorum: modò campsoria ars sive commutatio de pecunia dat pecuniam pro pecunia, & per consequens sit abusus.

In oppositum.

Oppositum arguitur. commutatio & mutatio monetarum permittuntur in politia bene recta, igitur &c. patet consequentia, illicitum non permittitur in recta politia. Et antecedens patet per experientiam. In quæstione erunt tres articuli. In primo videbuntur aliqua de institutione monetarum, & ejus esse. In secundo videbitur quot modis potest fieri commutatio & mutatio. In tertio respondebitur ad primum.

Primus articulus.

Quantum ad primum articulum. sist notandum, quòd sicut sunt quatuor causæ aliorum effectuum, ita monetæ sunt quatuor causæ, scilicet efficiens, materialis &c. Causa materialis est illa de qua sit moneta, & talis materia debet esse rara, & preciosa: quia sub parva quantitate debet esse magni valoris. Causa finalis est quatenus homo per monetam possit habere illa quæ sunt necessaria vitæ. Causa formalis est figura monetæ, & signum ponderis monetæ tanti vadoris. Causa efficiens est principalis qui habet politiam gubernare, vel congregatio civium. Et istis sequitur corollarie quòd ordinare monetas ad alium finem quam ad commutationem bonorum naturalium est moneta abusi. Secundò sequitur quòd materia quæ de facili repetitur, & in qua homines in plenitudine abundant, non est sufficiens materia monetæ. patet quia debet esse cara, &c. Tertiò sequitur, quòd si moneta non sit de materia rara, & preciosa, & quòd non habeat tantum pondus & valorem quantum debet habere, tunc moneta non est rectè ordinata.

Primum notabile.

Quatuor sunt causæ monetæ.

Secundum de utilitate monetæ.

Secundò sciendum est, quòd toti politiæ convenit habere monetam diversorum modorum, & variæ materiei. Patet, quia aliquando oportet ire mercatores ad longinquas partes, & sic oportet eos habere monetam nobilis materiæ citò portabilis.

Tertium.

Tertiò sciendum est, quòd materia monetæ nobis dupliciter demonstratur. Uno modo per naturam. ut apparet de mineris & auro quod invenitur. Alio modo per artem alchimiæ quæ habet mutare unam speciem in aliam. Et circa istud notabile sunt tres propositiones.

Prima conclusio.

Prima propositio est. Ars alchimiæ est simpliciter inutilis, ad faciendum materiam monetæ. patet quia illud est inutile per quod materia monetæ perdit suam vim, & hoc est per artem alchimiæ. Patet consequentia, & major & minor apparent: quia sic materia monetæ fieret communis, & non rara.

Secunda.

Secunda propositio: Ars alchimiæ meritò à legislatore prohibetur, probatur, quia illa ars est prohibenda, per quam bonum commune tendit ad præjudicium: sed hoc est per artem alchimiæ. consequentia patet. Major & minor apparet, quia præjudicium politiæ est quòd malos habeat pecunias multas.

Tertia.

Tertia propositio potest concedi, quod natura prohibet artem alchimiæ. Patet, quia

quia naturaliter alchimistæ multi sunt pauperes facti. igitur &c. Patet consequentia, quia natura multa ordinavit quæ non debent fieri.

primum dubium. Sed tunc sunt dubia. Primum est, utrum institutio pecuniæ & monetæ sit necessaria in politia.

Secundum. Secundum est. utrum multitudo pecuniarum sint veræ divitiæ.

Arguitur. Et arguitur de primo dubio quòd non, quia si sic, hoc maximè esset propter hoc quòd fieret commutatio bonorum: sed hoc non. igitur, patet consequentia & major ex dictis, & minor apparet, quia homo posset bladum pro vino &c. Item institutio talis est voluntaria. igitur &c.

Primum notabile necessarium duplicater. Pro illo primo Notandum est, quòd licet necessarium capiatur multipliciter, tamen capitur hic pro illo sine quo non potest bene & ordinatè finis acquiri.

Secundum. Secundò notandum est, quòd bene & ordinatè per mutationem bonorum naturalium non fit finis monetæ. Patet, quia mercatores habent ire ad diversas partes ad quas non possunt semper portare secum bona naturalia. Ex his sequitur conclusio responsiva, quòd institutio pecuniæ est necessaria: patet ex dictis.

Conclusio responsiva. Et ad rationes, ad primam dicitur negando minorem, quia difficile est quòd mercatores portarent bona sua secum. Et ad secundam dicitur, quòd necessarium capitur alio modo, ut visum est.

Ad rationes. Ad secundum dubium. arguitur quod sic, quia dicimus hominem divitem habentem divitias esse felicem.

Secundum dubium. arguitur Secundò sic, illæ sunt veræ divitiæ sine quibus non potest haberi bene finis pecuniæ. Ideo dicit Philosophus quòd in usum est fide-jussor hominis.

In oppositum. Oppositum arguitur. Illæ non sunt veræ divitiæ pro quibus stat homines perire fame: sed hoc est per multitudinem pecuniæ. igitur &c. Patet consequentia, & major & minor apparet de quodam Calibe, qui petiit quod quicquid tangeret fieret aurum, quo habito periit fame.

Primum notabile. Pro illo est notandum quòd ille propriè dicitur dives, qui est sibi ipsi sufficiens ad vitæ sufficientiam. Ex hoc sequitur corollariè, quòd ad hoc quòd sint veræ divitiæ, requiritur quòd ordinentur ad necessitatem vitæ.

Secundum. Secundò notandum est, quòd titulus quæstionis potest intelligi dupliciter. Uno modo. utrum multitudo &c. sint veræ divitiæ per se. Alio modo utrum sint veræ divitiæ per accidens. Prima propositio: multitudo pecuniarum non sunt veræ divitiæ per se. patet per rationem Philosophi post oppositum. Secunda conclusio. multitudo pecuniarum sunt veræ divitiæ per accidens. patet per rationem secundam ante oppositum. Ex istis sequitur corollariè, quòd solum divitiæ naturales sunt veræ divitiæ de per se. patet, quia sufficiunt ad vitæ necessitatem.

Prima conclusio. *Secunda.* Ad rationes post oppositum. Ad primam dicitur, quòd illæ sunt veræ divitiæ quia à multis sapientibus & prudentibus appetuntur: sed sic non est de multitudine pecuniarum.

Ad rationes dubii. Ad secundam dicendum est.

Secundus articulus, de mutatione monetæ. Quantum ad secundum articulum. Videndum est de mutatione pecuniarum, & quot modis fit, & in quibus casibus sit illicita & licita.

Primum notabile. circa materiam monetæ sunt quinque Et primo notandum est, quòd circa monetam sunt quinque considerandæ. sc. materia, pondus, figura, appellatio, & usus. Materia debet esse pretiosa & rara, & quandoque solum modo à natura ministratur, aliquando ab arte, figura sit

impressione imaginis, pondus, quòd sit tanti ponderis & tanti, appellatio, quia sic appellatur, usus quo ipsa utuntur homines in regione tali & tali.

Secundò notandum est quòd circa materiam monetæ potest fieri duobus modis mutatio. Uno modo totalis quando totaliter mutatur, & hoc fit dupliciter, quandoque solum propter voluntatem principis sine hoc quòd civitas meliùs se habeat. Alio modo propter materialia nimis accrescentia, scilicet quia materia nimis communis est & vilis, & talis mutatio est licita. Secundò modo quando est mutatio partialis: scilicet quando materia non est purum aurum: & hoc dupliciter. uno modo solum propter voluntatem principis, sine utilitate communitatis, & sic est illicita commutatio. Alio modo propter utilitatem reipublicæ. i. ad dandum stipendia mercatoribus, & illa est licita. *Secundum. mutatio duplex materia.*

Tertiò notandum est, quòd etiam circa pondus potest fieri multiplex mutatio. scilicet diminuendo & augmentando. illa mutatio quoad diminutionem pretii & sine utilitate communitatis est illicita: sed si materia manet eadem, & pondus diminuitur cum diminutione pretii, tunc mutatio licita est, & non aliàs, ut patet. *Tertium de mutatione ponderis.*

Quartò sciendum est, quòd circa impressionem imaginis de ejus mutatione, circumscriptis aliis non est multum damnum vel commodum pro utilitate reipublicæ. Verum est, si ita est, quòd si figura Principis habeat majorem valorem vel non, tunc figura est bona, alias non. *Quartum. de impressione imaginis.*

Quintò modo sciendum est quod de appellatione, & usu monetæ: scilicet quòd de mutatione eorum non consurgit magnum damnum. *Quintum.*

Sextò sciendum quòd mutatio monetæ etiam quandoque potest fieri: quia quandoque moneta dicitur fortis: scilicet quando pretium augmentatur. Et quandoque debilis: scilicet quando diminuitur pretium, & secundum hoc est videndum. *Sextum.*

Septimò notandum est, quòd ex sola mutatione appellationis monetæ non consurgit magnum lucrum vel damnum, nisi stipendia & impositiones & tributa taxentur secundum talem nominationem. Prima pars satis patet, & secunda patet, quia si sic mutaretur nomen monetæ fieret deceptio & dolus. *Septimum.*

Octavò sciendum est, quòd mutatio monetæ solùm potest fieri licitè a billo qui habet potestatem ordinandi monetam. Patet, quia moneta habet interpretationem à Domino. *Octavum.*

Nonò notandum est, quòd quicquid fit in politia debet fieri ad honorem, & bonum politiæ totius communitatis. Sequitur corollariè, quòd quicunque vacat bono privato in detrimentum boni communis peccat mortaliter. *Nonum.*

Sed tunc est sciendum, quòd duplex est bonum, scilicet bonum simpliciter, id est bonum animæ: & bonum secundum quid, id est bonum corporis. ergo comparando bonum proprium simpliciter cum bono communi secundum quid, bonum privatum est præferendum. Sed comparando bonum privatum secundum quid ad bonum commune secundum quid, bonum commune est præferendum. *Duplex bonum.*

His præmissis quantum ad hoc sit Prima conclusio: ad solum Principem pertinet monetarum mutatio. Patet, quia ad solum Principem pertinet monetam ordinare. igitur &c. Patet consequentia: quia cujus est constituere, ejus est mutatio. Et antecedens notum est, & capitur ibi Princeps non pro uno homine solùm *Prima conclusio.*

lùm: sed pro omnibus qui habent politiam regere.

Secunda. Secunda conclusio. In nullo casu propter bonum privatum, nulla mutatio monetæ est licita: sive apud principem: sive apud quemcunque alium. & hoc maximè ubi mutatio monetæ præjudicaret reipublicæ. Patet, quia illud est valde incommodum. Item propter hoc amicitia perit, & lites generantur. Et dicitur notanter, [ubi præjudicaret utilitati communitatis:] quia si fieret mutatio impressionis, non inde magnum incommodum proveniret.

Tertia. Tertia conclusio. Propter commune bonum in multis casibus licita est mutatio monetæ. Ista conclusio patet, quia aliàs mutatio monetæ non permitteretur in politia bene recta. Sed enumerare omnes modos particulares mutationis monetæ est difficile. sed primò de materia, quoad mutationem, licitum est quod mutetur materia: si ad aliquas partes est defectus materiæ ad habendum stipendia communitatis totius pro utilitate communitatis. Similiter de pondere, si propter diminutionem ponderis non possemus habere multos francos, licitum est mutare pondus.

Dubium. Sed dubium est, nam dictum est quòd ad solum principem spectat mutatio monetæ.

Arguitur. Contra hoc arguitur. stat principem esse injustissimum, & tendere ad bonum privatum. igitur &c. Patet consequentia, quia si sic, politia non debet hæc admittere, & antecedens satis notum est.

Primum notabile. Pro dubitatione primo notandum est, quod loquendo de principe ut talis
Duplicitur efficitur princeps. princeps potest se duplicitèr habere. Uno modo per electionem. Alio modo per hereditariam successionem.

Secundum. Duplex princeps. Secundo notandum est, quòd duplex est princeps, quidam est qui habet potestatem non limitatam, qui non habet legem, ut rex vel imperator. Alius est qui habet potestatem limitatam, ut gubernator, balivus, & similes.

Tertium. Tertiò notandum est, quod in principe habito per electionem si est injustissimus, si constaret, tali non esset obediendum: immò esset destituendus. Patet, quia talis non est dignus honore, quia solus bonus est honorandus.

Prima conclusio. Corollariè sequitur quod nullus est princeps, nisi virtuosus: & est propositio Philosophi dicentis, quod oportet majorem virtutem esse in principe, quàm in subdito. Item princeps debet esse causa virtutis subditi.

Secundò sequitur, quod tyrannus non debet esse princeps.

Secunda. Secunda propositio. Ad solum principem habentem proprietates boni principis spectat mutatio monetæ. Patet, quia talis est dignus.

Tertia. Tertia propositio. Ad vocatum principem non habentem conditiones boni principis non spectat mutatio monetæ. Patet ex prima.

Ad rationes dubii. Ad rationes dicitur, quod talis in isto casu solùm est vocatus princeps, & non est princeps &c.

Tertius articulus. Quantum ad tertium articulum, Respondendum est ad quæstum, & specialiter de mutatione campsoria. utrum illa sit licita.

Arguitur. Probatur primo, quod non. illa mutatio non est justa quæ est justè vituperabilis: sed mutatio campsoria est hujusmodi. igitur &c. Patet consequentia, & major, quia nullum justum est vituperabile. & minor est Philosophi in litera.

Secundo sic, illa mutatio non est justa, vel licita, in qua commutans plus accipit

tipit quàm dat: sed mutatio campsoria est hujusmodi, igitur. Patet consequentia & major, quia hoc non est justum, & minor patet per experientiam, quia campsor plus recipit, quam dat.

Tertiò sic; illa commutatio non est licita, quæ est præter naturam, & violenta: sed mutatio campsoria est hujusmodi, igitur. consequentia patet, & major & minor apparent, quia uti re aliter, & ad alium finem quàm sit ordinata, est abuti re, & præter naturam. sed sic facit ars campsoria. quia dat pecuniam pro pecunia, modò pecunia est ordinata in alium finem. scil. propter vitæ necessaria, scil. vinum, blada &c.

In oppositum. Oppositum arguitur. commutatio campsoria est necessaria ad vitæ necessitatem, igitur. Patet consequentia, quia necessarium ad vitæ necessitatem est licitum. Et antecedens apparet, quia mercatores tendentes in longinquam patriam non possunt carere campsore, ut patet.

Secundo sic; illa mutatio est licita, in qua mutans dat aliquid per suam voluntatem: sed mutatio campsoria est hujusmodi, igitur &c.

Primum notabile. Pro intellectu est primo sciendum, quòd mutatio campsoria est duplex, quædam est ubi campsor plus recipit quàm dat. & alia est, ubi commutans tantum præcisè recipit, quantum dat.

Mutatio campsoria duplex. Secundò notandum est, quod prima commutatio est duplex, nam quædam est ad bonum communitatis politiæ. secunda est ubi pecunia quam commutans recipit non ordinatur in commune bonum, sed in bonum privatum.

Secundum.

Tertium. De valore rei. Tertiò notandum est, quòd valor rei non debet attendi secundum dignitatem rei: sed secundum quod venit in usum humanum: patet, quia frumentum plus valet in dignitate rei, quàm pecunia. patet de se.

Quartum. Quartò notandum est, quòd adhuc valor rei non debet attendi, vel accipi secundum necessitatem ementis vel vendentis: sed secundum necessitatem totius communitatis. Prima pars patet, quia hoc præjudicaret communitati, eò quod emens plus daret, quàm debet erogare, quæ politia multis esset nociva.

Prima conclusio. His præmissis sit prima conclusio. Commutatio campsoria ubi commutans plus recipit quàm dat, & ordinat illud ad necessitatem & bonum communitatis, est licita, probatur conclusio, quia illa commutatio est licita, quæ tendit in commune bonum: sed talis est hujusmodi. igitur &c.

Secunda. Secunda conclusio: commutatio campsoria in qua commutans plus recipit quam dat, & illud ordinat in bonum privatum, est illicita & contra justitiam.

Probatur: illa commutatio est illicita, per quam aliquis habituatur in vitiis, sed per talem commutationem fit hujusmodi. igitur &c.

Tertia. Tertia conclusio: commutatio campsoria in qua commutans plus recipit quàm dat, & illud ordinat in bonum privatum est illicita, & contra justitiam, Patet consequentia, & major & minor apparent, quia in tali commutatione augetur cupiditas quotidie communitatis. Et hoc est quod dicit Seneca, *quanto plus arserit in congregando pecuniæ proprias, tanto plus concupiscit.*

Quarta. Quarta conclusio. Commutatio campsoria ubi commutans recipit tantum quantum dat, si non sit in præjudicium communitatis, licita est, probatur: illa commutatio est licita in qua servatur æqualitas, & non sit in detrimentum communitatis, seu reipublicæ: sed talis commutatio est hujusmodi. igitur &c. Consequentia patet. & major apparet, quia ibi est justitia distributiva. Et mi-

nor

nor patet de se. Et dicitur notanter, [ubi non fit in præjudicium communitatis & civitatis] quia staret aliàs quòd non esset licita.

Quæstio. Sed tunc quæritur. Utrum in commutatione commutans potest licitè recipere minus quam dat.

Responsio. Respondetur quòd in casu in quo fieret hoc ex ignorantia, scil. quòd non adverteret ad hoc, vel ex malitia. scil. quòd non multum curaretur, scil. ut sui successores non haberent multa bona, talis commutatio non est licita. Prima pars patet, quia hoc fieret in præjudicium alterius. Secunda pars patet, quia in casu in quo hoc facit scilicet ad subveniendum pauperibus, est licita.

Quæstio. Secunda dubitatio. Posito casu, quòd moneta habeat certum valorem in una regione: & tamen in alia regione valeret minus multo. Utrum campsor habens monetam, quæ valet hic minus & alibi plus, in illo casu sit licitum plus accipere quàm dare.

Responsio. Respondetur quod in talibus omnibus commutationibus semper circumstantiæ sunt attendendæ. Si facit propter subvenire aliis, licitum est; si propter augere pecunias, vel præjudicare communitati, illicitum est. His præmissis respondetur ad rationes principales dubitationis.

Ad rationes dubitationis principalis. Ad primam conceditur, quòd est illicita: si commutans plus recipit & illud ordinet in bonum privatum: sed in aliis casibus scilicet ad vitæ necessitatem, vel ad bonum commune est licita.

Ad secundam conceditur: sed dicitur ad minorem quòd omnibus compensatis campsor non plus recipit quam dat. Nam commutans emit bona, & accommodando habet laborem, & diligentiam quæ valent aliquid. Sed bene plus recipit in comparatione pecuniæ ad pecuniam.

Aliter potest dici, negando majorem, cum talis commutatio fiat ad utilitatem reipublicæ.

Ad tertiam, quando dicitur, illa est illicita, quæ est præter naturam, &c. nego minorem.

Pro quo sciendum, quòd ordinare monetam in monetam potest dupliciter intelligi. Uno modo propter ipsam conservare: & talis est abusus. Alio modo non propter pecuniam: sed propter vitæ necessitatem: ut patet de mercatore, qui habet cambire.

Ad rationes post oppositum. Prima arguit pro dictis.

Ad secundam, negatur major universaliter, quòd in casu utatur aliquis ex voluntate plus dat: ut patebit in quæstione sequenti.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes quæstionis.

Ad primam quando dicitur, illæ sunt licita per quæ &c. conceditur major, & etiam minor, quando talis commutatio fit per solam voluntatem principis sine bono motivo, quia tunc homines murmurant.

Ad secundam quando dicitur. Illud est licitum &c. conceditur major: sed negatur minor in aliquibus. Nam commune bonum aliquando augetur propter talem mutationem.

Ad tertiam, quando dicitur, illud non est ponendum, quo &c. conceditur major, si æquè bene haberetur. Et ad minorem dicitur, quòd non semper æque bene, quia aliquando materia est nimis vilis: vel moneta est minus gravis.

Ad

Ad quartam quando dicitur omnis novitas est nociva, &c. conceditur major: & negatur minor. quia in aliquo casu est valde nociva, in alio non.

Ad quintam dicitur, quòd illa ratio est soluta per tertium articulum.

QUÆSTIO XII.

De Usuris.

QUæritur duodecimò. Utrum usura sit licita.

Et arguitur quòd sic. Recipiendo pretium vel pensionem pro pecunia concessa, ultra ejus valorem committitur usura: sed hoc est licitum. igitur &c. Minor probatur, quia omne instrumentum licitè potest poni, vel locari pro certo pretio, ut patet: sed pecunia est instrumentum mutationis. igitur &c. *Arguitur.*

Secundò sic, pro aureo vase licitum est aliquid recipere ultra valorem auri. igitur &c. tenet consequentia, quia aurum est ejusdem speciei semper. Et antecedens est notum.

Tertiò sic, recipiens pecuniam ab aliquo tenetur illi à quo recipit ad retributionem ultra valorem illius: sed sic committitur usura, igitur &c. Major apparet, quia omnis recipiens ab aliquo beneficium tenetur sibi retribuere, quia alias esset ingratus, modò concedens alicui pecuniam facit sibi beneficium, igitur, &c.

Quartò sic arguitur. Nullus potest aliquid licitè facere quod vertitur in suum damnum. Sed in casu alicui concedere pecuniam sine lucro vertitur in suum damnum, scilicet concedentis: ergo est illicitum, & per consequens oppositum licitum. Major patet, quia illud est facere contra charitatem. & minor apparet, quia si concedens pro tempore illo quo debitor pecuniam suam habet eandemmet, multum lucraretur justè.

Quintò sic. Nullus patitur injustum volens dare lucrum: sed debitor recipiens pecuniam ad usuram vult concedenti dare lucrum: ergo illud est justum. Major patet quinto Ethicorum. minor supponitur, quòd recipiens non cognoscitur à concedente.

Sextò sic. Nihil quo alicui subvenitur est illicitum, sed usura est talis. igitur. Major patet, quia cui conceditur pecunia pro lucro, sæpius multis indiget, & propter hoc ditatur.

Septimò sic. In aliquo casu licitum est hominem interficere, igitur. Tenet consequentia: quia multo pejus est hominem interficere, quam usuram committere, quia in primo casu homo omnia bona perdit, in secundo vero non. Et antecedens patet, quia latro justè interficitur.

Octavò, licitum est prædari bona aliorum. igitur. Consequentia nota est. & antecedens patet. quia dicit beatus Ambrosius in libro de officiis. ab illo exige usuras.

Nonò sic. In communi casu jus suum redimere licitum est: sed quandoque non potest fieri nisi committatur usura. igitur. Major apparet. minor declaratur.

posito quòd Sortes teneatur Platoni in aliqua pecunia, nolens sibi satisfacere, nec Plato est potens probare, quo stante videtur, quòd Plato poterit exponere pecuniam suam faciendo usuram, quia non viderur quomodo alias perdit, tamen recuperabit.

Decimò sic. Usura in antiqua lege fuit præcepta: ergo usura de se non est illicita. Antecedens patet Deuteronomii vigesimo octavo, ubi præcipitur quòd Judæi commodent pecunias gentilibus ad usuram, non tamen aliis Judæis. Sed contra.

In oppositum. Oppositum arguitur per Philosophum volentem quòd acquisitio pecuniarum ad usuram est contra naturam, & contra legem.

Et arguitur ratione sic, illud est illicitum per quod directè contemnitur præceptum divinum: sed hoc fit per usuram: ergo. Major nota est de se. Et minor apparet. contra præceptum divinum est recipere rem alienam invito domino, modò hoc fit in usura.

In quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur in quibus rebus committitur usura. In secundo, quibus communitatibus, & quomodo & qualiter committitur. In tertio, de quæsito.

Primum notabile. in re possessa sunt duo. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd in re possessa sunt duo consideranda: scilicet substantia rei, & usus rei: ut substantia domus & habitatio domus in domo.

Secundum, est duplex usus rei. Secundò notandum est, quòd usus rei possessæ est duplex, quidam est proprius ad quem talis res possessa ordinatur propriè, alius communis, qui non est proprius illius rei: imo convenit cuilibet alteri: ut commutatio equi est usus communis equi. Proprius autem usus ejus est equitare: quia propter illum usum est factus principaliter.

Tertium de usu pecuniæ. Tertiò supponendum est, quòd proprius usus pecuniæ est commutare cum pecunia res naturales necessarias ad vitam.

Quartum, duplices sunt res possessa. Quartò sciendum est, quòd res possessæ sunt duplices. Nam quædam est sic se habens quòd usus ipsius potest concedi sine substantia illius rei concessæ: sic scilicet quòd dominium non transfertur, & hoc per usum talem, substantia rei non consumitur. Alia est res concessa quæ non potest concedi nisi dominium transferatur, & hoc ideo, quia usus illius rei consistit in consumptione illius rei, sicut de pane, & hujusmodi.

Corollaria de usu pecuniæ. Sequitur corollariè, quòd cum proprius usus pecuniæ consistat in consumptione pecuniæ & dispersione, sequitur, quòd pecunia non potest concedi alteri, quin etiam dominium transferatur de uno ad alium. Secundò sequitur, quòd si ego concederem Sorti quatuor albos, & facta concessione illos quatuor retinerem silenter, committerem furtum, apparet quia jam dominium est translatum. Tertiò sequitur. quòd ubi usus non potest concedi sine substantia, scilicet sine consumptione substantiæ illius rei concessæ, ibi cum translatione usus transfertur dominium.

Prima conclusio. Prima propositio loquendo de re possessa, cujus usus non potest transferri nisi dominium transferatur, si concedens aliquid recipiat ultra valorem talis rei concessæ pro usu talis, committit usuram. Probatur, quia si transfertur dominium, tunc illa res amplius nullo modo est sua: & per consequens recipere aliquid pro usu tali est vendere tempus, & non est vendere id quod suum est: quia ipse amplius nullam proprietatem habet de tali re.

Secunda

Secunda propositio : loquendo de re possessa cujus usus potest transferri sine eo quòd dominium transferatur. Si concedens pro tali usu recipiat aliquid, ipse non committit usuram. Patet, quia ille usus aliquid valeret : & sic illum usum potest vendere. Patet, quia proprietas illius rei adhuc est sua, quia adhuc habet dominium super illa re, & per consequens pro usu illo, potest aliquid recipere ultra valorem illius. Et hæc de primo articulo. *Secunda.*

Quantum ad secundum articulum, Videndum est in quibus contractibus vel in quo contractu usura maximè committitur. *Secundum articulus.*

Et est primò notandum, quòd in generali sex sunt species contractuum : scil. venditio, emptio, mutuatio, permutatio, locatio, & accommodatio. Venditio & emptio sunt inter vendentem & emptorem. Mutuatio inter illum qui mutuat, & qui recipit. Permutatio inter pactum facientes.

Secundò notandum est, quòd in quatuor primis speciebus transfertur dominium de dante in recipientem. In aliis autem non. Primum est notum, scilicet de emptione & venditione, & etiam de permutatione, ut si aliquis permutet vinum contra bladum, & etiam de mutuatione : quia mutuum dicitur quasi meum tuum. Secundum patet, quia usus ad dominium non transfertur. *Secundum de diversitate illorum.*

Tertiò sciendum est, quod usura sic describitur. Usura est ex pacto secreto vel manifesto recipientem obligare ultra sortem. i.e. pretium. Vel usura est obligatio ex tacito pacto vel manifesto, qua recipiens obligatur &c. *Tertium. de definitione usuræ.*

Quartò sciendum est, quòd usura ex triplici radice sive causa committitur. Prima, usurariorum cupiditas. Secunda, recipientis paupertas. Tertia, utriusque illiberalitas. *Quartum. usura ex triplici radice.*

Quintò sciendum est, quòd inter species contractuum, in specie contractus mutui maximè committitur usura. Notabile apparet quia multum respicit pecuniam. modò usura dicitur quasi usus æris, ergò in usu æris maximè committitur usura. *Quintum. in mutuo consistit usura.*

Sextò sciendum est, quòd mutuum potest tribus modis fieri. Primo modo gratis, scilicet quia creditor dat indigenti gratis. Secundo modo sub debita pœna, scilicet concedo tibi tantum per annum ; si non solveris, dabis mihi tanto plus. Tertio modo, quòd pro pacto debitor obligetur ultra sortem. *Sextum.*

Istis notatis sit prima conclusio. In mutuo facto purè gratis nulla fit usura, etiamsi creditor recipiat aliquam luctositatem levem à debitore, si non cogitabat habere illam in dando sibi. Patet, quia talis receptio est justa & meritoria, igitur, patet consequentia, & antecedens notum est. Secunda pars conclusionis patet, quia creditor facit debitori magnam gratiam : ergo debitor tenetur ad aliquam remunerationem, sine obligatione tamen facta. *Prima conclusio.*

Secunda propositio. In mutuo facto sub certa pœna veraciter usura committitur : sed est tamen usura palliata, ut dicit textus. Probatur. quia quantum fuit in creditore non stat quin libenter accipiat pecunias ultra sortem : ergo facit usuram. Patet consequentia. Sed etiam ex parte debitoris committitur usura, nam forte depauperatur sic quòd non potest reddere, & sic obligatur. Item in tali pacto debitor obligat se daturum ultra sortem. *Secunda.*

Tertia propositio. In mutuo facto tertio modo ubi obligatus promittit dare ultra sortem, committitur usura, patet conclusio ex descriptione usuræ. Et hæc de secundo articulo. *Tertio.*

Tertius articulus.

Quantum ad tertium articulum. Videndum est, de quæsito principali in se scilicet utrum usura in aliquo casu sit licita. Et secundo movebuntur dubia.

Primum notabile duplicia mala.

Primò notandum est, quòd mala sunt in duplici differentia: quædam sunt mala licet non essent prohibita: ut dicere malum contra deum, ut dicit Philosophus, quòd quædam sunt mala eò quòd sunt de se talia. alia sunt mala per accidens, quia sunt prohibita, sed non sunt mala ex se: ut non jejunare in quadragesima, & sic de similibus singulis. Ex illo patet, quòd titulus quæstionis potest intelligi dupliciter. uno modo utrum usura sit mala, & illicita ex se: aut utrum sit illicita & mala per accidens.

Secundum de locatione.

Secundò notandum est, quòd locatio propriè convenit rei cujus usus rei potest separari à substantia & dominio rei, ut locatio domus.

Ex illo sequitur corollariè, quòd res cujus usus non transfertur sine dominio, non est locabilis.

Secundò sequitur quòd pecunia secundum rei veritatem non est locabilis: quia non transfertur usus sine dominio.

Tertium recipere ultra sortem dupliciter.

Tertiò notandum est, quòd recipere aliquid ultra pecuniam mutuatam potest intelligi dupliciter. uno modo in relevationem damni, alio modo in acquisitionem lucri.

Quartum usura dupliciter.

Quartò notandum est, quòd usura sive fœnus accipitur dupliciter. uno modo propriè ut descripta est. alio modo impropriè & communiter.

Prima conclusio.

His positis sit prima conclusio. Propositio prima probabilis, quòd in casu quo creditor reciperet pecuniam datam solum in damni relevationem non est usura mala: licet sit mala quia prohibita. Et probatur, quia secundum quod habetur quinto Ethicorum, justum est quòd damnum lucro æquetur, & è contra: sed in tali casu fit adæquatio damni ad lucrum, & è contrà. igitur &c.

Secunda.

Secunda propositio: in casu quo creditor recipit à debitore ultra sortem propter acquisitionem lucri & pecuniæ, est usura illicita, & secundum se mala. probatur primo. Ille contractus est de se illicitus, ubi res quæ non est locabilis locatur: sed hoc fit in tali contractu, igitur. Patet consequentia, & major nota est de se: minor apparet, quia in tali contractu recipit pecuniam ultra sortem.

Secundò, ille contractus est illicitus, ubi aliquis recipit de eo quod non est sui: sed talis contractus est hujusmodi, igitur. patet consequentia, & major est nota, & etiam minor.

Tertiò, ille contractus est illicitus, qui habet ortum ex malis causis & radicibus. Sed talis usura est hujusmodi, igitur. patet major de se & minor patet, ut priùs ex uno notabili.

Quartò, homo est animal civile & sociale: & animali civili naturale est quòd faciat sibi simile de intrinseco, quia si oppositum faceret non esset sociale.

Quintò ex misericordia, quia misericordia est tristitia de malo alterius. ergo si potest debet removere tristitiam.

Sextò apparet, quòd ex parte liberalitatis, quia liberalitas est dare indigenti, ubi, quando, & qualiter oportet: igitur &c.

Septimò ille contractus est illicitus, ubi non servatur finis in appetitu, sed per talem contractum fit appetitus avaritiæ in infinitum. igitur. Major apparet, quia mala est operatio quæ caret fine.

Dubitatio.

Sed dubitatur, Utrum appetitus divitiarum sit in infinitum, Quòd sic patet per Philosophum.

Oppositum

Oppositum arguitur: pecuniæ appetuntur propter aliud. igitur. Patet consequentia: & antecedens apparet per Philosophum: quia inventæ sunt pecuniæ ad habendum vitæ necessitatem.

Primum notabile.

Pro solutione primo notandum est, quod pecunia duobus modis consideratur: uno modo prout ipsa ordinatur in finem propter quem instituta est: & sic pecunia est bonum utile simpliciter. Alio modo pecunia consideratur non in proprium finem, sed propter delectationem & avaritiam, & sic est bonum delectabile per similitudinem.

Dupliciter pecunia consideratur.

Secundum.

Secundo notandum est, quòd si magna inhonestas est appetere bonum honestum, tanquam utile, sic etiam magna perversitas est appetere bonum utile tanquam bonum delectabile per similitudinem.

Tertium.

Tertio notandum: quod appetitus in homine potest dupliciter considerari, quidam est conformis rectæ rationi: quidam difformis.

Dupliciter consideratur appetitus in homine.

Prima conclusio.

Prima propositio, loquendo de appetitu benè regulato appetitus pecuniarum non est in infinitum. Patet propositio, quoniam sic debet appeti sicut bonum utile,

Secunda.

Secunda propositio: loquendo de appetitu difformi rationi, appetitus divitiarum est in infinitum: patet, quia in tali homine sic appetente est perversitas, & sic non est inconveniens quod ordinat bonum utile in bonum delectabile. Et sic secundum istam conclusionem solvuntur rationes. Prima ante oppositum est pro prima conclusione. Secunda post oppositum est pro secunda conclusione. Nunc sunt movenda dubia aliqua secundum istam conclusionem.

Primum dubium.

Et est primum dubium, utrum recipiens pecuniam ad usuram committit peccatum.

Dubium Primum.

Arguitur primo quod sic: omnis recipiens aliquid utile seu commodum quando non oportet, & ubi non oportet, committit peccatum: sed talis recipiens pecuniam ad usuram recipit commodum, quando, & ubi non oportet. igitur &c. Major est nota: & minor apparet, quia recipiens recipit pecuniam in contractu illicito & usurario: ergo recipit ubi & quando non oportet: patet consequentia, & antecedens est notum.

Arguitur.

Secundo sic, omnis dans operam rei illicitæ committit peccatum: sed recipiens hujusmodi pecuniam dat operam rei illicitæ: ergo: Major nota est de se, Minor apparet, quia recipiens consentit in recipiendo usuras.

Tertio sic, omnis ille committit peccatum qui facit proximum suum peccare: sed recipiens pecuniam facit proximum suum peccare: igitur: Major patet de se, & minor apparet, quia nisi ille reciperet pecuniam, usurarius non daret, & sic non faceret usuram: & per consequens propter ipsum facit usuram. Consequentia patet per unam regulam juris, qui per alium facit per se ipsum facere videtur.

In Oppositum.

Oppositum. unusquisque potest suæ necessitati succurrere: sed sic est quod talis recipiens non potest aliter succurrere necessitati suæ. igitur &c. Major nota est de se: Minor supponitur.

primum notabile. sunt duo actus in usura.

Pro intellectu istius primo sciendum quod in commissione usuræ scil: quæ includit pecuniæ traditionem sunt duo actus, scil. intrinsecus & extrinsecus. Intrinsecus est voluntio illius usurarii. Extrinsecus est traditio pecuniæ.

Secundum de actu interiori.

Secundò supponitur quòd peccatum in quocunque principaliter consistit in

actu interiori, & non exteriori: ideo dicunt aliqui, quod actus exterior nihil facit nec addit ad actum peccati.

Tertium de recipiente pecuniam ad usuram.

Tertiò sciendum est, quòd recipiens pecuniam ad usuram, illam pecuniam non recipit merè voluntariè: nam libentius reciperet illam pecuniam sine ulteriori dono.

Quartum, peccatum consistit in actu libero.

Quartò sciendum est, quòd peccatum principaliter consistit in actu non necessario, sed intrè voluntarionr dicit Augustinus, *peccatum non est peccatum, nisi quia volitum.*

Quintum.

Quintò supponitur, quòd concurrens purè passivè ad actum vel contractum illicitum propriè non peccat: patet, quia si aliquis verberatur involuntariè, non peccat. Nunc ponitur talis propositio probabilis: recipiens pecuniam ad usurã non peccat. Patet primò, quia recipiens pecuniam purè passivè concurrit: igitur, patet consequentia, & antecedens. Secundò, quia non purè voluntariè concurrit. Tertiò, peccatum non consistit in traditione pecuniæ, sed principaliter consistit in voluntate eliciente actum dandi & volendi dare, & ad illum actum non concurrebat recipiens pecuniam, igitur &c. Quartò, nam si sic, sequeretur quòd si homo clericum illicitè verberaret, & non cum suis demeritis, sequitur quòd talis clericus peccaret: consequens est falsum, & patet consequentia, quia simili modo se habet sicut recipiens pecuniam.

Notandum.

Unde notandum est quod laicus, aut clericus, aut quæcunque persona percutit monachum, presbyterum &c. talis censetur excõmunicatus, ut habetur in jure canonico titulo de excommunicationibus: sed aliquis replicaret, quod recipiens pecuniam saltem occasionaliter concurrebat, quia nisi fuisset recipiens, usurarius non dedisset pecuniam.

Objectio.

Responsio.

Respondetur, quòd licet recipiens concurrat occasionaliter: tamen hoc non arguit peccatum, quia nisi sic fecisset recipiens, usurarius non dedisset pecuniam, eò quòd usurarius non habet vel habuit voluntatem liberam.

Ad rationes dubii.

Ad rationes. Ad primam negatur major, in casu quod recipiens purè passive se habeat ad illum contractum.

Ad secundam, quando dicitur omnis dans &c. conceditur major, si det operam rei illicitæ, & si concurrat principaliter & actualiter ad illum actum, alias non oportet: ut dictum est & notum.

Ad tertiam, quando dicitur omnis faciens &c. negatur minor. Ad probationem conceditur antecedens, sed negatur consequentia, quia peccatum non consistit in dando, sed in dando voluntariè.

Secundum dubium.

Secundum dubium est: in quibusdam politiis quandoque est consuetum quod balivi & rectores politiæ recipiunt pecunias orphanorum, & tenent quousque fuerunt nutriti usque ad certos annos: & interim dant eis nutrimenta: & in fine temporum reddunt totaliter integram pecuniam. Utrum ille contractus sit usura? Et videtur quod sic: quia ex intentione, ex tali pacto villa obligatur ad reddendum ultra pretium, quia dant nutrimenta & totam pecuniam.

Arguitur

In oppositum.

Oppositum patet, quia ille contractus sit in politia, & bene recta.

Primum notabile.

Pro intellectu est supponendum, quod jure naturali est consonum, quod orphani carentes parentibus vivant de communi, & à communitate gubernentur, quamdiu non habent usum rationis: probatur, quia illud est consonum juri naturali, quod cedit ad honorem totius politiæ. Sed orphanos sic regi est hujusmodi

jusmodi: igitur. Major est nota: & Minor patet: quia orphani consueverunt habere bona à juventute: & sic fierent miseri in senectute: & sic eadem non bene fierent illa quæ debent fieri in politia.

Secundo dicendum est, quod nihil consonum juri naturali sit illicitum. Probatur, quia naturale jus dirigitur ab agente infallibili: & per consequens ad debitum finem. *Secundum.*

Tertio supponitur, quod secundum exigentiam & dispositiones regionum, aliqua sunt licita in una regione, quæ in alia regione essent illicita &c. Probatur, quia legislatores debent regere secundum exigentias regionum: sed illæ exigentiæ sunt diversæ: igitur. *Tertium.*

Conclusio responsalis. In contractu expresso in casu posito non committitur usura. Probatur, quia ille contractus est licitus: igitur. Patet consequentia: & antecedens ex dictis: hoc tamen verum est, quod in casu in quo daretur eis pecunia, ultra vitæ necessaria, & in fine tota pecunia, usura committeretur ex parte dantis. *Conclusio responsiva.*

Ad rationes ante oppositum, in tali casu conceditur antecedens, sed negatur consequentia, nisi in casu in quo receptio fieret ad superfluitatem. Etiam ibi dicitur quod orphani sunt de politia: ergo habent bonum in politia. *Ad rationes dubii.*

Tertium dubium est. Quandoque visum est, quod indigentes pecunia, ad pactum vendebant vina divitibus non statim tradenda: sed post dimidium annum, & nunc si vina plus valerent quam tempore pacti; Utrum ille contractus est licitus. *Tertium Dubium.*

Quartum dubium utrum contractus quo quis emit blada in herbis sit usurarius. *Quartum.*

Quintum dubium est, quandoque divites habentes in bono foro vina dant mutuando pauperibus, ut rehabeant tantum in alio tempore, & anno, credentes quod tunc vina erunt in caro foro: utrum ille contractus sit licitus. *Quintum.*

Pro solutione tertii dubii præsupponendum est, quòd aliquis dans pecuniam mutuò transfert dominium & usum illius. *Primum notabile.*

Secundo præsupponitur, quòd recipiens lucrum de re super qua non habet dominium nec usum, & hoc ex pacto, peccat. Patet quia talis recipit lucrum de re quæ non est sua. *Secundum.*

Tertiò supponitur quod omnia commensurabilia sunt uno, scilicet humanæ indigentiæ. Nam tantum res valet quantum humana indigentia indiget. *Tertium.*

Quartò sciendum est, quod emens tale vinum non statim recipiens potest habere duplicem considerationem. Unam scilicet quod tale vinum tempore traditionis plus valebit quam nunc: aliam scilicet quòd tantum valebit, & non plus. *Quartum.*

Prima propositio probabilis, potest dici quòd talis emens non considerans quòd vinum plus valebit quam quando dedit pro illo, non committit usuram: patet. *Prima conclusio.*

Secunda propositio: si in casu quo emens speraret vinum plus valere tempore traditionis, quam quando dedit, committit usuram: patet, quia in voluntate & affectu recipit lucrum super quo non habet dominium. Etiam patet, quia talis in hoc sperat gravare suum proximum: ergo peccat, & non aliter quam per usuram: igitur &c. *Secunda.*

Ad

Quarti Dubii Responsio. Ad quartum dubium respondetur, quòd probabiliter potest dici, quòd emens blada in herbis non credens decipere suum creditorem non committit usuram: Patet, quia non sperat habere lucrum propter dominium & usum. Item blada possunt pejorari. Item tunc blada non tantum valent sicut blada sicca. Item illa blada possunt eisdem valere alio anno.

Quinti dubii objectio. Ad quintum dubium arguitur, quod non, quia ibi videtur gratiosa commutatio, quia datur vinum pro vino. Item potest servare talis vinum suum, & postea lucrari.

Primum notabile. Pro resolutione istius dubii primò supponuntur, quòd talis potest habere duplicem considerationem; unam scilicet, quod vinum suum putrefiet, vel quòd non tantum valebit secundum suam existimationem; aliam scilicet dando purè liberaliter.

Secundum. Secundò sciendum est, quòd de re cujus usus sine dominio non transfertur pro solo lapsu temporis non potest licitè recipi pecunia, patet, quia oppositum facere est vendere tempus quod non est venale.

Tertium. Tertia suppositio, quòd de re cujus usus sine dominio non transfertur pro sola circumstantia loci non potest licitè recipi pecunia ultra valorem. Et dicitur notanter [sine dominio *&c.*]

Prima conclusio. Primo propositio. si divites dant liberaliter & absolutè, id est simpliciter blada probladis: contractus est licitus. Patet, quia est mutatio gratiosa.

Secunda. Secunda propositio. dives sic videns: si consideret quòd vinum plus valebit, tunc committit usuram. Patet, quia tunc appetit defraudare proximum.

Ad rationes dubii. Ad rationes. Ad primam conceditur in primo casu, quòd est gratiosa mutatio. & in secundo casu negatur, ut notum est.

Ad secundam cum dicitur, talis *&c.* conceditur quòd hoc non esset sine periculo & labore: & tunc absolvitur ab illis. & sic taliter considerando vendens committit usuram.

Ad rationes Quæstionis. Ad rationes quæstionis.

Ad primam quando dicitur recipiendo pensionem, vel pretium *&c.* conceditur major, & minor negatur. Ad probationem, unusquisque potest licitè locare instrumentum, & cætera. Dicitur quòd est duplex instrumentum, quoddam est cujus usus non consistit sine ejus consumptione: & tale non potest locari. Aliud est cujus usus non consistit in ejus consumptione *&c.*

Ad secundam quando dicitur, pro vase aureo vel argenteo fabricato *&c.* negatur consequentia, & dicitur quod non est simile, quia pecuniæ ordinantur per se ad vitæ necessaria. ergo si talis pecunia utatur ad alium finem, fit ejus abusus. modò sic facit usurarius. Sed finis vasorum est potare vel bibere, & talis usus transfertur sine dominio. ergo est diversitas.

Ad tertiam conceditur major, & quando dicitur recipiens pecuniam ad usuram recipit beneficium: negatur illa. Unde nota quòd in beneficio sunt duo considerandæ scil. materia & forma. Materia est res quæ datur, sed forma est modus dandi. unde pactum interveniens permutat beneficium: quia beneficium dicitur quasi gratis datum, & sic negatur minor: quia quicquid recipit, hoc facit ex pacto intervenienti.

Ad quartam quando dicitur, nullus potest alteri facere quod sibi vertitur in præjudicium:

præjudicium: conceditur illa. Et quando dicitur in casu sic est quod concedens pecuniam &c. negatur illa minor. Et quando probatur &c. Dicitur primo, quòd hoc est causale: quia fortè perderet. Sed in dando pecuniam in usuram ipse est certus, quòd non perdet. Item ex alio quia recipit fructum de re super qua non habet usum, nec dominium.

Ad quintam quando dicitur, nullus patitur injustum volens quinto Ethicorum &c. conceditur illa, sed negatur minor, quia ille non est contractus voluntarius simpliciter, quia recipiens liberaliter respicit pecuniam sine recipiendo lucrum.

Ad sextam, quando dicitur nihil est illicitum &c. conceditur illa; si ille contractus fiat sine pacto expresso vel tacito.

Ad septimam, quando dicitur, in bello justum est prædicari &c. Pro illo videndum est quando justo bello recipiens aliquid potest dupliciter considerari. Uno modo quòd recipiat illa propter quæ bella sunt inita, & tunc est licitum: quia illa sunt sua. Alio modo quòd recipiat ista bona propter quæ non sunt bella inita: et tunc non est licitum: & tunc dicitur, quòd non est simile de istis.

Ad octavam, cum dicitur in aliquo casu licitum est interficere hominem &c. negatur consequentia: & causa est, quia usura de se est mala, & non potest bene fieri. Et licet interficere hominem sit majus malum: tamen interficere hominem potest fieri in aliquo casu licitè. Ex quo sequitur, quòd stat quòd [a] est malum per se: & [b] malum per accidens: & [b] pejus quam [a]: ut patet ex dictis.

Ad nonam, quando dicitur, quilibet debet jus suum redimere, & perditum recuperare &c. negatur consequentia, quia non sunt fienda mala, ut inde bona eveniant.

Ad decimam, quando dicitur: in antiqua lege &c. negatur antecedens. Et ad auctoritatem in lib. Geneſi dicitur, quòd ibi usura capitur impropriè & metaphoricè. Ratio post oppositum patet ex dictis.

QUÆSTIO XIII.

De Usuris.

QUæritur decimotertiò. Utrum in politia bene recta & regulata sit admittenda usura?

Et arguitur primò quod non. Illud non est permittendum in bona politia quod est de se pravum: usura est hujusmodi. igitur &c. Patet major de se, minor apparuit in quæstione præcedenti, & in quarto Ethicorum. *Arguitur.*

Secundò sic, rapina & furta non sunt permittenda in bona politia. igitur &c. Patet consequentia: quia usura est quædam species rapinæ: & antecedens est notum.

Tertiò sic, illud non est permittendum per quod politia diminuitur, & etiam consumitur: sed hoc est per usuram. Patet major: quia legislatores debent tendere ad communitatem politiæ, & minor apparet, quia inæqualitas in politia est divisio politiæ. sed per usuram fit inæqualitas, igitur &c.

Quartò sic, in politia ecclesiastica usura non est admittenda. ergo nec in alia politia sæculari. Patet consequentia, quia politia sæcularis debet esse proportionata politiæ ecclesiasticæ: & antecedens est notum.

Quintò sic arguitur, illud non est permittendum per quod cives fiunt vitiosi & deteriores: sed hoc est per usuram. igitur &c. major est nota: & minor apparet, quia secundum quid dictum est, usurarii sunt mali, iniqui, & vitiosi.

Sextò sic. in politia non est permittendum quòd tendit in præjudicium reip, sed hoc est usura. igitur &c. major patet de se. minor apparet, quia quandoque per usuram una tota politia depauperatur, & politia ei contraria ditatur, ut si multi divites venirent ad unam civitatem alienam, & pòst deportarent pecuniam villæ.

In oppositum. Oppositum arguitur per leges Imperatorum Justiniani, & aliorum, qui in suis politiis permiserunt usuras. Secundò, non facere usuram non est præceptum, sed consilium. ergo oppositum ejus non est prohibitum. Patet consequentia per positum: & antecedens patet.

In quæstione erunt tres articuli. Primò videbitur de quæsito principali. Secundò videbitur utrum accipiens ad usuram teneatur servare pactum de reddendo usuram: sed, ultra sortem. In tertio videbitur de diversis modis usurarum.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum est videndum: utrum in politia &c.

Primum notabile. Primò sciendum est, quòd loquendo propriè de permissione, permissio non est nisi de malo: quia bonum non permittitur, sed præcipitur. sed malum permittitur ad evitandum majus malum.

De quo sit permissio. Secundò sciendum est, quòd permittere aliquid in politia solum pertinet ad principem, sive princeps capiatur propriè, sive quocunque modo. Patet, quia permissio debetur illi qui potest punire illum qui aliquid deliquit. Est ergo per-

Secundum notabile. ad quem pertinet permittere. mittere non prohibere quod potest prohibere: modo prohibere pertinet ad principes.

Tertium. duplex permissio. Tertiò notandum est, quòd duplex est permissio: quædam in speciali, & quædam in generali. Permissio in speciali, ut si aliquis magnus in politia fecit homicidium: & judex permittit ne moriatur propter hoc ne fiat pejus. Etiam quædam est permissio specialis in certo tempore. Alia est permissio generalis, quemadmodum mulieres communes & meretrices permittuntur in politia.

Quartum. Quartò sciendum est, quòd frequenter aliquid est aliquibus permissum propter utilitatem earum personarum, & miseriam, & paupertatem aliarum, quod aliis est inhibitum, ut miseris & ribaldis permittitur conversari malis mulieribus, & aliis non. Et de illo dicit Albertus, *quòd propter hoc honestas alicujus potest perpendi.*

Quintum. Regula, quando sit aliquid permittendum. Quintò sciendum est, pro regula generali, quòd illud est permittendum, cum ex ejus prohibitione notabiliter magnum malum eveniret, & in tali casu facere tale opus esset permissum: & in aliis non. Si ergo ad permissi inhibitionem valde magnum malum sequeretur, sic non esset permittendum, nam magnum malum adhuc prohibetur. Sed si ibi contingant duo turpia diligere, neutrum convenit, sed quod minus est turpe diligere.

Sextum. Tria mala ex permissione usuræ. Sextò sciendum est, quod ex permissione usuræ in politia, tria mala concurrunt & eveniunt. Primum est dantis malitia. Secundum est depauperatio recipientis. Tertium est inæqualitas divitiarum in politia, vel nimia hominum

malorum

malorum ditatio. Sed ex prohibitione ejus in aliquo casu valde multa mala eveniunt, & furta; dissentiones & rapinæ, divisiones, mortes, pestilentia, & quidam non habentes pecunias, & debentes alicui solvere furantur.

Sit ergo prima conclusio. In aliquo casu in politia benè & rectè ordinata usura est permittenda. Probatur, quia in aliquo casu ad prohibitionem usuræ multo plura mala eveniunt quam de ejus permissione. igitur. consequentia patet. Antecedens satis notum est. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: in aliquo casu usura non est permittenda in politia bene recta, probatur: quia ex ejus permissione plura mala eveniunt in aliquo casu. Consequentia est notatur si politia esset magis fertilis & dives, quam ad ejus prohibitionem. igitur. consequentia est nota, & antecedens etiam ex dictis. *Secunda.*

Tertia conclusio de permissione, vel etiam prohibitione usuræ in politia: oportet procedere secundum diversas circumstantias locorum, et temporum, et hominum. Ista conclusio sequitur ex duabus præcedentibus. Ex quo sequitur corollariè, quòd oportet prohibentes usuras esse sapientes: et procul videntes de futuris. *Tertia.*

Quarta conclusio, in nullo casu est permittenda usura: nisi propter opprobrium malitiæ usurarii. Probatur, quia usura est de se mala: et permittitur quòd usurarii priventur honoribus et bona fama: et etiam priventur sepultura ecclesiastica. *Quarta.*

Quinta conclusio: non apud omnes homines usura in politia est permittenda, in quemcunque hoc fuerit. Patet, quia Presbyteri nullo modo possunt facere, nec permittere: igitur. consequentia est nota: quia homines debent insequi Presbyteros. antecedens est notum. Et hæc de primo articulo. *Quinta.*

Quantum ad secundum articulum. Utrum pecunias recipientes ad usuras teneantur pactum servare de reddendo ultra sortem. *Secundus articulus.*

Et arguitur quòd non: quia de non dando ultra sortem non obligat recipientem pecuniam ad usuram: igitur. consequentia tenet. quia nullus tenetur aliquid reddere, nisi ad illud obligetur. Antecedens apparet, quia datio illius pecuniæ non fuit licita: ergo nec permissio ad reddendum. Consequentia est nota. Et antecedens est Hieronymi: dicentis. *In malè promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum.* *Arguitur.*

Secundò sic, nullus tenetur solvere illud quod promisit invitus. sed accipiens pecuniam invitus promisit: igitur &c. consequentia tenet. Et major est nota, quia tale non est voluntarium. Et minor probatur, quia accipiens pecuniam libentiùs acciperet reddendo tantum quantum ipse accepit.

Tertiò sic, nullus tenetur præstare alicui occasionem peccandi: igitur &c. consequentia est nota: & major etiam. Sed minor probatur: quia recipiendo dat occasionem peccandi ipsi dapti.

Oppositum arguitur, quia quilibet tenetur facere illud & implere quod se habet quod non faciendo ipse committeret mendacium & perjurium. sed talis accipiens est hujusmodi: igitur. consequentia est nota, & major patet, quia mendacium est contra naturam: minor est nota de se. In isto articulo primo videbitur si datio pecuniæ ultra sortem sit mala, quocunque juramento posito vel circumscripto. Secundo videbitur utrum pactum & juramentum illud quod est de se illicitum fiat licitum & debitum. *In oppositum.*

Primum dubium. Pro primo dubio dicenda sunt aliqua quæ dicuntur probabiliter.

Primum notabile. Et est primo notandum, quod in datione pecuniæ ultra sortem dans pecuniam vel scit illum cui dat publicum usurarium, vel non.

Secundum. Secundò sciendum est, quod liberalitas inclinat ad dandum cui oportet, quando oportet, & qualiter, & quomodo oportet: per Philosophum patet, quia ille est habitus virtuosus.

Tertium. Tertiò supponitur secundum dictamen rectæ rationis, divitiæ sunt instrumenta & organa virtuum seil. mediantibus quibus virtuosi exeunt in suos actus.

Divitiæ organa virtutum. Ista suppositio est Philosophi primo Ethicorum dicentis: impossibile est indigentem & non potentem tribuere esse felicem.

Quartum. Quartò supponitur quod dans pecuniam vel utensilia homini malo quem scit esse malum, peccat: quia talis facit proximum suum peccare, quantum est de se, & si sunt mali fiunt pejores. Item patet, quia dat pecuniam ubi non oportet, & sic facit illiberalitatem. Item ille qui abutitur re peccat: sed talis abutitur pecunia, quia divitiæ sunt organa virtutis; modo dans pecuniam malè, ordinat pecunias in malitiam.

Prima conclusio. Istis præmissis sit prima conclusio. In casu posito quo dans pecuniam non sciret illum esse malum qui sibi pecuniam dedit, nec fuisse intentionis rehibendi ultra sortem in concedendo sibi pecunias, licitum est dare ultra sortem: probatur, quia talis accipit beneficium, vel credit accipere: igitur. Consequentia patet per Philosophum quinto Ethicorum dicentem famulari oportet ei qui gratiam fecit: & Antecedens patet, quia alter sibi concessit pecunias liberaliter.

Secunda. Secunda conclusio est ista. In casu quo accipiens pecuniam scit dantem esse malum, & publicum usurarium, reddere ultra sortem non est licitum: imo est illicitum adhuc præstito juramento: patet primo, quia ibi est illiberalitas, quia datur cui non oportet. Secundò quia abutitur pecunia: & omnis abusio est mala: & quod abutatur pecunia, patet quia pecuniæ sunt ornamenta virtutum.

Secundum dubium. Quantum ad secundum videndum est, utrum juramentum illicitum faciat licitum.

Primum notabile. Primo notandum est, quod actus morales sunt triplices: quidam sunt simpliciter mali, sic quod nullo modo possunt benè fieri, sicut interficere innocentem. Alia sunt de se boni, sic quod non possunt fieri mali, sicut diligere Deum. Alii sunt actus indifferentes, scilicet, qui benè possunt & malè fieri, sicut dare eleemosynam.

Actus morales triplices.

Secundum. Secundo notandum est, quod duplex est illicitum: quoddam est simpliciter malum in se, & de se. Aliud est quod non est malum de se: sed quia prohibitum.

Duplex illicitum.

Conclusio responsiva. Conclusio responsiva: nihil de se malum ex juramento facto est licitum. Probatur, quia malum de se nunquam potest bene fieri: igitur consequentia est nota, & antecedens ex primo notabili. Ex illa conclusione sequitur probabiliter, quòd nulla promissio de re simpliciter mala vel illicita est tenenda, etiam quocunque juramento facto. Patet auctoritate Hieronymi, ubi priùs, *in malè promissis*, &c. Ideo expositores redarguunt Herodem de eo quòd dedit caput Joannis puellæ.

Corollaria. Secundò infertur, quod jurans adimplere rem de se malam, & illicitam peccat,

cat, quia tale juramentum est illicitum & fatuum.

Tertiò infertur quod juramentum ad implendum rem simpliciter malam non est ligativum: patet, quia alias non liceret rescindere fidem in turpi voto.

Quartò sequitur, quòd mutans vel rescindens tale juramentum non committit mendacium vel perjurium, & sic non oportet rescindere fidem.

Ex his sequitur conclusio responsiva ad principale, quòd accipiens pecuniam ad usuram non tenetur solvere ultra sortem, & hoc si sciret illum cui daret esse publicum usurarium. Ex dictis prius sequitur illa propositio: quod rationes ante oppositum sunt solutæ per prædicta. *Responsio ad articulum.*

Ad rationem post oppositum dicitur, quòd ipse non committeret mendacium, nec perjurium: ex dictis apparet.

Quantum ad tertium articulum videndum est de diversis modis usurariorum, variis; ut melius consideratio usuræ videatur. Primo videndum est de comparatione usuræ ad illiberalitatem. Secundo, de modis usurarum. *Tertium articulus.*

Quantum ad primam particulam illius articuli est prima dubitatio. Utrum usura sit pejor illiberalitate, quia primo supponitur quòd illiberalitas sit mala. *Primum dubium.*

Arguitur primò contra suppositum probando quod illiberalitas non sit mala, quia si sic, sequeretur quòd prodigalitas esset virtus: consequens est falsum. & probatur consequentia per regulam topicam, *Si propositum in proposito, & oppositum in opposito.* Secundo sic, nihil inexistens à natura est vitiosum sed illiberalitas est inexistens à natura: igitur. consequentia est nota: & major patet: quia propter tale nullus debet laudari nec vituperari, quia natura existentium nullus aliter assuescit. Et minor patet per Philosophum quarto Ethicorum dicentem. *Videtur autem senectus & omnis impotentia facere illiberales.* Modo senectus est à natura. *De comparatione avaritiæ ad illiberalitatem. Arguitur.*

Tertiò omne vitium est satiabile: sed illiberalitas non est satiabilis: igitur non est vitium: consequentia est nota. Major patet, quia omne vitium per virtutem oppositam satiatur. Minor patet per Philosophum quarto Ethicorum, dicentem, quòd *illiberalitas est insatiabilis.*

Deinde arguitur contra quæsitum. illiberalitas includit usuram: non è contra: igitur &c. consequentia est nota. Antecedens probatur, quia illiberales de facili prolabuntur ad usuram, ut dicit Eustrathius: quòd ut plurimum sunt usurarii.

Secundo sic, quia per illiberalitatem homo non proficit sibi, & aliis: igitur. Consequentia est nota: etiam per illiberalitatem homo non proficit sibi, quia non audet consumere quicquam, quia est acquisitivus, & non dativus: minor patet, quia per usuram homo fit dives.

Oppositum patet per Eustrathium quarto Ethicorum, & per experientiam. Pro intellectu dubii erunt duo puncta. Primum erit de suppositio. Secundum erit de comparatione. *In oppositum. Primum punctum.*

Pro primo notandum est primò, quod illiberalitas potest sic describi, est habitus quo quis deficit circa pecunias; vel datione, vel consumptione: vel superabundat in custodia, vel acquisitione, vel acceptione. Ex quo sequitur, quòd illiberalitas est circa pecunias tanquam circa suum objectum: & capitur pecunias pro omni numismate temporaliter comparabili. Secundo sciendum est, quod quatuor modis consideratur illiberalitas. Primo modo, in non dando. Secundo *Primum notabile. Quid illiberalitas. Secundum notabile. Quatuor.*

cundo modo, in deficiendo in conſumptione. Tertio modo, in exceſſivè capiendo. Quarto in exceſſivè cuſtodiendo.

Concluſio prima.

De illiberali in non dando.

Sit ergo prima concluſio: propter illiberalitatem homo multipliciter errat in non dando. Primo errat in corrumpendo amicitiam, nam per illiberalitatem committitur inimicitia inter homines, ſicut per liberalitatem contrahitur amicitia. Ideo dicit Philoſophus quarto Ethicorum. Maximè amativi liberales. Modo amicitia eſt optimum quid. Secundo errat faciendo contra naturæ regulam. Regula naturæ eſt quòd habens ſufficientiam ad mutuandum ſe habet tribuere aliis ad generationem ſibi ſimilis. Tertio errat contra naturam propriam, quia dicitur primo hujus, quod homo eſt animal naturaliter civile: modò incivilis eſt, quaſi eſſet beſtia, quando talis non eſt beatus.

Secunda. De illiberali in non conſumendo.

Secunda concluſio: Homo illiberalis in non conſumendo ubi oportet &c. multipliciter errat. Primo errat quia ordinat divitias in alium finem, ſcil. in indebitum. Secundo nec proficit ſibi, nec aliis. Tertio, quia fruſtratur intentione animæ: quia inventi eſſe dives, & ſit pauper. Ideò dicit Cato. *Deus aper habet numerum ſed non habet ſeipſum.*

Tertia. In exceſſivè cuſtodiendo.

Tertia concluſio, homo illiberalis in exceſſivè cuſtodiendo pecunias multum errat: patet primò: quia ſe magnis periculis exponit, quia fures & latrones poſſunt ipſum perimere propter pecunias ſuas. Secundo, in ſic cuſtodiendo, homo non fit ſolicitus circa Deum.

Quarta.

Quarta concluſio: illiberalis in accipiendo errat multipliciter: apparet concluſio de ſe ſatis:

Aliud notabile de avaritia & illiberalitate.

Ulterius ſciendum, quòd differentia eſt inter avaritiam & illiberalitatem: Nam illiberalitas eſt circa pecunias proprias: ſed avaritia eſt circa pecunias alienas. Ex hoc ſequitur, quod avaritia non eſt ſine injuſtitia: patet, quia cupit. Secundo ſequitur: quod avaritia eſt adhuc pejor illiberalitate: patet, quia includit injuſtitiam.

Aliud notabile.

Secundò, notandum eſt, quod licet vitium non inexiſtat nobis à natura, tamen inclinatio ad diverſa vitia inexiſtit nobis à natura. Prima pars patet de ſe, Secunda pars patet per Philoſophum, quia quidam ſunt nati ſub diverſis conſtellationibus celibus.

Concluſio reſponſiva. Ad primum punctum.

Sit igitur concluſio reſponſiva ad primum punctum, quòd illiberalitas eſt vitioſa: patet, quia inclinat hominem facere contra dictamen rectæ rationis, ſcil: in deficiendo & in dando. Quantum ad ſecundum punctum. Eſt notandum, quod duplex eſt illiberalitas, quædam eſt ſimplex, quæ conſiſtit in aliquo contra dictamen rectæ rationis, ſcil. in deficiendo in dando, & ſic de aliis: & hoc circa pecunias. Alia eſt compoſita, & propria: & communiter ex prodigalitate ſimplici, illiberalitate, avaritia & uſura. Unum non eſt inconveniens, quod idem ſit ſimul illiberalis, prodigus, avarus, & uſurarius. avarus in cupiendo: uſurarius in mutuando: prodigus in dando, quibus non oportet: illiberalis in non dando quibus oportet.

Secundum punctum. Duplex illiberalitas.

Prima concluſio.

Sit igitur prima concluſio, loquendo de ſimplici illiberalitate uſura eſt ſimpliciter deterior, probatur, quia uſura eſt multum vitior: igitur. conſequentia eſt notata & antecedens probatur per cenſuram Eccleſiaſticam, & ſepulturam, qua uſurarius privatur: quia uſurarii privantur bonis ſuis, illiberales autem non.

Item uſura non poteſt eſſe ſine injuſtitia. Sed illiberalitas poteſt eſſe ſine injuſtitia, ut notum eſt. igitur &c.

Secunda

Secunda propoſitio, loquendo de illiberalitate compoſita: illiberalitas eſt multùm pejor. Iſta propoſitio ſatis nota eſt ex jam dictis. *Secunda.*

Ad rationes dubii. Ad primam dicitur quòd conſequentia non valet: *Ad rationes dubii.*

Ad ſecundam poteſt dici dupliciter. uno modo quòd illa regula intelligitur dum ſit uniformis oppoſitio. modo vitium opponitur virtuti tanquam medio, & non tanquam extremo. Aliter poteſt dici, quòd regula intelligitur quando extremè oppoſita non continentur ſub alio genere extremo. modo prodigali, quòd Philoſophus noluit dicere, quod ſenectus eſt propria cauſa illiberalitatis: ſed quod ſenectus eſt quod inclinat ad illiberalitatem. Et etiam conceditur, quòd vitia ſunt à natura inclinativè, ſed non formaliter.

Ad quartam negatur minor. Ad probationem dicitur, quòd Philoſophus noluit dicere, quòd illiberalitas eſſet inſatiabilis ſimpliciter: ſed voluit dicere, quòd eſt ſatiabilis difficultate.

Ad quintam dicitur, quòd illa eſt pro prima concluſione.

Ad ſextum conceditur major; & ad minorem dicitur, quòd uſura proficit aliis in bonis corporalibus & fortunæ, & non in bonis animæ proficit: ideo ratio non concludit aliquod inconveniens. Nunc videndum eſt de variis modis uſurarum: ſed quia difficile eſt omnes modos in numero narrare: ideo aliqua recitabuntur in generali.

Et eſt primò ſciendum, quòd in numero ſextuplex commixti poteſt uſura: ſcil. in commutatione pecuniarum. ſecundo in commutatione bonorum victualium, alium, in ſervitio, in ſocietate, in vendicione bonorum mobilium & immobilium. Primo in commutatione pecuniarum, & hoc tribus modis. Primus eſt, quando ex pecunia mutuata per pactum recipiens obligatur ad aliquid reddendum ultra ſortem. verbi gratiâ, ut ſi unus pecuniam concederet alteri, & in fine termini ex pacto certo aliquid daret ultra ſortem, tunc illa formaliter eſt uſura, & eſt prohibita. & tales uſurarii ſunt puniendi ſecundum juris conſtitutionem. Secundus modus eſt, quando ex pacto tacito quis obligatur ad dandum ultra ſortem. verbi gratiâ, ſi concedens pecunias concedat illas, ut habeat augmentum ab illo, licet hæc non exprimat. verum eſt tamen, quòd illa uſura eſt in conſcientia, & immanifeſta in foro judiciali: & tamen in rei veritate eſt uſura in conſcientia: quia intentio ſufficit. Tertius modus eſt, ut ſi pecunia locaretur, ut dando decem francos pro undecim, & cauſa eſt bona: quia pecunia non eſt locabilis, & vocatur uſura palliata, quia non vult expreſſè facere: ideo locat pecuniam quæ non eſt locabilis. *Secundum diviſionem principalem, Sextuplex uſura. Circa commutationem pecuniarum.*

Sed hic eſt dubium. dicet dives naviganti volenti ire ultra mare ſic, concedo tibi centum francos, ſi perdas hos in mari nolo rehibere: ſed ſi invenias in mari bonas merces emas, & quod ego participem tecum in medietate, utrum ibi committatur uſura. Reſpondetur, quòd ſi dans non intendat dolum: ſed ſimpliciter & voluntariè & gratioſè facit hoc, ille contractus eſt licitus. Et cauſa eſt, quia ille dives exponit pecunias in periculo. *Dubium.*

Secundò videndum eſt, de diverſis modis circa commutationem bonorum victualium: & eſt primus modus. ut ſi quis habeat blada antiqua & putrida, & det pro blado futuro bono ſe habendo in tempore futuro; ubi tamen erit notabilis differentia in valore, ibi eſt uſura. Secundus modus eſt, ſi Sortes habeat veſtes minimi valoris, & Plato unam magni valoris, & ſi Sortes fraudulenter laborat *Circa commutationem victualium.*

laborat quòd Plato det sibi vestem suam pro veste Sortis: tunc ille contractus est usurarius. Tertius modus est, si dives habeat vina ad magnam abundantiam, & videat vicinum indigentem vino, & videat quòd talis vicinus habeat multas possessiones dando vinum sibi pro illis possessionibus, etsi possessiones essent meliores vinis, ille contractus est usurarius.

Circa servitia. Circa tertiam materiam quærendum est de servitiis. Et est primus modus: quòd si Sortes det Platoni summam pecuniæ sub illo pacto, & facto, quòd Plato per annum serviet Sorti, & in fine anni integrè haberet pecuniam, ibi est usura. Pater, quia ille recipit ultra sortem. Secundus modus est, quòd si pro mutuo accommodato & mutuato potest locari: ut si unus diceret, concedam tibi decem francos, & concedas mihi domum tuam per annum, et post annum rehiberes pecuniam, ibi esset usura. Tertius modus est, ut si unus famulo indigens videat famulum egenum & indigentem pro præsenti, si ergo locator daret ei decem francos per annum, ubi haberet meritò duodecim; hoc est usura.

Circa societatem. Circa quartam materiam de societate vel consortio, est primus modus: Si unus dives mercator concederet decem francos sub isto pacto, quòd vult secum participare in lucro, & in damno, ibi est usura. Secundus modus est, si aliquis associet alteri, sic eum ligans, quòd ipse det pecuniam sub illo pacto, quòd ipse magis de lucro et partem minorem in damno, in casu in quo fieret usura est. Tertius modus est, si in tali societate ille qui dat pecuniam non laborat, et alter habeat totum laborem sub illo pacto, quòd inveniat bonas merces, ille qui recipit pecunias cum quibus mercator esset lucraturus, et illud lucrum est dantis, et sibi non est lucrum: sed damnum esset pro recipiente.

Circa venditionem immobilium. Circa quintam materiam de venditione, Est primus modus, ut si aliquis vendat domum alteri vel agrum, sub illo pacto, do tibi domum pro tanta pecunia, ut solvas pecuniam infra tantum tempus: et si non solveris, rehibebo pecuniam, et totam domum: vel sic, emo totam domum tuam pro decem francis; si non redimas infra tale tempus, erit mea; ibi est usura.

Dubitatio. Sed est dubium. ille emet domum sic in habendo lucrum, et ut in fine termini rehibeat pecuniam, & resumat domum. Et tunc petitur utrum receptio pecuniæ sit licita?

Dicitur quòd non, quia primus contractus fuit illicitus. Secundus est, in habendo reditus ad vitam, sic antiquus homo reditus pro magna pecunia, et videtur quòd cito debet mori, ibi est usura.

Tertius modus est; si unus vendat alteri domum pro ducentis francis, et recipiens non habeat pecuniam in pacto, & si vendens faciat pactum, tu dabis mihi quolibet anno duos francos usque ad quatuor annos, & in fine quarti anni tu dabis mihi totam summam, scilicet ducentos, tunc est ibi usura.

Quartus modus est, si aliquis vendat domum alteri plusquam valet, & hoc pro termino solutionis dando, ibi est usura.

Circa venditionem mobilium. Circa sextam materiam, scilicet de venditione mobilium.

Primus modus est, si aliquis emat blada in cremento, pro minori pretio quam valebunt in tempore debito, ibi est usura.

Secundus modus est, si homo vendat alteri equum decem francis pro expectatione temporis, qui non valet in rei veritate medietatem. & alter iterum indigens pecunia pro decem francis vendat equum, in primo contractu est usura.

Tertius

Tertius modus est, ut si aliquis vendat vinum vel bladum, plusquam valet ratione magni termini, ibi est usura.

Sed tunc est dubium, si unus concedat alteri ad medietatem, sic quòd bladum crescat: & habebit ibi lucrum. Utrum talis contractus sit usura. Dicunt aliqui quòd non, quia bladum est augmentabile & crescibile: ergo non est usura, & ita de aliis in tali modo. *Dubitatio.*

Ad rationes principales.

Ad omnes dicitur, quòd sunt solutæ ex dubiis, & ex dictis in tota quæstione. *Ad rationes quæstionis.*

QUÆSTIO XIV.

De Præmio virtutis.

Quæritur decimoquartò. Utrum loquendo naturaliter virtuosus præmietur sufficienter ex sola ejus virtute morali.

Et arguitur primò quòd non. Nam honor est præmium quod debetur virtuoso ex sua virtute: igitur. Consequentia est nota, quia honor est quodammodo extrinsecus virtuti: quia virtus est in virtuoso, & honor est in honorante. Et antecedens patet per Philosophum quarto Ethicorum dicentem, quòd solus bonus est honorandus, & honor est præmium virtutis. Item honor est exhibitio reverentiæ in signum virtutis. *Arguitur.*

Secundò sic, felicitas est præmium quod debetur virtuoso, & felicitas est extrinseca virtuoso. igitur &c. Patet consequentia: quia homo operatur, ut sequatur felicitatem. Et minor patet, quia felicitas consistit in bonis & divitiis exterioribus. igitur. Patet consequentia per Boëtium dicentem, quòd *felicitas est status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Item dicit Seneca, *sine bonis exterioribus, quorum fortuna dominus est, non dicet aliquem esse felicem.* Item Philosophus primo Ethicorum, *non omnino felix est qui spectæ turpissimus est, & ignobilis, & sine prole.*

Tertiò, sic sequeretur quòd idem esset præmium & meritum. consequens est falsum, quia meritum in præmium ordinatur. & antecedens patet, quia meritum est virtus: quia virtuosus meretur præmium per adversarium.

Oppositum est de intentione Philosophi Primo Ethicorum, & Secundo hujus, ubi dicitur, quod *virtus est per se eligibilis, esto, quòd nihil inde aliud sequatur;* & hoc non staret, nisi esset præmium virtuosi: quia ad meritum sequitur suum præmium. Et antequam ad propositum descendatur, permittitur, quod hic non sit mentio de præmio æterno, & pœna æterna: sed de præmio & pœna naturali, prout naturalis Philosophus consideret. *In oppositum.*

In quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur de quæsito principali. In secundo videndum est, utrum malitia moralis sit sufficiens pœna homini vitioso. Et in tertio erunt dubia.

Quantum ad primum articulum. Notandum est, quòd virtus dupliciter accipitur. Uno modo pro habitu virtuoso inclinante habentem appetitum ad prompte operandum, secundum dictamen rectæ rationis. Secundo modo capitur *Primum notabile.* *Virtus dupliciter capitur,*

pro actu procedente ab illo habitu, & in isto articulo promiscuè capitur virtus.

Secundum, quid sit præmiari. Secundò notandum, quòd loquendo purè moraliter aliquem præmiari non est nisi ipsum bene & optimè esse, & talem attingere gradum perfectionis optimum in sua specie. Illa suppositio patet per Boetium quarto & quinto de consolatione, ubi dicit quòd præmium non est nisi bene esse, & per oppositum dicit de puniri. Ex quo sequitur, quòd quis non dicitur propriè homo, nisi sibi competat tale præmium.

Tertium. Tertiò supponitur, quòd virtus moralis habentem perficit: ut patet secundo Ethicorum.

Corollarium est, quòd nullus actus dicitur bonus loquendo moraliter, nisi à virtute eliciatur.

Quartum, in quo consistat felicitas. Quartò notandum, quòd felicitas non consistit in bonis exterioribus sive bonis naturæ sive fortunæ: sed in operatione virtutis. prima pars patet, quia bonis exterioribus contingit malos uti. Corollarium, felicitas non consistit in honore: patet, quia honor est bonum extrinsecum, quia non est in potestate honorati, sed honorantis, modo fœlicitas debet esse in potestate honorantis.

Quintum. Quintò supponitur, quòd tunc individuum alicujus speciei est perfectum in illa specie, cum attigit illud propter quod operatur. Patet per Boetium in multis locis: quia unusquisque in sua specie operatur propter finem, modo quando attingit finem sanatur appetitus. *Conclusio responsiva.* homo virtuosus præmiatur sufficienter ex sola ejus virtute morali, accipiendo præmium & virtutem pro actu, patet per dicta. probatum conclusio sic, illud est præmium hominis sufficiens, per quod optimè se habet: sed hoc est per habitum & actum virtutis. igitur. consequentia patet, & major per quod nominò præmii. Vel sic, illud est præmium homini sufficiens, in quo est fœlicitas, & in quo consistit fœlicitas: sed virtus est hujusmodi, h. e. de actu virtutis. igitur. &c. major patet, & minor etiam, quia in actu sive operatione virtutis consistit fœlicitas, item dicit Seneca, quod *de virtute erras, cum quæris propter quid*, quare virtute alia eam nihil est melius & nobilius. ideo virtus est propter se eligibilis.

Tertiò, nisi præmium virtuosi esset virtus, sequeretur quòd præmium virtutis non esset in potestate hominis virtuosi: consequens est falsum: quia sic præmium deberet esse in potestate hominis virtuosi. Et patet consequentia: quia si poneretur ad extrinsecum, illud posset ab eo removeri, ut notum est. Existis probationibus sequitur corollariò, quòd loquendo propriè, secundum dictamen rectæ rationis, fortis moralis pro bono reipublicæ debet mortem expectare intrepidè, antequam fugiat. Secundò, quòd loquendo purè moraliter pro collatione præmii, non debet poni vita post istam vitam. Patet, quia virtus est præmium sufficiens homini virtuoso.

Dubium. Sed dubitatur. Utrum unusquisque homini virtuoso teneatur honorem facere seu præbere in præmium virtutis. Arguitur quòd non, quia virtus moralis est propter se eligibilis.

In oppositum. Oppositum patet per Philosophum primo Ethicorum, quòd honor est præmium virtutis.

Primum notabile. Notandum quòd aliquem alicui teneri potest intelligi dupliciter. Uno modo, si talis qui tenetur alteri, non daret: & ille qui daret depauperetur, recipiens ditaretur, fit exemplum de honore. secundo modo è contrà.

Teneri dupliciter.

Secundò

Secundò sciendum est, quòd honorem deberi homini virtuoso potest intelligi duplicitèr. Uno modo, quòd si sibi non daretur bonitas, sua diminueretur. Secundo modo ut sit exemplum in hominibus aliis, sic quòd ipse sit virtuosus, ut alii incitarentur ad virtutem, ut ipsi etiam honorentur. *Secundum notabile. honorem deberi duplicitèr.*

Sit conclusio: prima Secundo modo capiendo honorem, debetur homini virtuoso, & aliquis dicitur reneri homini virtuoso. primo modo nullus debet tribuere honorem homini virtuoso, quia propter honorem bonitas virtutis diminuitur. Nec fit sibi injuria in hoc. *Prima conclusio.*

Conclusio secunda: unusquisque tenetur tribuere honorem secundo modo. patet, quia unusquisque tenetur hoc facere per quod amici incitantur ad virtutem: sed hoc est in tribuendo honorem homini virtuoso, igitur, &c. Unde honor non consistit essentialiter in hoc, ut patet ex dictis: sed hoc est accidentale, quia per hoc amici excitantur. Et sic patet responsio ad dubium. *Secunda.*

Quantum ad secundum articulum. Videndum est. Utrum malus aut vitiosus ex sua malitia moali sufficienter punitur. *Secundum articulum.*

Arguitur primò quòd non, quia per illud homo malus non sufficienter punitur, quo habito delectatur, & sine tristitia vivit: sed sic est, quòd malus habita malitia vivit delectabiliter, igitur, &c, consequentia est nota, & major, & minor probantur, quia secundum veritatem homo malus cum sua malitia habet multa gaudia. *Arguitur.*

Secundò sic. Si per malitiam moralem vel culpam homo justè puniretur, sequeretur quòd non deberent esse suspendia & punitiones: consequens est falsum, quia hoc fit in politia bene recta: consequentia patet, quia homo sufficienter puniretur per malitiam suam per adversarium.

Pro intellectu dubitationis, primo notandum quod aliquem punire est ipsum malè & pessimè esse in sua specie, & ipsum degradatum & depressum esse ad statum infimum illius speciei. Et hoc fit quando homo descendit de statu in quo est ad statum bestialem. Ideo dicit Philosophus, quòd quædam sunt delectationes sensuales habentis vitam pecudum eligentes. *Primum notabile. aliquem punire.*

Secundò sciendum est, quòd sicut est duplex infirmitas corporis, ita duplex est ipsius animæ, quædam est infirmitas corporis quæ tollit sensum & cognitionem, ut infirmitas capitis: alia est infirmitas quæ totaliter tollit cognitionem & sensum, ut dementia. Sic etiam est prævia infirmitas animæ quæ tollit cognitionem prudentiæ, sic quòd non cognoscit bene quando malè facit, alia est quæ totaliter tollit cognitionem & prudentiam, quando homo est totaliter obstinatus. *Secundum. duplex infirmitas.*

Tertiò notandum est, quòd sicut secunda infirmitas corporis est periculosior, quam prima: sic secunda infirmitas animæ quæ totaliter tollit cognitionem. Patet, quia lethargia quæ consumit sensum in corpore, est periculosior & pejor, quàm infirmitas existens in capite. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd duplex est perfectio animæ accidentalis; quædam est quæ dicitur virtus moralis, & alia quæ dicitur virtus intellectualis: & illa infirmitas est maxima quæ tollit ambas istas virtutes, sicut obstinatio. *Quartum. duplex perfectio animæ.*

Quintò notandum est, quòd illæ pœnæ exteriores, quæ infliguntur malitiosis publicè, propriè non sunt punitiones, sed medicinæ pœnales. Et est hæc intentio Philosophi dicentis, quòd *malus per illam pœnam cognoscit peccata sua*: *Quintum. de pœnis exterioribus.*

& etiam alii capiunt exemplum ut fiant meliores.

Conclusio responsiva. Sit ergo conclusio responsiva: loquendo purè moraliter, moralis malitia est sufficiens pœna per quam homo deprimitur à statu perito in sua specie: sed hoc est per malitiam, igitur. Major patet ex quid nominis. Minor probatur. quia per talem malitiam tollitur virtus animæ tam moralis, quàm intellectualis.

Confirmatur, quia virtus moralis est sufficiens præmium homini virtuoso, igitur. Consequentia patet; quia si oppositum in oppositò, & propositum in proposito. Antecedens patet per præcedentem articulum.

Dubitatio. Sed dubitatur, quia submersio vel suspensio per quam fit mors & finis vitæ videtur quòd illa non sit medicina, quia per illam omnia bona tam corporis quam fortunæ & naturæ perduntur.

Responsio. Ad hoc respondetur, negando antecedens, quia perficit accipientem, & illos de politia, quia per hoc suspicientes cognoscunt se malè feciſſe: & alii capiunt exemplum; & hæc est medicina, & per hoc cognoscitur bona vita.

Corollarium est: quòd illæ pœnæ non sunt obstinatis medicinæ, quia nihil proficiunt eis.

Objectio. Sed instatur, quia malitia corporalis non est de se detestabilis, & abhominabilis. igitur, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia malitiæ sunt abhommabiles propter illas pœnas exteriores, & non propter se.

Responsio. Ad hoc dicitur, quòd malitia quantum est de se est abhominabilis, sicut virtus moralis est de se eligibilis, quia sicut homo per virtutem moralem trahitur ad firmum statum in sua specie, & habentem perficit: sic propter malitiam homo deprimitur ad infimum statum, & in sua specie ponitur.

Secundò notandum est; quòd apud homines non habentes usum rationis malitia non est propter se abhominabilis. Patet per rationem. Et ideo dicitur, *oderunt peccare mali formidine pœnæ: oderunt peccare boni virtutis amore.*

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam dicitur negando majorem, quia illa malitia tollit virtutem moralem animæ, & intellectualem. Et illi qui sic gaudent obstinati sunt; & causa est, quia nesciunt judicare inter bonum & malum.

Ad secundam negatur consequentia: quia illa non infliguntur eis tanquam pœnæ, sed tanquam medicinæ.

Tertius articulus. Quantum ad tertium articulum movendæ sunt dubitationes circa secundum argumentum ante oppositum: in quo arguebatur, quòd fœlicitas est præmium virtutis. Et arguitur sic, fœlicitas est præmium virtutis. igitur. &c. Consequentia est nota, quia fœlicitas non est virtus, sed operatio, ut supponitur. Antecedens patet per primum argumentum.

Dubium.

Arguitur.

Secundò sic, honor est præmium virtutis. igitur. &c. Consequentia tenet: quia fœlicitas consistit in honoribus, est Alberti dicentis descriptionem honoris: quia honor est exhibitio reverentiæ in signum virtutis.

Tertiò si sic, sequeretur quòd virtuosus secundum dictamen rectæ rationis semper deberet perseverare in fœlicitate. Consequens est falsum, ut patet. Et consequentia apparet: quia fœlicitas est præmium virtutis. igitur si non daretur fœlicitas alicui virtuoso, tunc aliquod meritum non præmiaretur. consequens est falsum.

In oppositum? Oppositum arguitur. nam virtus ordinatur in fœlicitatem ultimatè. igitur. consequentia est nota, & antecedens probatur, quia homines non quærunt virtutes

tutes ultimatè nisi propter fœlicitatem.

Item fœlicitas est propter se eligibilis, virtus autem non.

Pro evidentia hujus notandum est, quòd duplex est fœlicitas hominis. Nam quædam est meritoria. Alia est præmiatoria. Præmiatoria habetur in alia vita: sed meritoria habetur in præsenti vita.

Secundò notandum est, inter illas fœlicitates est differentia. Prima est, quia *Secundum.* præmiatoria excludit omne malum tam pœnæ quàm culpæ: sed meritoria non excludit mala pœnæ. Secunda differentia est, quòd præmiatoria includit omnia bona propter quæ homo est dignus honore, quod non facit alia. Corollariè sequitur, quòd fœlicitas meritoria ordinatur in fœlicitatem præmiatoriam. Patet, quia præmiatoria includit plura.

Tertiò notandum est, quòd loquendo simpliciter de fœlicitate, nunquam fœ- *Tertium.* licitas consistit in eo quo contingit malè uti. probatur, & supponitur, quòd fœlicitas omnia mala excludit, tam pœnæ, quam culpæ. Tunc probatur sic: quia si consisteret in malo, tunc omnia mala non excluderentur. consequentia est nota, & antecedens similiter.

Quartò notandum est, quòd fœlicitatem esse debitam homini virtuoso po- *Quartum.* test intelligi dupliciter: uno modo secundum quid, id est secundum præsentem statum: Alio modo simpliciter.

Quintò notandum est, quòd præmium multis modis capitur. Uno modo *Quintum.* largè, & sic quandocunque aliquis operatur propter finem, talis finis est consecutus, & est præmium suæ operationis. & sic capitur ab Augustino nono de Civitate Dei. Alio modo capitur propriè, & sic solum est in bono, & est duplex. nam quoddam est ultimum, scilicet quo nullum aliud melius potest consequi, ut fœlicitas: aliud non ultimatum quo aliquid melius consequi potest ut meritum virtutis.

Sit ergo prima conclusio. Fœlicitas non consistit in honoribus. probatur, quia *Prima conclu-* fœlicitas non consistit in illo quod faciliter potest removeri. Patet, quia fœli- *sio.* citas est quoddam permanentissimum: sed honores faciliter possunt removeri, quia honor est in potestate honorantis. Secundò, fœlicitas non consistit in illo, quod non est in potestate operantis. sed sic est de honoribus. Consequentia est nota, & major & minor probantur. quia honor est in honorante. Item tertiò, honor non eligitur propter se. Sed objicitur, fœlicitas consistit in optimo: sed honor est quid optimum: quia Deo possumus offerre & offerimus honorem. Ad hoc respondetur concedendo majorem, & negando minorem, & tamen dicitur quòd est melius. &c. conceditur, sed tamen cum hoc negatur, quod est simpliciter optimum.

Secunda conclusio. fœlicitas non consistit in divitiis exterioribus. *Secunda.*

Pro quo notandum est, quòd duplices sunt divitiæ: quædam sunt naturales, ut vina, blada. Aliæ sunt artificiales ut pecuniæ, & illæ ordinantur in divitias naturales, quia sunt inventæ, ut faciamus commutationem in divitias naturales. Et quo sequitur, quòd quomodocunque capiantur divitiæ ordinantur in aliud. His positis probatur conclusio, quia felicitas non consistit in divitiis exterioribus, quia non sunt propter se eligibiles: igitur, &c. consequentia est nota, & major & minor patent de se.

Tertia conclusio, fœlicitas non consistit in bonis corporis. probatur, quia fœ- *Tertia.*

licitas non consistit in illo in quo contingit malè uti: sed contingit malè uti bonis corporis: igitur &c. consequentia est nota, & major & minor probantur quia propter fortitudinem multi pericrunt.

Quarta. Quarta conclusio: sumendo virtutem pro actu, & loquendo de præmio non ultimato virtus est præmium sufficiens homini virtuoso, & sic intelligitur conclusio responsalis primi articuli. probatur, quia illo modo est propter se eligibilis, igitur consequentia est nota, & antecedens similiter, quia virtutem acquirimus, ut virtuosè agamus.

Quinta. Quinta conclusio: non ponendo aliam vitam post istam, fœlicitas meritoria est præmium virtutis ultimatum. Probatur, quia fœlicitas talis est ultimum quod potest haberi in hac vita. igitur, &c. Consequentia est nota, & antecedens patet, quia perfectissimus actus est fœlicitas.

Sexta. Sexta conclusio: loquendo secundum fidem, & de præmio ultimato, fœlicitas præmiatoria est præmium ultimatum virtutis probatur, quia illa fœlicitas est actus perfectissimus excludens mala omnia tam pœnæ, quam culpæ. Consequentia est nota, & antecedens etiam.

Ad rationes dubii. Ad rationes principales conclusionis conceditur loquendo de præmio ultimato, & non aliter.

Ad secundam, quando dicitur, honor est præmium virtutis, &c. negatur.

Ad probationem dicitur, quòd honor est præmium accidentale virtutis.

Ad tertiam dicitur, quòd cuilibet virtuoso debetur fœlicitas, & hoc si perseveret in illo statu in quo nunc est.

Aliæ rationes principales quæstionis sunt solutæ.

QUÆSTIO XV.

De Campsoribus.

Arguitur. QUæritur decimo quinto. Utrum usus campsoriæ sit contra justitiam, ita quod campsoria sit illicita. Arguitur quòd sic, quia omnis usus justè vituperabilis est contra justitiam: sed usus campsoriæ est hujusmodi: igitur &c. Consequentia est nota, & Major, & Minor est Philosophi, dicentis quòd usus Campsoriæ justè est vituperabilis.

Secundo, usus campsoriæ est contra naturam, igitur & contra justitiam. Consequentia patet, quia omne illud quod est contra naturam est violentum, & per consequens injustum. Antecedens est Philosophi in litera: quia campsoria ordinatur de pecunia in pecuniam: & hoc contra naturam, quia pecunia non ordinatur in pecuniam.

Tertiò sic, omnis usus quo aliquis plus recipit quam dat, est contra naturam: sed usus campsoriæ est hujusmodi: ergo est contra naturam, & per consequens contra justitiam: Consequentia patet, quia justitia consistit in quadam æqualitate. Minor patet per experientiam, quia nisi sic, nunquam fieret campsoria, ut notum est.

In Oppositum. Oppositum arguitur: quia nullus usus qui ordinatur ad bonum communitatis,

tis, & utilitatem, est contra justitiam: sed camporia est hujusmodi. igitur consequentia est nota; & major, quia justitia intendit bonum commune, & bonum quanto communius tanto melius, quia divinius. Et minor patet, quia camporia est permissa in communitate propter ejus utilitatem, scilicet propter mercatores qui tendunt ad diversa loca.

In quæstione erunt tres articuli: in primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones. In tertio movebuntur dubia.

Primus articulus.

Quantum ad primum articulum. Est primò notandum quòd titulus quæstionis potest intelligi dupliciter: uno modo utrum ille camporator det plus quam recipit. Alio modo utrum minus det, quam recipit.

Primum notabile.

Secundum.

Secundò notandum est, quod camporia potest dupliciter fieri: uno modo quia camporator ordinat lucrum ad necessitatem vitæ, & ad communitatis utilitatem. Alio modo, quia ordinat lucrum ad propriam utilitatem.

Duplicitèr fit camporia.

Tertium.

Tertio notandum est, quòd quis abutitur re, quando illam in proprium usum seu finem non ordinat. patet, quia abuti re est finem ab aliqua re removere, & per consequens ejus bonitatem: quia res sumit bonitatem ex parte finis. Corollariè sequitur, quod qui utitur re alio modo quam in finem, & in quem ordinatur, injustè operatur, quia non dat unicuique quod suum est: quia tollit finem, & bonitatem rei.

Quartum.

In quo consistat justitia commutativa.

Quartò supponitur, quòd justitia commutativa consistit in quadam æqualitate secundum proportionem Arithmeticam, & non Geometricam.

Quintum.

Duplex justitia.

Quinto sciendum est, quod duplex est justitia, scil. distributiva, & commutativa: distributiva sit secundum proportionem Geometricam.

Sextum.

Penes quod attenditur valor rei.

Sexto notandum est, quod valor rei non debet attendi secundum dignitatem rei: sed solum secundum indigentiam humanam: Patet quinto Ethicorum, ubi dicitur, quod omnia uno mensurantur. Patet, quia nisi sic, sequeretur quòd pessimum animal mundi plus valeret quam quodcunque metallum, quod est falsum.

Septimum.

Septimò notandum est, quòd valor rei non debet attendi penes necessitatem ementis vel vendentis: sed secundum utilitatem & necessitatem totius communitatis. patet, quia quandoque venditor minus appretiatur rem quam valeat, & è contra. Ex illo dicunt aliqui, quòd magnum est in politia quando indigens aliqua re emit illam pluri pretio quàm valet, vel institorum fit. Secundò sequitur quod tota intentio legislatoris debet esse ad communitatis utilitatem principaliter, & non ad bonum privatum, nisi illud referatur ad bonum commune. Patet, quia alias esset tyrannus.

Octavum.

Octavò notandum est, quod camporator recipiens ejus camporiam vendendo plus quam dat, potest intelligi dupliciter: uno modo quoad pecuniam, sic quòd recipit plus quam dat. Alio modo comparando circumstantias ad invicem.

Nonum.

Ulterius supponitur, quòd persona communis in politia intendit bonum commune rationabiliter: & potest toti communitati & personæ privatæ laborem suum vendere: patet; quia nullus tenetur propriis stipendiis militare. Et dicitur notanter [persona communis & etiam bonum commune] quia alias non oportet.

Secundum articulum.

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio: Si camporator mendo pecuniam ordinat pecuniam in pecuniam ad propriam utilitatem, talis usus est illicitus.

Prima conclusio.

citus. probatur. Nam talis intendit bonum privatum. Secundò quia ordinat pecuniam contra naturam suam.

Secunda. Secunda conclusio: si campsor pecuniam ad vitæ necessitatem ordinat, & ad utilitatem, & bonum totius communitatis, talis campsor est licitus. Patet per primam rationem ante oppositum factam.

Tertia. Tertia conclusio. In campsoria in qua campsor ordinat pecuniam in suum finem debitum omnibus circumstantiis pensatis non plus recipit quam sortem quam dat omnibus pensatis, adhuc tamen talis usus est licitus.

Corollaria. Corollariè sequitur, quòd in campsoria in qua campsor plus recipit quam dat, committitur usura, si non ordinat pecunias in debitum finem: sed in suum proprium. Secundo sequitur, quòd in campsoria in qua campsor plus recipit de pecunia omnibus aliis compensatis. & si ordinet pecuniam in debitum finem non committit usuram: patet ex secunda & tertia conclusionibus.

Tertius Articulus. Dubium de locatione. Quantum ad tertium articulum dubitatur. An licitum sit ex obligatione pro usu & locatione rei pecuniam recipere.

Arguitur. Arguitur quod non: sequeretur quòd licitum esset dare pecuniam ad usuram Consequens est falsum, & probatur consequentia, quia sic usurarius reciperet pecuniam pro usu rei, & obligatione. Secundo sequeretur, quod aliquis potest plus accipere de sua re, quam valet: Consequens est falsum, quia ibi non est commutatio justa. Et probatur consequentia: si ita sit quod Sortes Platoni locet suum equum, & qualibet die recipiat duos solidos per unum annum tunc haberet totam pecuniam quantam equus valet, & etiam haberet equum. Tertiò sequeretur quod illud esset licitum, quod caderet in præjudicium reipublicæ. Consequens est falsum. Et probatur consequentia, quia per talem locationem fierent pauperes.

In oppositum. Oppositum arguitur, quod in politia bene recta bene recipitur pecunia pro locatione domorum, equorum, & campsoriæ. igitur &c.

Primum notabile. Quid locatio. Notandum est, quòd locatio describitur sic, *est rei vel personæ concessio facta mercede, & certa pecunia numerata cum venia*, ita quod si alias fuerit concessa, non est locatio.

Secundum notabile. Duplex locatio. Secundo notandum est, quod duplex est obligatio: quædam est naturalis quæ obligat ad illa quæ recta ratio dictat secundum exigentiam naturæ, & sic conceditur quod homo obligatur à parentibus: alia est obligatio legalis, qua certis legibus alteri quis obligatur, sic filius obligatur patri, & tertia potest esse obligatio ex naturali & legali composita, & sic homo obligatur Deo.

Tertium. Tertiò notandum est, quod duplices sunt res, quædam sunt quæ ordinantur in aliam rem, tanquam bona utilia, ut seculares &c. aliæ sunt res quæ sunt fines in quos res ordinantur, ut Deus, & de ista re nihil ad propositum: sed de prima.

Quartum. Quarto notandum est, quod rei de qua est ad propositum est duplex usus: quidam est propter quem illa res est facta, & sic calceatio est usus calceamenti: alius est communis, & est commutatio unius rei pro alia secundum necessitatem humanam, sicut panis pro vino, & dicitur communis, quia est indifferenter pluribus.

Quintum. Duplex usus. Quintò notandum est, quod usus rei proprius potest esse duplex: quidam qui non potest transferri sine dominio, ita quod sicut usus panis est comestio & panis destructio, ita usus ejus esset consumptio illius rei. Alius est usus, qui

potest

potest transferri sine dominio, ita quod usus ejus non est consumptio rei, ut usus domus vel libri.

Sit ergo conclusio prima. Loquendo de re cujus usus est consumptio illius rei, & cujus usus non potest transferri sine dominio, non est licitum pro hujus rei usu recipere ultra valorem, quia recipere talem valorem est recipere bonum commune, & est usura, & consimiliter, si homo concederet alteri pecuniam cujus usus esset consumptio ipsius, tunc recipere pecuniam pro usu pecuniæ committeret usuram. Sed quid diceretur de campsoribus, qui sic recipiunt pecuniam pro usu pecuniæ, ut pro franco 2. denarios. Dicitur quod si compensetur pecunia pecuniæ, tunc recipit plus quam det, & sic est illicitum. Sed omnibus compensatis scil. labore & expensis non recipit plus quàm det. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. Loquendo de re cujus usus potest transferri sine dominio, licitum est pro usu rei pecuniam recipere, patet per rationem priùs posit oppositum. *Secunda.*

Ad rationes dubii. Ad primam negatur consequentia: quia pecunia est cujus usus non potest transferri sine dominio. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam negatur consequentia. Ad probationem, quod si aliquis habens equum &c. Dicitur quod non plus debit de equo quam valebit, vel simpliciter, vel secundum quid, quia opus profuit sibi, & sic valuit sibi plus secundum quid; tamen lucratus fuit cum equo, & sic commodum fecit sibi, si equus non valeat tantum in se.

Ad tertiam, cum dicitur, sequeretur quod non esset licitum &c. negatur consequentia. Ad probationem quando dicitur, quia ex hoc generantur paupertes, negatur hoc, quia supponitur quòd usus rei profuit sibi habenti usum rei illius, & cum hoc dans alteri usum rei suæ hoc intendebat.

Sed nunc quæritur. Dato quod sit unus equus locatus, prius sanus & bene potens, & locetur pro certa pecunia, & post duos dies debilitetur: sic quod non possit proficere illi qui conduxit, quid faciendum sit? *Quæstio.*

Dicendum, quòd si ille qui locat equum scivit equum non bene sanum, tenetur alteri remittere. Si vero non scivit, adhuc est distinguendum: vel illa impotentia adveniebat equo sæpe, & de per se, & sic tenetur remittere: vel advenit sibi de mala custodia, & sic non tenetur remittere. *Responsio.*

Ad rationes ante oppositum dicitur, quòd possunt faciliter solvi ex dictis. *Ad rationes.*

QUÆSTIO XVI.

De Venditionibus & Emptionibus.

QUæritur decimosextò. Utrum emere tem vilius, & vendere vel commutare eam confestim cariùs, sit licitum?

Et arguitur quòd sic, quia nisi sic, sequeretur quod nulla mercatura esset licita. Consequens est falsum. & probatur consequentia: quia omnis mercatura est ad illum finem, ut res quam mercatores viliùs emunt, cariùs vendunt. *Arguitur.*

Secundò sequeretur, quòd superfluum factivum mercatoribus esset error, & ire. consequens est falsum. Et probatur consequentia, quia postquam aliter emere & incontinenti vendere est licitum, sequitur propositum.

Tertiò sic, nisi sic, sequeretur, melius esse, quòd non essent mercatores, quam si essent. Consequens est falsum: quia ex hoc quòd fuit mercatura esset illicitus, sequitur quòd melius esset ipsum non esse quàm esse.

Quartò sic, quòd secundum existimationem patriæ, temporis, vel alterius circumstantiæ: licitum est rem vilius emere, quàm vendere: scil. vendere caunes. igitur. consequentia est nota. Et antecedens probatur: nisi, quia sic sequeretur, quòd nulla mercatura esset licita. consequens est falsum. & consequentia est manifesta.

Quintò sic, nam in polizia bene recta est licitum. igitur &c.

Ultimò sic, illud est licitum, quod nulli obest & multis prodest: sed omne vilius est hujusmodi. igitur: consequentia patet. & antecedens similiter notum est.

In oppositum. Oppositum arguitur, nam vilius est quando non est possibile emere rem, nisi etiam dando minus vel accipere plus quam valeret. Sed nullum istorum potest dici: igitur. consequentia est nota. Et antecedens à sufficienti divisione. sed minor patet, quia utrumque est licitum.

In quæstione erunt tres articuli: In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones. In tertio dubia.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Primò sciendum est, quòd emere rem vilius, & incontinenti vendere cariùs, potest intelligi dupliciter. Uno modo quòd res non sit mutata, vel meliorata. Alio modo quòd illa res per artifices fiat melior: ut si faber emat ferrum, & postea fabricet.

Primum notabile, vendere cariùs.

Secundum. duplex mercatura. Secundò notandum est, quòd duplex est mercatura. quædam est de rebus necessariis ad vitam: ut vendere panem, & vinum: & illa est naturalis. Alia est quæ ordinatur ad congregationem pecuniarum, & divitiarum, & illa secundùm dicit Senec. est innaturalis, & vituperabilis, et illicita.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio. Loquendo de re non mutata, seu meliorata post emptionem, emere rem vilius & incontinenti vendere cariùs est illicitum, & iniquum, & vitiosum. Probatur, quia vitium erat in emendo vel vendendo illam rem. igitur illicitum est. consequentia patet, & antecedens. quia si emat rem pro duobus francis, & non valet tantum, peccat *vendendo in vendendo*. quia ibi non est æquale pro æqualiter sed si valet plus, ideò ibi est peccatum in emendo.

Prima conclusio.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: loquendo de re meliorata post emptionem, licet vendere rem cariùs, & emere cariùs: et vendere hujusmodi, et emere est licitum. Probatur: quia dare pro tanto quantum valet est licitum: sed sic est in proposito. igitur. consequentia est nota. et major. et minor probatur inspiciendo laborem meliorantem illam rem.

Tertius articulus. Quantum ad tertium articulum sit prima dubitatio: ponatur casus, quòd Sortes vendat Platoni aliquam rem quæ valet soldos decem francos, et vendat illi pro triginta, sic quòd emptor juravit, quod nunquam revocabit pactum. et postea Plato percipiet se esse deceptum ultra medietatem justi pretii. Quæritur tunc utrum Plato licitè potest revocare pactum? Et videtur quod sic, quia justè

Primum dubit.

potest

possit revocare illud quòd est contra justitiam. ut patet, per Theologos.

Oppositum patet, quia hoc est contra juramentum.

Ad hoc respondetur dupliciter: quia vel talis emptor est ultra XXV. annos, vel non. Si non, potest revocare. Si sic, non tenetur revocare: et ratio est, quia tenetur esse prudens, et cautus ne decipiatur. *Responsio.*

Secundum dubium est istud: sit ita, quòd Sortes habeat unum equum qui valet sibi ducentos francos: & in casu quo perdiderit equum perdet ducentos francos. Plato multum indiget illo equo, & Sortes vendit illum equum, tamen non valet tantum Platoni sicut Sorti. quæritur an ille contractus sit licitus. & videtur quòd non: quia Plato dat ultra sortem equi, scilicet plusquam valet ei. *Secundum dubium.*

Oppositum patet, quia Sortes plus perdet per casum.

Ad hoc respondetur, quòd contractus est justus & licitus. & negatur quòd pluri dat equum quam sibi valet, imò plus valet sibi. *Responsio.*

Tertium dubium est. si venditor sciat vitium in re vendenda, utrum teneatur emptori hoc revelare, vel non. *Tertium dubium.*

Et videtur quòd non, quia proderet seipsum. Secundò noceret sibi-ipsi, & esset in damnum sibi-ipsi: & hoc esset in diminutionem præmii, si per hoc posset præmiari.

Oppositum patet, quia plus vendet rem quam valet.

Ad hoc dupliciter respondetur, uno modo, quia vel tale vitium est patens, vel non. Si esset patens, & manifestum, tunc venditor non tenetur ad restitutionem rei: nisi emptor habeat minus quam XXV. annos. Si non sit patens, teneretur illi dicere & tenetur ad restitutionem. *Responsio.*

Ad rationes. Ad primam dicitur, quòd illud est verum sine læsione conscientiæ.

Ad secundam dicitur, quòd illud est verum, si sibi noceat quoad bona animæ: & non semper quoad bona corporis.

Ad tertiam quod non: sed dicitur pro tanto facere, ut non noceant animæ suæ.

Quartum dubium. utrum quis licitè potest vendere rem suam ultra: eò quòd pecunia est præ manibus sibi tradita, quàm si pecunia expectaretur: & videtur quòd non. Nam recipere pecuniam pro dilatione temporis est committere usuram: sed sic est hic, igitur. *Quartum dubium.*

Ad hoc dicunt aliqui, quòd injustum est iniquum & illicitum, si indilatè daretur, ut sic morares vendita. sed in casu in quo fieret dilatio in re vendita, & pecunia immediatè daretur, esset licitum. *Responsio.*

Quintum dubium: illi qui faciunt arma invasiva, utrum faciunt illicitè. Et videtur quòd sic, quia dant aliis occasionem peccandi. *Quintum dubium.*

Oppositum patet, quia est permissum in politia bene recta.

Et ad hoc respondetur: quòd duplices possunt esse tales operationes: quia vel intendunt ut aliis fiat nocumentum, vel damnum: vel intendunt hoc proficere reipublicæ: & cum hoc lucrari necessaria vitæ. Si primo modo, agerent illicitè. si secundo modo, licitè. *Responsio.*

Ad rationem dicitur, quòd aliis non dat occasionem, ut patet de se.

Ad rationes principales. Ad primam negatur consequentia: quia iste non *Ad rationes principales.*

est finis mercaturæ naturalis, quæ est licita: sed est alterius finis. scil. malæ mercaturæ.

Ad secundam negatur consequentia, quia melius esset quòd non essent mercatores de mercatura secundo modo dicta: sed aliàs non conceditur.

Ad tertium dicitur, quòd est pro illa quæstione, quia vinum est melioratum per accidens, quia magis utitur ad vitam.

Ad quartum dicitur negando consequentiam. Et patet satis quid sit dicendum. Ad primam probationem negatur quòd multis prodest: imò multis aliis nocet, quia est pessimum nocumentum: Ratio post oppositum est pro dicto.

LIBER

LIBER SECVNDVS POLITICORVM.

QVÆSTIO I.

De Meretricibus.

Circa secundum librum Politicæ quæritur. Utrum sit expediens in civitate omnes mulieres & filios esse communes, & filias.

Arguitur. Et arguitur primò quòd sic, quia illud est expediens, ad quod natura inclinat: sed hoc est ad communitatem mulierum. igitur, consequentia est nota, & major; nam natura dirigitur ab agente infallibili, minor apparet: quia videmus in brutis & aliis animalibus, quòd est communitas fœmellarum & fœtuum.

Item etiam hon communitas mulierum est à voluntate, ergo oppositum ejus est à natura. Patet consequentia: & antecedens similiter.

Secundò sic: illud est expediens per quod humana species magis conservatur, sed hoc est per communitatem mulierum. igitur. consequentia est nota: & major: quia communicatio speciei humanæ facit bonum. Et minor apparet. quia nunc homo posset plures filios generare: nunc eundo ad unam, & postea ad aliam.

Tertiò illud est expediens, per quod dilectio seu amicitia inter habitantes in tali politia magis communicatur. Sed hoc est propter communitatem mulierum. igitur. consequentia est nota. & major etiam, quia amicitia est quid optimum in politia, ut dicit Philosophus. & minor patet: quia ubi sunt poellæ, & mulieres, & pueri communes, unus æqualiter amabit omnes.

Quartò sic, illud est expediens per quod rixæ & divisiones, & dissentiones, & jurgia separantur, sed hoc est propter mulierum communicationem. igitur &c. consequentia est nota: & major etiam: & minor apparet de se: quia per hoc, quòd unus habet mulierem decentem, alter rixatur sibi, & invidet, et

inde proveniunt jurgia. ergo ista communitas diffipatur per hoc.

Quintò sic, illud est expediens per quod civitas ex politia maximè est una et unita: sed hoc est per communitatem mulierum & puerorum, ergo expediens est illos esse communes. Consequentia est nota, major & minor patet, quia ex quo mulieres sunt communes, major est concordia inter eas.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi secundo hujus, capitulo primo, ubi contra [illegible] inconvenientia adducit, ex quibus hoc dicitur. In quibus quatuor articuli. In primo videbitur de quanto. In secundo, utrum matrimonium sit de jure naturali. In tertio videbitur, utrum commixtio cum parentibus carnaliter sit contra naturam.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum est primò notandum, quòd illud dicitur expediens civitati vel politiæ quod maximè congruit fini civitatis. Unde finis civitatis est felicitas politica quæ consistit in amicitia, & concordia, & pacis tranquillitate totius communitatis, seu civitatis.

Primum notabile, de fine civitatis. Isto supposito sit conclusio responsiva. Non est expediens, immo est illicitum omnino in civitate seu politia, omnes mulieres & pueros esse communes. Probatur conclusio, propter multa inconvenientia.

Conclusio responsiva. Non expedit mulieres esse communes. Primum est: quia illud est illicitum per quod generantur litigia & rixæ. sed hoc est per communitatem mulierum & puerorum. ergo nullo modo est licitum: consequentia est nota. & major, & minor patet per experientiam, videmus enim, quòd ubi sunt communes mulieres ibi sunt continuæ rixæ, jurgia, & bella.

Secundò; illud est inexpediens per quod civitas sit confusa, sed hoc est per communitatem mulierum. ergo. consequentia est nota: & etiam antecedens notum est de se.

Tertiò; illud est inconveniens in politia per quod amicitia diminuitur, sed hoc est per communitatem mulierum & puerorum, ergo &c. consequentia est nota: & major: & minor etiam, quia ex quo mulieres sunt communes, amor unius viri multiplicatur ad plures mulieres: modò virtus amoris fortior est, si sit dispersa.

Quartò sic; illud non est expediens per quod generatio prolis deperit: sed hoc est per communitatem mulierum: igitur consequentia est nota, & major, & minor patet, quia per hoc quòd multi viri vadunt ad unam mulierem, nullus concipit.

Quintò sic: illud est inexpediens per quod sit proles incertitudo. Sed hoc est per mulierum communitatem. ergo consequentia est nota. Et major patet quia propter incertitudinem proles non tantum diligitur. & ideo mulieres plus diligunt quandoque filios, quàm patres. minor nota est de se.

Sextò; illud est inexpediens per quod homines moventur ad regnum intemperantiam. sed hoc est per communitatem mulierum. igitur &c. consequentia est nota: major patet de se. minor patet, per communitatem mulierum viri alterantur.

Septimò; illud est inexpediens per quod homines moventur in bestialitatem, & inhonestatem: sed hoc est propter communitatem mulierum. igitur, consequentia est nota, & major. minor patet quia sic patet cum filia & filius cum matre agentes carnaliter.

Octavò sic; illud est inexpediens per quod perit reverentia paternalis sed

hoc

hoc est per communitatem mulierum, quia si sic, tunc homo nesciret quis sit pater ejus plus quam alter vel reliqui.

Item sic, illud est inexpedibile per quod cessat instructio filiorum in bonis moribus sed hoc est per communitatem mulierum. igitur. consequentia est nota: & major & minor probantur, quia filii instructi sunt à suis patribus.

Sed contra dubitationem istam est alia dubitatio. Utrum communitio vini & fe-mellæ sit à natura. Et arguitur quòd non: quia homo propter talem vituperatur, ergo non est naturalis. consequentia tenet, quia propter illud quod est à natura nec laudamur nec vituperamur, & antecedens patet per experientiam.

Dubium, an communitio sit à natura.

Arguitur quòd non.

Secundò sic, nam hoc fit ex electione: ergo non à natura.

Tertiò sic, si sic, sequeretur quòd homo non posset se affectare vel inclinare ad oppositum. consequens est falsum, tenet consequentia, quia omnium naturæ existentium non contingit aliter affectari.

Pro isto dubio nota: quòd aliquid esse à natura potest dupliciter intelligi. Uno modo inisiatione seu inclinatione. Alio modo licet initiatione à natura, tamen à substantiæ complevè.

Notabile. Aliquid est à natura.

Istis positis sit prima conclusio. Communitio talis primo modo dicta est à natura. probatur, quia finis est à natura. ergo ordinata in illum finem sunt à natura. Antecedens patet de generatione quæ est finis.

prima conclusio.

Secunda propositio. Communitio talis secundo modo dicta non est à natura. patet quia est ab electione. Et tunc respondentur ad rationes.

Secunda conclusio.

Ad primam conceditur major, & dicitur quòd homo non vituperatur propter appetitum seu inclinationem, sed propter prosecutionem passionum. scilicet propter complementum.

Ad rationes dubitationis.

Ad secundam dicitur, quòd non est à natura secundo modo.

Ad tertiam dicitur quod licet homo non posset se inclinare ad oppositum illius quod est à natura primo modo: tamen bene potest abstinere à complemento operis. & in hoc meretur homo: quia sustinet passiones & convincit hoc modo.

Quantum ad secundum articulum, est ista dubitatio? Utrum matrimonium sit de jure naturali.

Secundus articulus de matrimonio.

Et arguitur quòd non, quia quod non reperitur in omnibus animalibus non est de jure naturali. sed matrimonium non reperitur in omnibus animalibus. igitur consequentia est nota: & major patet per Isydorum dicentem quòd *jus naturale est quod natura omnia animalia docuit.* Et minor apparet, quia videmus fieri commutationes in speciebus brutorum sine actu matrimonii. Secundò sic: illud non est naturale homini quod non convenit homini secundum quemlibet statum: sed sic est de matrimonio. igitur. major patet, & minor patet per experientiam. apparet etiam per Tullium in sua Rhetorica dicentem, quòd *homines à principio sunt sylvestres.* Secundò: illud non est naturale quod non fit apud omnes eodem modo. ergo. major apparet de se. nam dicit Philosophus, quod ignis ardet eodem modo hic & alibi. matrimonium non sic.

Arguitur.

Quartò: illud non est naturale sine quo potest salvari vel adimpleri intentio naturæ: sed sine matrimonio intentio naturæ potest observari & adimpleri: ergo. &c. Patet major, & minor etiam, quia intentio naturæ est quòd unumquodque ens producat sibi simile. sed hoc potest bene fieri sine matrimonio, ut notum est.

Quintò:

Quintò: matrimonium est de jure divino, ergò non est de jure naturali: tenet consequentia, quia illa jura distinguuntur. Antecedens est notum.

In Oppositum. Oppositum vult Philosophus primo hujus, & etiam secundo, ubi dicit quòd homo naturaliter est animal conjugale. ergo matrimonium est de jure naturali.

Primum notabile: dupliciter dicitur naturale. Pro isto dubio est sciendum quòd secundum beatum Thomam, aliquid dicitur naturale dupliciter, uno modo, quia ipsum est ex puris agentibus naturalibus distinctis ab agentibus liberis seu voluntariis. Alio modo aliquid dicitur naturale, quia licet compleatur per liberum arbitrium, tamen inclinatio naturalis erat ad hoc.

Secundum. duobus aliis modis dicitur naturale. Secundò notandum est, quòd naturale adhuc dicitur duobus modis. Uno modo natura generis, sicut esse animal est naturale homini. Alio modo natura speciei vel differentiæ, ut esse risibile vel rationale est naturale homini isto modo.

Tertium. in quo consistat communicatio domestica. Tertiò notandum est: quòd communicatio domestica quæ consistit in combinatione maris & fœmellæ est prior, & magis naturalis, quàm communicatio Politica, patet, quia communicatio domestica est origo & Principium communicationis civilis. Et hoc dicit Philosophus octavo Ethicorum, quòd viro & mulieri videtur amicitia inexistere secundum naturam, vel à natura, & subdit: *Est enim homo animal magis conjugale (secundum naturam) quam politicum.*

Quartum. Quartò sciendum est, quòd secundum naturalem inclinationem viri & mulieris in domestica communicatione sunt diversa opera & officia, ut patet per Philosophum primo hujus. & etiam quia homo indiget pluribus necessariis quam aliquod aliud animal: quia homo est animal peritissimum: ergo rationabile est, quòd in domestica communicatione natura ordinet aliqua opera pertinentia viro, & alia pertinentia mulieri.

Quintum. Quintò notandum est, quòd ad sufficientem propagationem prolis non sufficit vir sine muliere, nec è contra mulier sine viro.

Sextum, quid dictamen de jure naturali. Sextò sciendum est, quòd loquendo propriè illud est de jure naturali quod est dictatum per judicium rectæ rationis: & ad quod natura inclinat. Ex quo sequitur corollariè, quòd de jure naturali est, quòd creatura diligat deum super omnia: patet, quia homo est dictatus per rectam rationem, ut notum est: & natura ad hoc inclinat, quòd unumquodque eat se habeat ad aliud eo modo quo se debet habere.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio: capiendo naturale primo modo matrimonium non est de jure naturali, nec naturale. Probatur, quia matrimonium completur per consensum & liberam voluntatem. igitur conclusio vera.

Secunda. Secunda conclusio: capiendo naturale secundo modo matrimonium est de jure naturali. probatur: quia sic matrimonium est dictatum per judicium rectæ rationis: & ad illud natura inclinat. Quod probatur tripliciter.

Primò, quia communicatio domestica est naturalis, sicut dictum est. igitur naturaliter inclinat ad illud.

Secundò, ex operis distinctione: quia natura inclinat ad hoc quod opera maris & fœmellæ sint distincta: & quòd vir juvet mulierem, & è contrà.

Objectio. Tertiò, ex prolis nutritione: quia ad hoc non sufficit vir sine muliere, nec è contrà. Sed dices: omnia ista possunt conservari per concubinam in domo. scil. domestica

domestica communicatio, & operum distinctio.

Ad hoc respondent aliqui: quòd ubi ista communicatio servaretur in domo per concubinam potest dici matrimonium in specie. Sed istud non valet, quia ista communicatio non potest impleri, nec bene servari ubi fœmina esset concubina. *Responsio aliquorum.*

Secunda conclusio est, prædictis non obstantibus, matrimonium est de jure divino. hoc satis patet per sacram scripturam, per legem, & per jura canonica. *Secunda conclusio.*

Corollarium est, quod non est inconveniens aliquid esse de jure naturali: & esse de jure divino: apparet de actu matrimoniali. Ex quibus sequuntur tria corollaria quæ possunt probabiliter poni. *Corollaria.*

Primum est, quòd simplex fornicatio, ut inter solutum & soluram, est quodammodo contra naturam. patet, quia per simplicem fornicationem matrimonium impeditur ad quod natura inclinat. igitur, consequentia est nota, & antecedens etiam. *Primum.*

Secundum corollarium est: si sic aliquis vir in competenti existens ætate, non orbatus, nec aliis impeditus, & non nubat, nec alios velit nubere, talis non vivit ut homo, sed ut bestia, vel ut heroicus. Probatur, quia vel abstinet se ab actu matrimoniali, ut posset libentius contemplationi vacare, vel non. si sic, talis non vivit, ut homo, sed ut heroicus. si hoc, non est propter illam causam, sed propter aliam, ut fortè propter fornicationem, vel hujusmodi; & si recedet à naturali inclinatione speciei, scilicet humanæ, & per consequens tunc non vivit ut homo, sed ut bestia. Unde Philosophus primo Ethicorum dicit, *homines voluntatem sequentes sunt vitam secundum eligentes.* *Secundum.*

Tertium corollarium est istud, quantum potest debet fornicationem repellere legislator. Patet, quia legislator intendit ad hoc ut faciat bonos cives: & per consequens omne malum repellere abeis. *Tertium.*

Ad rationes hujus dubii. Ad primam illud non est naturale &c. conceditur natura generis, & illo modo matrimonium non dicitur naturale homini, sed naturale homini ratione speciei. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam, conceditur ista: si nullo modo conveniat, nec quoad inclinationem, nec quoad completionem: & illo modo negatur minor, quia quilibet homo ad hoc inclinatur ex sua natura.

Ad tertiam conceditur totum, de jure naturali primo modo dicto, & isto modo matrimonium non est naturale.

Ad quartam dicitur, quod natura non solum ad hoc inclinat, ut simile sibi generet simile. Sed etiam quod vir juvet mulierem, & è contra, in operibus suis: & hoc non potest fieri nisi per matrimonium.

Ad quintam negatur consequentia, quia stat idem esse de jure naturali, & de jure divino: ut dictum est.

Quantum ad tertium articulum, est videndum, utrum commisceri carnaliter cum parentibus sit contra naturam. *Tertius articulus dubii.*

Arguitur quod non. Illud non est contra naturam quod invenitur in natura, sed talis commixtio cum parentibus invenitur in natura: igitur, consequentia est nota, & major & minor patent. Primo quia in brutis ad experientiam: patet etiam de hominibus in quibusdam regionibus, scil. barbaris. *Arguitur.*

Secundo fiet confricatio membrorum aliorum à genitalibus inter filium &

parentes non est contra naturam: patet consequentia: quia sicut se habent alia membra quoad usus, sic etiam se habent membra genitalia. Antecedens est notum. igitur.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi primo capitulo hujus dicentis politiam malè regi, si talis commixtio esset licita: & hoc arguit contra Socratem & Platonem.

Primum notabile. Pro intellectu dubii est sciendum, quod patre se habente ad filium rectè & secundum cursum naturalem filius recipit à patre nutrimentum, ut patet per Philosophum nono Ethicorum. Corollarium, quòd patre se habente ad filium rectè filius non potest sibi condignum reddere quod ab eo recipit, & hoc saltem obligatione morali. Et dicit notanter [patre se habente rectè:] quia solus bonus est honorandus moraliter.

Secundum. Secundo est notandum, quod ad bene vivere moraliter illud est summè fugiendum per quod concupiscentia carnalis augetur: patet, quia concupiscentia carnalis est mala: quia finaliter inclinat ad malum: ideo dicit Philosophus

De carnalicencupiscentia. septimo Ethicorum, quòd *Venus furata est intellectum ipsius sapientis.*

Tertium. Tertiò notandū est, qd inter actus naturales actus concupiscentiæ carnalis est

De actu ejus. actus vilissimus. patet quia iste actus cōvenit brutis. Secundò patet, quia per cōcupiscentiā carnalem intellectus & ratio absorbentur. Tamen non est dicendū, quòd concupiscentia carnalis sit omnino mala: quia bene & licitè potest fieri.

Quartum. Quartò sciendum est, quod inter omnia quæ filius potest tribuere patri, majora sunt honor & reverentia: patet, quia inter omnia bona exteriora honor &

De reverentia. reverentia sunt optima. Ideo dicit Albertus, quod honor est exhibitio reverentiæ in signum virtutis.

Ex quo sequitur corollariè, quod secundum rectam rationem filius debet honorare & reverentiam exhibere patri. Patet, quia debet ei majora bona quæ potest tribuere.

Quintum. Quinto notandum est, quod illud est contra naturam quod est contra naturalem inclinationem: patet per dicta.

Sextum. Sextò sciendum est: quòd quæstio potest intelligi dupliciter. Uno modo de natura corrupta. Alio modo de natura integra: & de ista intelligitur quæstio, seu dubium.

Conclusio. Conclusio responsiva ad dubium: commiscere parentibus carnaliter est illicitum: & contra naturam integram. Probatur, nam illud est maximè illicitum per quod augetur concupiscentia carnalis: sed hoc est per talem commixtionem. Igitur. Consequentia est nota, & major: minor probatur: quia inter parentes & filios maximè est dilectio naturalis: & ratione commixtionis generatur alia suscitia, & alia concupiscentia. Secundò illud est contra naturam, per quod inhonorantur parentes; sed hoc est per talem commixtionem: igitur. major est nota: & minor etiam. Tertiò, illud est illicitum quod est abbominabile: sed talis commixtio est hujusmodi, igitur &c. Major patet, & minor patet in historiis, & per Philosophum dicentem quod elephas primo cognovit matrem suam carnaliter: & postea cognovit quod esset mater sua, propter abominationem se præcipitavit.

Ad rationes dubii. Ad rationes dubii. Ad primam dicitur concedendo si reperiatur in natura integra. Et de brutis dicitur: quod non habent rationem. Et de barbaris dicitur, quòd

quòd in illis parentibus natura est corrupta.

Ad secundam, negatur consequentia: quia constrictio membrorum genitalium est vilissimus actus inter actus naturales: ideo non est comparatio ad membra genitalia.

Ad rationes principales quæstionis patet quid sit dicendum nunc, & procedunt ex primo articulo. Nam omnes arguunt, & procedunt ex falsis. *Ad rationes principales.*

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO II.

De rerum divisionibus.

Quæritur secundo. Utrum naturali jure omnes possessiones sint communes?

Arguitur quod sic, quia si de jure naturales possessiones essent appropriatæ, sequeretur quod inter bruta esset appropriatio ad vitæ necessaria, seu ad vitam necessariorum: consequens est falsum, & contra experientiam: & patet consequentia per illud quod jus naturale omnibus animalibus est commune, vel est illud quo aliquid est commune omnibus animalibus. *Arguitur.*

Secundò sic, illud non est de jure naturali per quod aliquid usurpat illud quod est solius Dei: sed hoc est propter appropriationem possessionum igitur. Consequentia est nota; & major etiam, quòd illud est illicitum. Minor apparet, quia soli Deo sunt omnia appropriata, & iste est solus dominus omnium.

Tertiò sic. Illud non est de jure naturali quod repugnat juri divino; sed talis appropriatio est hujusmodi, igitur, major patet ex conditione juris naturalis. Patet etiam minor: quia jure divino omnia sunt communia. Unde dicitur jure poli, non jure fori, cum communia constant omnia.

Quartò sic. Arguitur jure naturali unus homo non habet dominium super unam rem plus quam alter: ergo jure naturali omnes possessiones sunt communes. Patet consequentia ex terminis. Antecedens patet, quia possessiones jure naturali sunt ordinatæ ad vitæ necessaria: & hoc ut homo possit adipisci vitam & fœlicitatem, & hoc competit omni homini.

Quintò sic, homines de jure naturali sunt amici: & tamen amicorum omnia sunt communia: igitur, &c. Consequentia patet, & major: quia sicut habetur octavo & nono Ethicorum, amicitia principaliter fit ratione similitudinis, & omne individuum applaudit suo simili. Et minor patet, quia amicorum idem est velle, ut dicitur octavo & nono Ethicorum.

Sextò: Si jure naturali omnes possessiones essent appropriatæ, sequerentur quod communitas possessionum opposita illi appropriationi esset contra naturam. Consequens est falsum, quia communitas est licita tempore finis, & tempore necessitatis: & patet consequentia, quia si appropriatio esset contra naturam communitatis, ei opposita non esset contra naturam.

Septimò sic arguitur, ex jure humano & positivo possessiones sunt appropriatæ: ergo jure naturali sunt communes. tenet consequentia, quia jus naturale & humanum distinguuntur. Antecedens patet per beatum Augustinum super illud:

de jure humano hæc domus mea est, et hic servus meus est: tolle jura Imperatorum quis audet dicere, hæc domus mea est, hic est servus meus: quasi velit dicere, quod nullus.

Octavò sic, jure naturali omnes possessiones non sunt appropriabiles: ergo. patet consequentia: & Antecedens declaratur, quia ut jam dictum est, possessiones sunt ordinatæ ad vitam humanam: sunt ordinatæ ut finaliter adipiscantur; & sic non sunt appropriabiles à natura.

Nono sic, de jure naturali debet fieri quod est melius simpliciter. Sed melius est omnes possessiones esse communes, quam appropriatas: igitur consequentia patet, & major, quia natura dirigitur ab ente infallibili. Et minor patet, quia bonum quanto communius tanto melius, & divinius, ut patet primo Ethicorum, & etiam primo hujus.

Decimo sic, illud non est de jure naturali per quod simpliciter lites & dissentiones fiunt in politia: sed hoc est propter appropriationem possessionum. ergo &c. Major patet: & minor apparet, quia videmus hoc manifestè: & ideo dicit Seneca, *si hæc pronomina Mea & Tua tollerentur, homines quietissimam ducerent vitam.* Et hoc confirmant aliqui Platonicorum per hoc quod omnia erant communia.

In oppositum. Oppositum est Philosophi dicentis secundo hujus quòd inconveniens est omnes possessiones esse communes.

Primus articulus. In quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur, utrum expedit civitati omnes possessiones civium esse æquales. In secundo videbitur ad quæsitum. In tertio erunt dubia.

An expediat omnes civium possessiones esse æquales. Quantum ad primum articulum videtur quod sic. Nam bonum est civitati quòd omnes cives sint æquales. igitur. Consequentia patet, quia æqualitas sit ratione bonorum. Antecedens est Philosophi.

Arguitur. Secundò illud est expediens civitati per quod pax servatur: sed hoc est per æquales possessiones. igitur. Minor & major notæ sunt.

quod sic. *In oppositum.* Oppositum est de intentione Philosophi, quia per hoc turbatur politia.

Primum notabile. Pro intellectu dubii est sciendum, quod possessiones omnium esse æquales ad invicem potest intelligi dupliciter: uno modo secundum quantitatem possessionum. Alio modo secundum proportionem, scil. quod unusquisque tantas habeat possessiones, quantas est dignus habere.

Secundum. Secundo notandum est, quod possessiones sunt organa, quibus mediantibus & homines nituntur adipisci suum finem, & suas proprias virtutes, & suas proprias operationes secundum dictamen rectæ rationis: & ideo dicit Philosophus quarto hujus quod divitiæ sunt organa virtutum.

Prima conclusio. Tunc sit prima conclusio: loquendo de æqualitate possessionum secundum quantitatem, non est bonum possessiones civium esse æquales: probatur per rationem post oppositum: quia per hoc periret pax & concordia.

Secunda. Secunda conclusio: loquendo de æqualitate possessionum secundum proportionem, est expediens possessiones civium esse æquales. Probatur, quia hoc est expediens civitati quod unusquisque habeat quantum dignus est habere. Ex isto sequitur corollarie, quod non oportet possessiones superiorum & inferiorum esse æquales secundum quantitatem, sed solum secundum proportionem: sic quod tanta est proportio illius respectu ejus boni, quanta est alterius respectu sui boni.

Ad

Ad rationes. Ad primam dicitur, quod verum est si sit æqualitas secundum proportionem. *Ad rationes.*

Et ad secundum dicitur similiter. *Secundum articulum.*

Quantum ad secundum articulum erunt notabilia. Secundò conclusiones et in isto articulo videbitur utrum expediat civitati omnia bona esse communia.

Primò notandum est, quod in proposito per possessiones intelligimus illa quæ sunt necessaria ad sustentationem, quibus homo potest uti ad utilitatem, ex quorum abundantia homo vulgariter dicitur dives, & ex quorum penuria dicitur pauper. Et dicitur notanter, [vulgariter] quia nullus dicitur dives, nisi propter bona animæ. *Primum notabile. quid possessio.*

Secundo notandum, quod dominium respectu possessionis est potestas utendi aliqua possessione ad libitum, prout natura rei illius patitur: & hoc licitè. Ex isto patet, quòd si aliquis uteretur re illicitè non diceretur habere dominium. *Secundum. quid dominium.*

Tertiò notandum est, quòd ad hoc quòd aliquis habeat dominium super possessionem duo requiruntur. Primò, quod nullus propter dominium possit uti similiter illa re inuito domino. Secundò requiritur, quod secundum leges institutas iste qui utitur tali re invito domino teneatur ad restitutionem, scil. ad restituendum rem primo domino. *Tertium. Duo requiruntur ad dominium super possessionem.*

Corollariè igitur sequitur, quod nullus homo habet propriè dominium super aquam vel aërem: quia si sic, nullus posset uti licitè illa aqua, illo aëre sine restitutione inuito domino signato.

Quartò notandum est, quod dominia rerum tripliciter fuerunt instituta: scilicet per violentiam, per successionem, & per electionem. per violentiam, sicut multi acquisiverunt bona; per electionem, scil. à deo, vel ab homine; per successionem, scil. per hæreditatem post mortem alicujus. *Quartum. Dominia tripliciter fuerunt instituta.*

Quintò, sciendum est, quod aliquid dicitur de jure naturali tripliciter: uno modo, quia naturali necessitate illud causis agentibus naturaliter producitur puta, ut esset motus gravis deorsum. alio modo, quod sequitur naturalem inclinationem, vel etiam affectum naturalem. *Quintum. Tripliciter dicitur aliquid de jure naturali.*

Tertiò quod est consonum dictamini rectæ rationis, & ad illud natura inclinat: & sic est naturale quod Deus super omnia diligatur.

Sed circa hoc dubitatur. Utrum expediat civitati omnia bona in ipsa existentia esse communia? *Dubitatio incidens de communitate bonorum.*

Arguitur sic, quia illud est expediens per quod servatur unio & concordia in civitate: sed hoc est propter communitatem bonorum, igitur, consequentia est nota, & major, & minor etiam. *Arguitur.*

Secundò sic. illud est expediens cujus oppositum est causa seditionis & discordiæ: sed hoc est communitas bonorum, igitur. Patet major, & minor est Socratis dicentis, *si mea & tua tollerentur, non fierent seditiones.*

Pro intellectu primò sciendum, quod omnia bona esse communia potest intelligi dupliciter. Uno modo quoad usum. Alio modo quoad proprietatem. *Primum notabile.*

Secundò, sciendum est, quod triplicia sunt bona; quædam sunt bona animæ quæ sunt suprema bona, alia sunt infima quæ sunt ipsi fortunæ subjecta. alia sunt media, scil. corporis, ut fortitudo & robur. *Secundum. Triplicia sunt bona.*

Tertiò, notandum est, quod omnia esse communia in civitate potest intelligi dupliciter. *Tertium.*

dupliciter. Uno modo in articulo neceſſitatis. Alio modo ſine articulo neceſſitatis.

Primo concluſio. Sit prima concluſio: expediens eſt in civitate bona animæ eſſe communia, probatur. Nam illud eſt expediens, quod prodeſt omnibus civibus, & nulli obeſt: ſed communitas talium bonorum eſt hujuſmodi, igitur, major patet. minor probatur de bonis animæ, cujuſmodi ſunt ſcientia, & prudentia: quia diſtributio talis boni eſt augmentatio danda, ſicut patet de aliis.

Secunda. Secunda concluſio: non eſt expediens bona corporis eſſe communia. probatur, quia non eſt poſſibile, quod aliquis poſſet dare ſuam fortitudinem.

Tertia. Tertia concluſio: in caſu neceſſitatis expediens eſt omnia bona exteriora eſſe communia omnibus: probatur. illud eſt expediens, cujus oppoſitum eſt cauſa deſtructionis; ſed ſic eſt de tali communitate in tali caſu. major patet, & minor etiam in caſu mortis.

Quarta. Quarta concluſio: quoad uſum omnia bona exteriora ſunt communia, ſaltem loquendo de bonis quæ ſunt ordinata immediatè ad vitæ neceſſitatem, probatur. nam talia ſic ordinata ſunt ad ſupplendum vitæ neceſſitatem, & indigentiam. igitur. Patet conſequentia, per Albertum dicentem, *quia ſunt ad humanam indigentiam non reſpiciunt individuum, ſed totam ſpeciem.*

Quinta. Quinta concluſio: omnino eſt expediens omnia bona exteriora eſſe communia, quoad proprietatem; ſic quod quilibet poteſt dicere, hoc eſt meum.

Iſta propoſitio multipliciter probatur. Primò, quia nullus curaret plus colere & laborare quàm alter, quia unuſquiſque maximè curat de propriis.

Secundò, non indigemus principe: probatur, quia aliquis dicet hoc eſt meum, & alter etiam diceret hoc eſt meum, & tunc non indigeremus principe.

Ad rationes notandum. Et tunc ad rationes. Ad primam, quando dicitur, illud eſt expediens *&c.*

Pro intellectu hujus ſciendum eſt, quod dupliciter poſſumus loqui de unitate civitatis, primò prout opponitur multitudini civium ejuſdem ſtatus diverſi, & iſta unio non eſt bona, quia bonum eſt quod diverſi ibi artifices reperiantur. Alio modo prout unitas dicit unanimitatem & concordiam civium, & iſto modo dicimus quod civitas maximè debet eſſe una, & ſic patet ſolutio ad rationem. Non eſt bonum *&c.* Verum eſt quoad proprietatem, unde in articulo neceſſitatis eſt verum.

Ad ſecundam conceditur major, & negatur minor, apud homines utentes ratione: quia unuſquiſque magis curat augmentare bona ſua. Et hæc de primo puncto.

Secundum punctum procedentis articuli. Quantum ad ſecundum punctum hujus articuli ponuntur notabilia & concluſiones.

Notabile, tripliciter jus naturale. Et primò nota, quod jus naturale tripliciter capitur. Uno modo pro recta ratione naturæ ordinatæ, ſicut rectus ordo naturæ eſt quod leviora ſunt ſupra graviora. Secundò modo capitur pro illo, quod eſt neceſſarium & expediens bono naturali. Tertio modo pro naturali judicio rectæ rationis, vel pro illo quod eſt conſequutivum ipſius. Iſtis præmiſſis ponuntur concluſiones.

Prima concluſio. Concluſio prima. de jure naturali omnis poſſeſſio eſt communis, ſic ſcilicet, quod ſuper poſſeſſiones non habetur dominium naturale. Primo probatur ex humana indigentia. Secundo, ex digoitate & eminentia. Tertio, ex neceſſitate. Primò ex indigentia, quis homo indiget diverſis, quia non eſt per ſe ſufficiens.

igitur:

igitur: patet consequentia, quia natura non deficit in necessariis. Ex dignitate probatur: quia dicit Aristot. quòd *homo est dignissima creatura*: ergo debet habere dominium super res inferiores. & ideo dicit Philosophus secundo Physicorum, quòd *nos sumus quodammodo finis omnium*. Et alibi, *posterius est gratia prioris*. Tertiò probatur ex naturali indigentia, quia natura sollicita est circa animalia bruta: ergo majori ratione debet esse sollicita circa homines.

Secunda conclusio est, quod quædam sunt bona communia, & non simpliciter appropriabilia: ita scil. quòd non possunt appropriari, & hoc de jure naturali, probatur conclusio: quia illa non possunt debito modo appropriari, quæ æqualiter prodesse possunt omnibus tantum, sicut alieni: sed aliqua bona sunt hujusmodi. igitur. consequentia & major patent. omnino enim esset malum quòd sicut aliquid potest prodesse omnibus tantum, sicut aliquibus, quod tantùm appropriaretur uni. minor patet de se, scil. de aqua & aëre. *Secunda.*

Corollarium est, quod talia bona non sunt propriè possessiones, sumendo propriè nomen possessionis. Patet, quia ad hoc quod sit possessio requiritur, quod illo bono possit ratione sui ad proprium utilitatem solùm, & hoc licitè ut dictum est.

Tertia conclusio. de jure naturali nulla possessio est determinatè istius, vel illius, sic quòd hoc sit meum naturaliter, & hoc sit tuum naturaliter. Patet, quia secundum rectam ordinationem naturæ, natura non plus producit talem rem pro isto supposito, quàm pro illo. igitur. patet consequentia ex terminis. probatur, quia producit tales res ad succurrendum humanæ indigentiæ, & non isti solùm, vel illi. *Tertia.*

Sed fortè aliquis diceret, quòd illa conclusio & prima repugnant ex terminis earum.

Pro quo sciendum est, quod lex naturalis non respicit ad individuum. sed respicit ad totam speciem. Unde dicimus quod omne reubarbarum est sanativum choleræ, & omnis lactuca est sanativa febris. Modò clarum est quòd illud non potest habere veritatem solùm de individuo illius speciei. Modò ita est in proposito, quod prima conclusio loquitur secundum speciem, & tertia secundum individuum alicujus speciei. *Quid respiciat lex naturalis.*

Quarta conclusio est ista. de jure naturali secundo modo dicto non omnia sunt communia. Ista conclusio de directo respondet ad quæstionem. probatur. nam secundum jus naturale omnino expediens est, non omnes possessiones esse communes. igitur. Consequentia est nota. & antecedens etiam patet ex prædictis. Ex isto sequuntur sex magna inconvenientia. Primum negligentia, quia dicit Philosophus quòd maxima cura est de propriis: & etiam quod est commune pluribus visto per se vilipenditur & destruitur. *Quarta.* *Inconvenientia quæ sequerentur ex communitate bonorum.*

Secundum inconveniens est discordia, scilicet illa quæ sunt inter superiores & inferiores: quia superiores murmurarent quòd minores haberent tantam potestatem circa possessiones, sicut ipsi.

Tertium malum & inconveniens est defectus honestæ delectationis. Nam honesta delectatio est labor, & circa bonum proprium, ut dicit Tul. modò sic nulla esset operatio circa bona propria.

Quartum malum est intemperantia: quia sic nimis abundarem in cibis & potibus

potibus; sed in nimis sustinendo potus & cibos, & sic ipsis gulosis existentibus destruerentur, ut dicitur etiam.

Quintum malum est defectus liberalitatis, quia usus liberalitatis est in dando propriam substantiam.

Sextum malum est totius politiæ destructio: quoniam ad discordiam, & litem, & defectum honestatis, & delectationis, sequitur etiam destructio civitatis.

Corollarium. Ex ista conclusione sequitur, quòd appropriatio bonorum, scilicet possessionum non est solùm expedions, immo naturalis: sumendo jus naturale largè. Secundo probatur, quia talis appropriatio est consona, vel conformis judicio rectæ rationis: igitur, consequentia patet: & antecedens etiam, quoniam illud est consonum rectæ rationi per quod tolluntur omnia mala in politia: sed hoc fit per talem appropriationem ut dictum est. secundò sequeretur, quòd dicentes omnes possessiones esse communes de jure naturali, sunt vitiosi & non audiendi in politia. Patet, quia periculosum est esse cum illis qui non facerent conscientias in capiendo res alienas.

Sed ponendæ sunt dubitationes. Per quam legem distincta sunt dominia rerum.

Ad hoc sunt tres propositiones.

Prima est, Per naturalem legem primo modo dictam dominia rerum sunt distincta: probatur, quia differenter ad utilitatem omnium rerum res agit sive producit suos effectus.

Secunda propositio, Secundum legem divinam dominia rerum non sunt distincta, probatur, quia quicquid deus fecit propter indigentiam humanam fecit indifferenter ad illius vel istius vitæ necessitatem.

Tertia propositio est ista: secundum legem naturalem humanam civilem dominia rerum sunt distincta, probatur: quia ex ordinatione humanitatis adinventa sunt dominia rerum distincta: igitur. Patet consequentia: & antecedens etiam.

Quæstiuncula. Aliud dubium. Utrum omnia esse communia sit præceptum naturale de jure naturali.

Responsio. Ad dubium respondetur, quòd loquendo de præcepto naturali ipsa non sunt communia.

Sed quæreret tunc aliquis quid est dicendum ad alios. Dicitur quòd si oppositum videtur aliquando esse præceptum, debet hoc intelligi sic, scilicet quòd appropriatio talis, scilicet quòd hoc sit meum, & hoc tuum, non sit de jure naturali. Ex quo sequitur corollariè, quòd quando quæritur utrum &c. debet intelligi de appropriatione tali.

Tertium articulus. Quantum ad tertium movenda sunt dubia sive dubitationes. Et primò, Utrum ars acquisitiva possessionum sit pars Oeconomicæ.

Secundò videbitur. Utrum vita pastoralis sit perfectior vita agriculturæ.

Tertiò, de quibusdam documentis quibus licitum est acquirere possessiones secundum jus.

Quartò quomodo legislator debet permittere aliquem abundare in possessione quantum potest.

Primum dubium. Quantum ad primum. Arguitur quòd non. Illud non est pars Oeconomicæ

sine

sine quo potest haberi vita Oeconomica: sed sine industria acquisitiva possessionum potest haberi vita Oeconomica, igitur &c. Major apparet de se. Minor probatur, quia multi sunt qui habent multas possessiones à suis prædecessoribus.

Oppositum vult Philosophus primo capitulo hujus ubi ponit oppositum: scil. impossibile est Oeconomicam esse bonam, nisi pater-familias habeat artem acquisitivam possessionum. *In oppositum.*

Pro isto notandum, quòd Oeconomica est ars seu prudentia practica seu industria qua pater familias scit regere domum. *Primum notabile. quid sit œconomica.*

Secundò notandum est, quòd ibi domus non capitur pro habitaculo: sed pro omnibus partibus requisitis ad Oeconomicam. *Secundum notabile.*

Tertiò notandum est, quòd totalis Oeconomicæ sunt tres partes, quæ sunt nuptialis, paternalis, & dominalis. Nuptialis est ars qua pater-familias scit regere uxorem. Paternalis est qua pater scit regere filios suos. Dominalis est qua paterfamilias scit regere servos, & bene se habere ad illos. *Tertium. de partibus œconomicæ.*

Quartò notandum est, quòd non est possibile patrem-familias bene regere domum sine necessariis: scil. sine pane, vino, & nutrimento. Et ideo dicitur quòd non tantum hominis est panis & aqua. *Quartum.*

Quintò notandum est, quòd pater-familias indiget duplici industria ad bonum regimen. Prima consistit in utendo bonis, & talis dicitur usura. Alia consistit in acquirendo, & dicitur acquisitiva. Unde prima est necessaria, dicitur in Catone, *uterequæsitis parcè &c.* Secunda est necessaria: quia omne singulum per ablationem finiti tandem consumitur, ergo nisi acquireretur, tandem totum consumeretur, & fieret paucitas. *Quintum, paterfamilias duobus indiget.*

Sextò notandum est, quòd acquisitivæ possessionis sunt quatuor modi. Primus modus est laborando circa terram in bladis & vineis. Secundus modus est laborando circa ministeria corporalia, ut ædificare &c. Tertius modus est circa administrationem seu industriam habitus ad animam. Quartus modus est congregando pecunias. Primo modo dicitur, quòd agricultura est triplex, scilicet pastoralis, agrestis, & venativa. De secundo modo dicitur, quòd indiget scientia activa doctrinæ: & etiam de tertio dicitur, quòd indiget justitia, & sic de aliis. Et istis quatuor modis correspondent quatuor virtutes Cardinales. Quartus modus est multiplex. Nam quidam ponunt pecuniam ad usuram, & alii ad artem emptoriæ. igitur. & sic de aliis. *Sextum. de modis acquisitivæ possessionis.*

Tunc sit prima conclusio responsiva. industria possessiva est pars Oeconomicæ sine quo Oeconomica non potest bene esse: sed hic est de industria possessiva. igitur, major patet de se, & minor ex dictis, quia pater familias indiget duplici industria, ut dictum est. *prima conclusio, & responsiva.*

Et tunc ad rationes. Ad primam conceditur major, & negatur minor. Ad probationem dicitur, quòd si tales nunquam laborent per se, vel per alios, adhuc non possunt diu habere divitias, ut notum est. *Ad rationes.*

Ad secundum punctum Arguitur quòd vita pastoralis sit perfectior. Illa vita est perfectior, quæ accidit ad statum perfectiorem: sed vita pastoralis est hujusmodi. igitur, major est nota, & minor etiam: quia tales pastores sunt contenti paucis, ut herbis, lacte &c. & non curant de pecuniis. *Secundum dubium. Arguitur.*

In oppositum vult Philosophus secundo hujus. *In oppositum.*

Primum notabile de statu innocentiæ.

Pro evidentia hujus supponitur, quòd status innocentiæ respicit aliquas prædentias inducentes ad statum innocentiæ, unde status non debet dici in statu innocentiæ. Unde ille est in simplicitate asinina, qui non diligit divitias ex libera industria, & ex præcognitione bona.

Secundum de divitiis simpliciter.

Secundò notandum est, quòd inter omnes divitias divitiæ naturales sunt divitiæ simpliciter, probatur; quia illæ sunt divitiæ simpliciter, cum immediatè ordinantur ad vitæ necessitatem; ut sunt blada, vinum: sed non omnes aliæ sunt hujusmodi: ergo illæ sunt divitiæ secundum quid. Nam dicit Philosophus quòd stat hominem mori in illis divitiis.

Tertium.

Tertiò sciendum est, quòd ille qui recedit à conversatione humana, & civili, nisi hoc fecerit propter devotionem, est brutalis homo: patet per prædicta.

Prima conclusio.

Sit ergo prima conclusio: Agricultura est simpliciter perfectior vita pastorali: probatur; nam illa est perfectior quæ magis recedit à vita brutali: sed agricultura est hujusmodi, igitur &c. major apparet de se, & minor patet, quia pastoralis contentatur in cibis brutorum. Item illi qui vivunt vita spirituali recedunt à vita humana, Item magis distant à vita solitaria quæ non est laudanda.

Ad rationes dubii.

Ad rationes dubii ante oppositum, dicitur quòd illa simplicitas non arguit statum innocentiæ.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio principalis est, inter omnes industrias acquisitivas possessionum agricultura est principalior. Patet, quia magis immediatè ordinatur in divitias naturales.

Tertium dubium.

Quantum ad tertium dubium notandum est, quòd sunt sex documenta sequisitionis possessionum.

Notabile responsivum.

Primum est ex parte vendentis: scilicet cum vendens non vendit rem cariùs, quàm valet.

Secundum documentum est, quòd emens propter suam ignorantiam non emat rem plus quàm valet.

Tertium præceptum est quòd ex parte medii, scilicet quòd pondus & aliæ differentiæ mensuræ quibus res venduntur, sint veræ.

Quartum documentum est ex parte rei venditæ, scil. quod res vendita non habeat defectum.

Quintum documentum est vitare malam laudationem de re vendita.

Sextum documentum est vitare monopolium, unde monopolium committitur quando unus solus emit omnia mercimonia ad finem ut ipse solus vendat & lucretur; vel quando faciunt conditiones simul venditores, ut non dent rem, nisi vendant plusquam valet.

Quartum dubium.

Quantum ad quartum dubium sciendum est Primò, quòd legislator non debet aliquid permittere in politia, nisi illud sit ad bonum commune ordinatum, vel nisi illud sit utile.

Primum notabile.

Secundum.

Secundò supponitur, quòd appetitus divitiarum artificialium est infinitus, loquendo de appetitu inordinato, sicut dicitur primo hujus.

Tertium.

Tertiò supponitur, quòd homo de quo fit sermo, vel est bonus, vel est malus. Si bonus, tunc non appetit ultra modum, & debitum ordinem. si malus, tunc facit oppositum.

Prima conclusio.

Tunc sit conclusio prima responsiva, quòd talis homo, si sit bonus & diligens bonum commune, debet permittere ipsum dictari, probatur: quia iste est

permittendus

permittendus ditari per quem bonum commune potest meliorari: sed sic est de isto. igitur &c. totum est manifestum.

Secunda.

Secunda propositio: in casu in quo talis homo est malus, non est permittendus ditari. probatur. quia legislator habet ordinare quod est bonum in politia. Patet per secundam suppositionem. secundò, quia hoc esset in præjudicium totius communitatis, scilicet quòd malus ditaretur. Ex istis conclusionibus sequitur corollariè, quòd legislator habet videre, scire, & inquirere societates & conversationes civiles.

Ad rationes principales.

Et tunc ad rationes principales quæstionis solutæ sunt ex dictis.

QUÆSTIO III.

De Melioritate Legum.

QUæritur tertiò. Utrum meliori lege inventa, sit antiqua lex ei incompossibilis abolenda.

Arguitur.

Et arguitur quòd sic. Illud semper est acceptandum quod est melius, & illud refutandum quod est minus bonum: ergo lege meliori inventa, alia debet aboleri: consequentia est nota. Et antecedens patet per omnes.

Secundò sic, sicut est in scientiis, & artibus, ita debet esse in politiis: sed sic est in scientiis & artibus, quòd melioribus scientiis adinventis aliqua eis incompossibilia abolentur. igitur. major apparet, & minor etiam ex arte medicinæ, quia postquam nova meliora inventa sunt, antiqua sunt abolita.

Tertiò &c. mala eveniunt quæ non possunt per antiquas leges corrigi. igitur, consequentia patet, & antecedens notum est.

Quartò sic, insequendo leges antiquas & derelinquendo novas meliores, insurgunt dissentiones in politia. igitur &c. Patet consequentia ex terminis. Antecedens patet, quia lex antiqua est quod non erat licitum aliquid vendere, nec etiam possessiones immobiles, patet ex textu: Modò si nulli venderent vel emerent, sequerentur magna inconvenientia, & magna fieret dissentio, & periret tota politia.

Quintò, antiqui posuerunt leges, & multum rudes quas Philosophus vocat barbaricas: & illas leges posuerunt propter defectum experientiæ: ergo tales leges sunt abolendæ. consequentia est nota, & antecedens est Philosophi in littera in isto secundo.

Sextò sic, multi principes construxerunt leges novas antiquas destruendo, & non est dicendum, quòd in hoc erraverunt. igitur. consequentia patet, & major. sed minor probatur, quoniam hoc fecerunt cum magno consilio prudentiæ. Item videmus, quòd antiquæ leges sunt destructæ & novæ fiunt. quare sequitur &c.

In oppositum.

Oppositum est de intentione Philosophi in isto secundo, ubi prohibet leges antiquas mutari. Unde mutare leges est facere virtutes legum esse debiliores.

Primus articulus.

In quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur utrum aliqua lex licitè sit mutabilis. Et utrum licitum sit subdito legi, contraire legi. In secundo videbitur ad quæsitum. In tertio erunt aliqua dubia.

Primum notabile. de triplici lege.

Quantum ad primum articulum, est primò notandum, quòd triplices sunt leges,

leges, ſcil. divinæ, & humanæ, ſeu Poſitivæ & Naturales.

Secundum notabile. Secundò notandum eſt, quod lex humana ſic deſcribitur: eſt enunciatio univerſalis ab homine vel hominibus poſita, & agibilium directiva. Unde videmus, quod hujuſmodi leges univerſales ſunt ab hominibus inventæ, & directivæ agibilium.

Tertium. De bonitate legum novæ. Tertiò notandum eſt, quod nova lex poteſt eſſe melior antiqua dupliciter. Primò, quia antiqua lex non fuit optima. Secundò, quia antiqua lex fuit optima pro illo tempore: ſed pro tempore moderno non.

Quartum. Lex mutatur tripliciter. Quartò notandum eſt, quod antiqua lex poteſt mutari tripliciter in novam legem. Primò propter mutationem politiæ in aliam. Secundò, propter mores & complexionum humanarum mutationem, quia homines ſunt mutarii in moribus. Tertiò propter poſſeſſionum indiſproportionem: quia expedit omnes poſſeſſiones eſſe æquales, non in quantitate, ſed in proportione. igitur propter diſproportionem periret politia.

Quintum. Lex ex quibus habeat robur. Quintò notandum eſt, quòd lex humana vigorem, vim, & robur habet ex principiis duobus: ſcil: ex principe, & conſuetudine. Ex principe ſcil. à quo fit. A conſuetudine, quia homines antiquis temporibus ſunt conſueti tali legi, & oportet videre de conſuetudine & mutatione ejuſdem.

Sextum. Sextò ſciendum eſt, quòd in politia illud eſt faciendum quod eſt melius & quod eſt convenientius ad finem totius politiæ: ſcil: ad defenſionem & conſervationem ejus.

Prima concluſio. Sit igitur prima concluſio: lex naturalis non eſt licitè variabilis: probatur, quia lex naturalis eſt conſona dictamini rectæ rationis, & ad illam legem naturalem habemus inclinationem: ergo non eſt mutabilis. Patet conſequentia, quia natura nunquam ex intentione errat; quia ordinatiſſimè agit ex 12. Met. ut natura dat naturalem inclinationem ad diligendum patrem. Secundò nunquam lex naturalis eſt mutabilis ut dicit Philoſophus, quia natura exiſtentium nunquam contingit aliter aſſueſci: modo ſic eſt de tali lege.

Secunda. Secunda concluſio: lex purè divina à puro homine non eſt licitè mutabilis auctoritativè. Iſta concluſio ſatis patet ex terminis.

Tertia. Tertia concluſio eſt iſta: lex humana ſeu poſitiva in multis caſibus eſt licitè mutabilis: probatur: nam principium talis legis eſt mutabile licitè, igitur: Patet conſequentia, & antecedens etiam, quia hujuſmodi principium eſt ratio. *Unde ſic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.* Secundo, nam ſi leges antiquæ ſervarentur, multæ fierent diſſentiones in politia: ut patet de lege Socratis & Platonis, & ſic de aliis. Et de iſtis caſibus ſpecialiter videbitur in ſecundo articulo.

Dubium. Tunc videndum eſt de ſecundo puncto. Utrum ſit licitum ſubdito legibus contraire, & contra legem facere, verba legis interpretando. Et arguitur quod non illius non eſt contra legem ire, cujus non eſt legem condere: ſed ſubditi non eſt legem condere, igitur. major patet, quia unius ſolius eſt legem condere & deſtruere. Et minor nota eſt de ſe.

Argnitur. Secundo ſic, non eſt licitum ſubdito ire contra verba legiſlatoris: igitur. Conſequentia patet: quia ſupponitur quòd legiſlator ſit ſapiens. Modò oportet quòd ille legiſlator ſua verba exprimat, quæ verba ſunt verba legis. igitur &c. conſequentia patet de ſe.

Oppoſitum

In Oppositum. Oppositum arguitur: nam in multis casibus licitum est hoc: posito quod sit lex in civitate quod portæ sint semper clausæ, quando inimici essent ante portas & quod princeps sit extra portam à casu, & quod fugiat propter inimicos; tunc portæ sunt in illo casu aperiendæ, quia aliàs tota politia periret. Pro ista materia & solutione est sciendum quòd multum refert procedere contra verba legis, & contra intentionem legislatoris. Patet, nam intentio legislatoris est conservatio & utilitas politiæ.

Primum notabile.

Differunt ire contra verba, & contra intentionem.

Secundò sciendum, quod subditum legi ire contra legem potest intelligi dupliciter: uno modo autoritativè, alio modo de per accidens, & particulariter.

Secundum.

Prima conclusio. Sit igitur prima conclusio. In multis casibus licitum est ire contra verba legis legem interpretando. Patet, quia manifestum est quod in casu jam posito tota politia periret.

Secunda. Secunda conclusio: in nullo casu licitum est contra intentionem legislatoris ire. Patet, quia intentio talis est justa & bona &c.

Tertia. Tertia conclusio, autoritativè & principaliter licitum est soli principi ire contra verba legislatoris legem interpretando. probatur: illius est solum ire contra legem, cujus est legem condere autoritativè solùm: sed sic est de principe. igitur.

Quarta. Quarta conclusio: in aliquo casu particulari, & de per accidens licitum est subdito legi contra ire, verba legis interpretando. Patet, Nam si hic esset lex posita, quod quandocunque inimici sunt ante portas quòd portæ clausæ sint: & princeps à casu exiverit, & postea redeat ad portam civitatis; et clarum est, quod janitor habet portas aperire principi: ergo in hoc non vadit contra intentionem legislatoris.

Ad rationes dubii. Tunc ad rationes. Ad primam, quando dicitur, illius solùm &c. conceditur illud cujus est auctoritativè & principaliter legem condere.

Ad secundam rationem negatur consequentia. Et ad probationem dicitur quod expressit legislator intentionem suam in universali, & illa intentio est bona: nec est interimenda sua intentio, sed secunda intentio ejus fuit in particulari, scilicet quòd aliter est faciendum ubi majus malum incumberet.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum. Restat respondere ad quæstum, & erunt duæ partes. Primo respondebitur ad quæstum in forma. Secundò videbitur, utrum contingat cives peccare posito quòd nulla lex sit posita à principe.

Primum notabile. Quantum ad primum primo notandum est, quod legislator qui debet homines in finem suum dirigere non debet finem considerare absolutè: sed in respectu, prout est applicabilis hominibus ordinatis in talem finem. Verbi gratia, legislator vult quòd homines sint boni; non debet illum finem absolutè considerare, quia aliqui sunt indociles, aliqui rudes, et sic de aliis. Ideo oportet respicere ad finem prout applicabilis est hominibus. Et hoc sequitur corollariè, quod legislator in constituendo leges debet respicere ad homines, & ad loca &c. ad conditiones hominum, & patriæ.

De consideratione finis.

Secundum. Secundo notandum est, qd sicut in corpore humano subita mutatio multùm nocet; ita etiam subita mutatio legis multùm nociva est. Patet, quia efficacia à principe & à *De subita mutatione legis.* consuetudine est; ergo si ex consuetudine antiqua fieret mutatio, oriretur suspicio

quia ex quo longo tempore tenebatur lex: signum est quod fuit bona.

Tertium. De triplici lege humana.

Tertiò notandum est, quod in generali triplices sunt leges humanæ. Nam quædam lex est in aliqua patria, qua primus filius debet obtinere omnes possessiones, ut in patria de Caleto. Aliæ sunt quæ respiciunt homines & dignitates. Aliæ sunt quæ respiciunt judicia, ut qui furabitur debet suspendi. Et secundum diversas leges sunt mutationes legis diversæ, & malæ, & magis periculosæ. Patet. nam si est lex in patria quod filii post patris mortem dividant æqualiter possessiones, & bona relicta: si ista lex mutetur, periculosum est.

Quæritur. De mutatione legis antiquæ in novam.

Quartò sciendum est, quòd mutatio legis antiquæ in mutatione novæ legis melioris potest duobus modis fieri. Uno modo subitò, & non convocando, & & quasi sine consensu. Alio modo paulatim, & convocando populum, & cum eorum consensu.

Quintum. Quod unus debet considerare.

Quintò sciendum est, quod si legislator debeat mutare legem antiquam in legem novam, debet videre quæ mala sequuntur, sequendo primam, sc. antiquam legem, & tunc videre quot bona sequuntur tenendo legem novam, & ista adinvicem perpendentiam comparare.

Sextum. Timendus est à Legislatore tumultus populi, Prima conclusio.

Sextò supponitur quod legislator in omnibus suis actibus debet timere tumultum populi, quia talis tumultus est causa dissentionis populi.

Sit igitur prima conclusio. In casu in quo bona quæ sequuntur ad novam legem non sunt multùm meliora, quam mala quæ sequuntur ex lege antiqua: isto casu stante, non est antiqua lex ei incompossibilis abolenda, sine convocatione, & consensu totius populi. Patet per Arist. dicentem, quòd *mutatio legis non est bona*: probatur etiam ratione: quia per hoc pariet politia, & per hoc orientur dissentiones, jurgia, & lites in politia.

Secunda.

Secunda conclusio: Incasu quo bona quæ sequuntur ad novam legem sunt multùm majora, quam alia sint mala, quæ consequuntur ad antiquam legem, paulatim meliorilege nova inventa antiqua, incompossibilis ei cum consensu & convocatione populi est abolenda: patet conclusio facta per rationem Philosophi in litera. Corollarie sequitur, quòd non semper illud quod est melius est faciendum. Patet: nam capitur lex antiqua, & nova capitur quæ melior est, licet non multùm, in isto casu non est antiqua lex abolenda, et nova acceptanda. Patet, quia lex antiqua diu est servata: ergo populus judicat eam à patribus antiquis bonis & veris esse positam, & ideo diu est servata.

Dubium.

Quantum ad secundum punctum est dubium, supposito quod non sit aliqua lex posita à principe. Utrum possibile est cives peccare, & malè agere. Arguitur quod non, quia in tali casu cives ad nihil obligantur. igitur, consequentia patet, quia aliquis peccat nisi dimittendo ad quod obligatur. Et Antecedens notum est.

Arguitur.

Secundò, illo casu posito nulla esset prohibitio, igitur. Consequentia tenet, quia nullus peccat nisi faciendo prohibitum. Antecedens patet: quia ibi nullum est præceptum, nec affirmativum, nec negativum.

In oppositum.

Oppositum arguitur illo casu stante possibile esset aliquem civium victualia auferre ab aliquo existente in extrema necessitate, & ibi esset peccatum. igitur, patet consequentia, & major & minor, quia hoc est facere contra justitiam & caritatem, aliquem fame facere, & sic de aliis. Secundò, stante aliquem peccare

re contra legem naturæ: scil. aliquem odire seipsum, vel aliquem interficere seipsum.

Pro quo sciendum est, quod inter legem humanam & naturalem triplex est differentia. Prima est, nam lex naturalis omnes homines habentes usum rationis obligat: sive sint Judæi, sive Pharisæi, puta ad amorem sui ipsius: sed lex humana non obligat homines indifferenter: Sed hic, & non alibi. Secunda differentia est, quia in lege naturali non cadit dispensatio, ut notum: sed contra legem humanam bene cadit. Tertia differentia est, quoniam lex naturalis nullo modo est mutabilis, sed lex humana est bene mutabilis. *Primum notabile.* *Triplex differentia legum humanæ & naturalis.*

Secundò notandum est, quod in politia sunt duo præcepta, scil. affirmativum & negativum. Affirmativum est, ut quilibet faciat quod licitum est fieri, & sic de aliis. Præceptum negativum est, quòd nullus faciat id quod non est licitum facere. *Secundum.* *Duplex præceptum in politia.*

Tertiò notandum est, quòd præceptum negativum semper obligat ad actum exteriorem: sed præceptum affirmativum non obligat ad actum exteriorem: sed bene obligat quoad habitum interiorem. *Tertium.*

Quartò notandum est, quod actus humani sunt duplices: quidam sunt mali, quia prohibiti; alii sunt prohibiti, quia mali: & isti non possunt fieri bene, saltem moraliter. Et ideo dicit Philosophus, quòd aliqui sunt quæ confestim mala sunt, & circumdata malitiis. *Quartum.* *Sunt duplices actus.*

Quintò supponitur, quòd loquendo præcisè moraliter quotiescunque voluntas humana elicit actum humanum difformem dictamini rectæ rationis, peccat moraliter: quia facit contra conscientiam. *Quintum.*

Istis positis sit prima conclusio. Posito quòd nulla lex sit posita, possibile est aliquem civem rectè judicare, & formare rectum judicium de aliquo faciendo, & stare contra illud judicium aliquem obviare, & facere oppositum. Major patet: & minor apparet, quia si dicat aliquis, ista eleemosyna est facienda pro Deo, & non facit, peccat: & hoc casu stante aliquis potest peccare contra legem naturalem, scilicet seipsum interficere. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. Posito quòd nulla lex sit posita à principe, non est possibile peccare contra legem humanam, seu contra illam malè agere, patet ex terminis, quia nulla lex est posita, ergò non est peccare contra ipsam. *Secunda.*

Ad rationes dubii quando dicitur nulla est obligatio &c. Concedatur de obligatione humana: sed negatur de obligatione naturali contra quam non est dispensatio. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam quando dicitur nulla esset &c. negatur consequentia, quia aliqua sunt prohibita quia sunt mala, & illa sunt simpliciter mala: sed ratio bene arguit de malis quæ sunt mala prohibita, & non de aliis ut satis apparet. *Tertius Articulus.* *Arguitur.*

Quantum ad tertium articulum dubitatur, utrum licitum sit in politia furari aliquid. & Arguitur quòd sic, quia omne bonum est licitum: sed in aliquo casu furari est bonum, ergo est licitum. Consequentia patet, & major, & minor declaratur, quia in casu quo aliquis furaretur propter addiscere, vel dare pauperibus, sequitur propositum. Secundò capere rem non suam est furari: sed capere rem non suam in aliquo casu est licitum: ergò licitum est furari. Major patet. Et minor declaratur, quia secundum omnes leges si lapis pretiosus reperiatur

petizetur in fundo maris licitum est ipsum capere, & retinere, & tamen non est sui. similiter si inveniatur in campo silvestri. Tertiò sic capere rem propriam est omnino licitum, sed in aliquo casu capere rem propriam est furari. ergo licitum est furari. major patet de se. minor probatur, quia posito quòd alicui librum meum concesserim, & tamen recipiam librum meum illo nesciente, sic facerem furtum, & tamen caperem rem meam.

In oppositum.

Oppositum arguitur, quia aliquid furari est contra justitiam commutativam. ergo est illicitum. consequentia patet, quia omne tale est illicitum, ut patet per Philosophum quinto Ethicorum. antecedens patet, quia hoc non est dare alicui quod suum est.

Primum notabile. quid furtum.

Pro intellectu hujus sciendum est, quòd furari sive furtum sic describitur. Furtum est fraudulosa rei alienæ constructio. invito domino, non lucrandi gratia, sive sit in usu rei, sive in rei possessione.

Secundum, quis particeps furti, & quot modis.

Secundò notandum est, quòd secundum quod legitur ex dictis Philosophorum naturalium, & in tertio hujus, aliquis potest fieri particeps alicujus furti novem modis, qui novem modi habentur in his versibus.

Fussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestus.

Primus modus est in jussione, clarum est, si dominus jubeat servo, ut furetur, ipse efficitur particeps illius furti.

Secundus modus consistit in consilio: ut si quis det consilium furandi.

Tertius modus consistit in consensu, ut si quis præbeat consensum, ipse est particeps furti, & est puniendus. Juxta illud, *agentes & consentientes pari pœna puniuntur.*

Quartus modus est circa palponem, & est palpo communis generis significans illum vel illam, qui vel quæ adulatur, ut ipsum furtum committatur.

Quintus modus est in recursu, ut quando fur haberet recursum ad aliquem hospitem suum.

Sextus modus sit in participando, ut ille qui dicitur particeps restantium, dicitur particeps furti.

Septimus modus est in hoc, quòd aliquis sit mutus, & non vult obviare loquendo vel clamando.

Octavus modus est quando aliquis non obstat, ubi tamen bene potest, & quando potest.

Nonus modus est quando aliquis scit aliquem furem, & non manifestat, & isti sunt novem modi.

Tertium notabile. Duplex furtum.

Tertiò notandum est, quòd secundum omnes morales Philosophos duplex est furtum, quoddam est occultum. aliud est manifestum. Manifestum est quando aliquis comprehenditur in actu. Occultum est quando aliquis non comprehenditur in actu, sed scitur per conjecturationes.

Quartum. Res sunt in duplici differentia.

Quartò notandum est, quòd res sunt in duplici differentia, quædam sunt quæ nunquam fuerunt ab aliquo possessæ, ut lapides pretiosi in mari. Alia sunt quæ fuerunt possessæ ab aliquo.

Quintum,

Quintò sciendum est, quòd secundum omnes Philosophos & Theologos, nunquam mala sunt facienda, ut inde bona eveniant, eò quòd non est possibile quòd malum sit in bonum ordinatum; quia si esset in bonum ordinatum, tunc esset bonum.

Sextò

Sextò sciendum est, quòd secundum veritatem non solùm committitur furtum in removendo rem alienam invito domino, sed etiam utendo illa re aliter quam dominus permittit. Unde aliqui volunt, quòd si concedam alicui librum meum solùm, ut ipse utatur eo, & si ipse alicui alteri concedat, tunc ipsa concessione committit furtum; quia ipse capit usum invito domino, & fraudat eum contra voluntatem suam. *Sextum.*

Sit ergo conclusio responsiva. In nullo casu est licitum furtum committere, seu furari. probatur conclusio, per Philosophum tertio Ethicorum dicentem: nihil prohibet aliqua esse quæ confestim nominata circundata sunt malitiis. & exemplificat de furto. Item hoc est contra justitiam commutativam, & legem divinam, scil. non furtum facies. *Conclusio responsiva.*

Sed tunc dubitatur, utrum pro vitæ necessitate licitum sit furari panem, vinum, vel aliquid hujusmodi. Pro isto sciendum, quod in isto articulo necessitatis omnes res naturales quæ sunt veræ divitiæ sunt communes. Ex quo sequitur, quòd in casu necessitatis, recipiendo illa quæ sunt necessaria ad vitam non capiuntur res alienæ. Secundò sequitur, quòd recipiendo vinum, vel panem in casu necessitatis non committitur furtum. *Primum dubium.*

Ex istis sequitur conclusio responsiva ad dubium: quòd in casu necessitatis licitum est capere illa quæ sunt ad vitam necessaria. Patet per prædicta. *Conclusio responsiva.*

Dubitatur secundò, si Sortes concedat Platoni equum suum pro eundo præcisè ad Sanctum Dionysium, & vadat per decem leucas ultrà; utrùm Plato committat furtum: cum ibi sit fraudulosa res. *Secundum dubium.*

Respondetur, quòd tenendo dicta in sexto notabili, ibi committitur furtum, quia ibi est fraudulosa rei alienæ seductio: quia usus equi non est Platonis, ultra Sanctum Dionysium: & sit gratia lucrandi. *Responsio.*

Dubitatur tertiò, si sit unus usurarius multùm parcus, & dives: & alius capiat decem libras ex bonis suis, & det pauperibus, utrum sit furtum? Et apparet, quòd non. quia non facit hoc gratia lucrandi: igitur. consequentia tenet, quia una particula definitionis impedit alicui competere definitum. *Tertium dubium.*

Ad hoc dicitur, quod secundum veritatem committit furtum: & hoc facit gratia lucri veri, vel apparentis. Quia vel hoc facit principaliter propter dare pauperibus, vel simpliciter, pro noscendo usurario. Si det pauperibus, lucratur illud quod intendebat, & facit bonum, non tamen bene; quia eleemosyna debet esse de propriis bonis. Si facit propter nocere, vel propter aliam causam, ipse lucratur, & peccat, quia perficit suam intentionem. *Responsio.*

Quartum dubium: si sint tres socii in taberna, & potant unum potum vini inter plures, qui non sit solutus; utrum si vadant non soluto potu, quilibet teneatur ad restitutionem, seu solutionem? Et videtur quòd non, quia non est bonum quòd tabernarius de uno poto nimis lucretur, quoniam satis lucratur de solutione aliorum potorum. *Quartum.*

In oppositum videtur quòd sic, quia quod non solverunt, illud debent. *In oppositum.*

Respondetur quòd potantes tenentur solvere potum vini. Sed dicitur, quòd non quilibet tenetur in potu, sed solum pro rata & scoto. *Responsio.*

Ad rationes tertii articuli. Ad primam quando dicitur omne bonum est licitum, negetur illud: quia licitum plus importat quam li bonum: nam licitum importat quòd licitè fiat, & sic bene verum est quòd omne bonum benè & li- *Ad rationes tertii articuli.*

citè factum est licitum. Et negetur minor. ad probationem dicitur, quòd illud est bonum, cujus finis est bonus, & bene factus: modò ita non est de illis. Ad secundam quando dicitur: capere rem alienam est licitum: verum est, si illa non fuerit in possessione alicujus. vel sic ut dictum est: & circa tales res non committitur furtum.

Ad rationem quando dicitur capere rem propriam est licitum; verum est, si res propria capiatur cum debitis circumstantiis. ergo si res propria capitur invito illo cui est concessa, non capitur cum debitis circumstantiis.

Ad rationes principales. Ad rationes principales ante oppositum dicitur, quòd omnes sunt solutæ per ea quæ dicta sunt in quæstione.

QUÆSTIO IV.

De Punitione ad Principem pertinente.

QUæritur quarto, & ultimo. Utrum in bona politia princeps potest licitè injuriari alicui, seu punire aliquem sine culpa sua.

Arguitur. Et arguitur quòd non, quia in bona politia princeps non potest aliquem præmiare sine suo merito: igitur. patet consequentia, quia sicut se habet præmium ad meritum, ita punitio ad culpam; & esset contra conscientiam, si aliquem præmiaret de bono communi sine aliquo merito.

Secundò, nihil contra conscientiam est licitum: sed injustum est quòd princeps alicui injurietur sine culpa sua. igitur. major patet de se, quia nullum injustum est sine suo demerito. quia dicit Albertus, quòd *sævissimum est innocentem punire sine sua culpa.*

Tertiò sic, nam haberet in alia facultate, scil. Quarto Decretalium. Si alter conjugum sit innocens, & alter nocens; tunc innocens non debet privari suo jure, si vellet ipsum tenere. Sed hoc non esset si aliquis posset puniri sine causa. igitur, &c.

Quartò sic, sequeretur quòd in casu æqualiter puniretur culpabilis, & non culpabilis. consequens est falsum, & contra justitiam. probatur consequentia. nam si Sortes innocens puniatur pœna certa per adversarium, & Plato demeretur, sic quòd sit puniendus de jure tanta pœnâ sicut Sortes, tunc in casu Sortes non culpabilis, & Plato culpabilis, æquali pœna puniuntur de jure. ergo propositum.

In oppositum. Oppositum arguitur, nam in casu princeps vel judex potest innocentem ad mortem condemnare, seu judicare, igitur. patet consequentia. & antecedens probatur. quia si Plato sit bonus, & probus homo, & sit accusatus coram principe, vel judice; & hoc probetur per duodecim testes, tunc in isto casu communi princeps potest innocentem condemnare.

In quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo quis plus peccet, vel judex corruptus, vel corrumpens, vel judicans. In tertio erunt dubia.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum Notandum est. quòd injuria capitur communiter

muniter pro omni illo quod non sit secundum ordinationem juris. sed tamen in proposito capitur pro contumelia, vel pro quocunque damno illato. *Primum notabile. quid injuria.*

Secundò notandum est, quòd aliqui sunt quibus alii possunt injuriari : & alii non. Exemplum de primis, ut sunt prudentes, & sanæ mentis, & consilii : & alii sunt furiosi, & amentes, qui non possunt aliis injuriari, quia non habent usum rationis, & alii possunt ipsis injuriari. *Secundum. de injuriato.*

Tertiò notandum est, quòd aliquis potest alicui injuriari tripliciter. Uno modo verbo, scilicet diffamando ipsum. Secundo modo scripto. Tertio modo opere, scilicet verberando. Et isti modi diversificantur secundum circumstantias personarum. Unde gravius est verberare prælatum, quam simplicem sacerdotem. *Tertium. Tripliciter aliquis injuriatur.*

Quartò sciendum, quòd triplex est injuria, quædam est gravis & enormis, sicut si quis verberaret alium in præsentia judicis. Alia est injuria levis, ut si quis verberetur in loco secreto. Alia est levissima, ut si quis in modico offenderit. *Quartum.*

Quintò notandum est, quòd principem punire aliquem injustè potest duobus modis intelligi. Uno modo quòd sine culpa, & sine causa, hoc est quod in isto qui punitur non sit causa culpæ, nec alia causa. Secundo modo sine culpa, non tamen sine causa ; ut scil. quòd causa sit in puniendo. ut si essent duæ ecclesiæ parochiales quæ non sufficerent ad victualia sacerdotis, prælatus constitueret ex illis duabus unam, ut essent sufficientia victualia, in illo casu hoc esset licitum, & tamen fit injuria uni curato sine culpa, non tamen sine causa. *Quintum. punire injustè.*

Prima propositio ; in una politia princeps licitè non potest punire aliquem, seu injuriari alicui sine culpa, & sine causa. Ista propositio satis probata est per rationem ante oppositum. nam omnino est contra conscientiam, quòd aliquis punitur sine culpa, & causa. *Conclusio responsiva.*

Sed tunc dubitatur, & ponitur casus ; quòd Sortes existens bonus & justus fit delatus, & sit accusatus apud principem, sic quod sit homicida : & quod accusans hoc probet per duodecim testes. Tunc quæritur utrum princeps potest licitè condemnare Sortem, seu punire. Et videtur quod non : quia est justus & bonus. Videtur etiam quod sic, quia nisi sic, erit contra justitiam. Respondetur probabiliter, quod ipse puniendus est. Et tamen cum arguitur quod ipse puniretur sine causa & culpa : Dicitur quod punitur cum causa, & ista causa est ordinatio juris, quia sic est ordinatum. Sed in casu quo judex scivit stante casu prædicto quod Sortes fuerit illa hora alibi : & ipse judex scit bene quod interfectus non fuit à Sorte. *Dubium. De innocente.*

Respondetur secundum aliquos quod judex adhuc debet ipsum punire : & hoc in quantum judex, quia secundum hoc habet sufficientem ordinationem. Et in quantum homo privatus, vel persona privata, non. Sed dicitur alibi, quod nullus debet contra propriam conscientiam agere, quia sic agens ædificat ad gehennam. Alii respondent sic ; quia vel judex est inferior, vel superior : si inferior, retento casu quod scit oppositum illius quod deponunt testes, debet remittere judicium ad suum superiorem. si judex sit superior, ut rex vel imperator, retento casu eodem ipse licitè potest revocare judicium, quia princeps est supra legem, ideo potest licitè eum non condemnare. Et si dicatur, quod judex de- *Responsio.*

ber judicare ſecundum allegata, &c. Reſpondetur hoc debere intelligi juſtè probata &c. modò hoc non proponebatur juſtè, ſed falſè. Similiter ſecundum Theologos judex inferior ut ballivus, ſi pars ſequens homicidium vellet ipſum cogere de jure ad judicandum, melius eſſet ei ſe deſtituere ab officio Judicis, ſi non poſſet aliter fugere ad judicandum illum juſtum, quam judicare eum.

Secunda concluſio eſt iſta quòd in bona politia Judex poteſt aliquem punire ſine culpa. probatur per multos, nam ſi ſit aliquis cæcus à natura, & ſit bonus Clericus; ſi ipſe faceret malum puniendus eſſet, & tamen habet defectum in membro: & non ex culpa. Similiter patet in commutatione & conſtitutione duarum parochialium eccleſiarum in unam.

Secundus articulus. Quantum ad ſecundum articulum videndum eſt quis plus delinquit vel judex corruptus ferens ſententiam iniquam pro parte corrumpente, vel pars ipſum corrumpens.

Arguitur. Et arguitur primò quod pars corrumpens ipſum plus peccet, quia pars corrumpens in ordine ipſius peccati eſt, ſicut cauſa primaria, & judex corruptus eſt ſicut cauſa ſecundaria. ergo plus peccat pars corrumpens quam judex corruptus. conſequentia tenet: quia cauſa primaria plus influit in effectum, quam ſecundaria. Antecedens notum eſt, quia ipſa movet judicem.

Secundò pars corrumpens deliquit in plures defectus quam judex corruptus. Igitur, conſequentia patet. & antecedens probatur, quia pars corrumpens peccat contra judicem ipſum damnando in partem corrumpentem, & læſam injuſtè: & etiam in ſeipſum.

Tertiò ſic, pars corrumpens peccat peccato proprio, & peccato Judicis, ergò plus peccat. conſequentia eſt nota. & antecedens probatur; Primò, de peccato proprio notum eſt. Sed de peccato Judicis patet, quia eſt cauſa corruptionis Judicis: ergo eſt cauſa peccati ipſius. conſequentia patet, quia per illud commune dictum, quicquid eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.

Quartò ſic, pars corrumpens aufert bona animæ, & Judex corruptus ſolùm bona corporis, & fortunæ. Igitur, conſequentia patet: quia ſicut bona animæ ſunt multò meliora bonis corporis: ita plus delinquit pars corrumpens reſpectu eorum. Antecedens eſt notum: quia pars corrumpens condemnat animam Judicis, & propriam animam; & Judex ſolum tollit bona corporis, quia non oportet quòd pars corrupta moriatur.

In oppoſitum. Oppoſitum eſt de intentione omnium Philoſophorum. Apparet etiam per Philoſophum Quinto Ethicorum: & per Albertum ſecundo hujus reprehendentem iniquos Judices. & apparet ratione; quia ille plus peccat in cujus poteſtate eſt facere & non facere, quam ille qui ſolùm occaſionaliter peccat. patet, quia judex poteſt ferre, & non ferre ſententiam.

Primum notabile. quatuor modis fertur ſententia injuſta. Pro intellectu eſt ſciendum, quòd Judex quatuor modis poteſt ferre injuſtam ſententiam, ſcilicet timore, cupiditate, odio, & amore; ſcilicet quando timet, cupit, odit, vel amat: & ſic eſt differentia inter iſtas cauſas, quia in primis duabus cauſis reſpicit ad aliam perſonam, ſed in tertia & quarta reſpicit ad ſeipſum. ergo Judex corrumpitur in duabus primis cauſis. & non in duabus ultimis: ergo de duabus primis cauſis eſt dicendum. De aliis videbitur in quinto hujus.

Secundum, de timore duplici. Secundò notandum eſt, quòd quidam eſt timor cadens in virum conſtantem, qui talis eſt quòd ille vir conſtans habet iſtos timere. Alius eſt timor non cadens

in

in constantem virum: quo vir prudens non habet timorem.

Item adhuc duplex est timor, scilicet servilis: & alius filialis. Filialis stat cum amore; ideo debemus isto modo timere deum, & patrem nostrum: & sic quandoque propter timorem, & propter præceptum Domini debemus aliquid facere.

Tertiò notandum est, quòd ex dictis Philosophorum potest intelligi, quòd peccatum quanto est magis voluntarium, tanto est magis grave. Patet, quia quanto peccatum est magis voluntarium, tanto fit ex majori malitia. *Tertium de gravitate peccati.*

Quartò sciendum est, quòd quanto peccatum fit ex motivo minori, tanto est intolerabilius, & per oppositum, quanto fit ex majori motivo, tanto est tolerabilius. patet in octavo Ethicorum. *Quartum.*

Quintò sciendum est, quòd secundum rei veritatem nunquam potest esse aliquis causa alterius peccati, id est quantumcunque aliquis moveat aliquem non potest dici causa peccati sui. Patet, quia supponitur quòd unusquisque habeat liberum arbitrium: quia dicit Philosophus, non semper sunus domini sensuum nostrorum à Principio usque ad finem: sed benè voluntatis. ergo nullus potest cogi ad peccandum. ergo ista consequentia est bona, Plato est causa Principalis peccati Sortis: ergo Sortes non peccat. & è contrà, Sortes peccat, ergo Plato non est causa peccati Sortis. *Quintum.*

Sit igitur prima conclusio. Judex corruptus cupiditate plus peccat, quam Judex corruptus timore. Probatur conclusio, quia Judex corruptus cupiditate magis peccat voluntariè, quam Judex corruptus timore cum peccet invitus, & quasi servus. Sed qui cupiditate peccat, tanquam dominus peccat. Modò ille qui tanquam Dominus peccat, magis peccat quam ille qui tanquam servus peccat. *Prima conclusio.*

Secundò Judex corruptus cupiditate peccat ex leviori motivo. Igitur. Patet consequentia. & antecedens apparet, quia dicit Philosophus, *quòd multùm tristium est sustinere tristia, quàm à delectationibus se abstinere.* verum est tamen, quòd conclusio est moderanda, ubi objectum timoris est multùm fortius, quam objectum cupiditatis. cum objectum cupiditatis possit esse magnum, & objectum timoris modicum, scilicet si timor cadat in constantem virum, quia tunc conclusio non esset vera.

Secunda conclusio est ista: Judex corruptus cupiditate ferendo sententiam iniquam plus peccat, quam pars corrumpens. Probatur, nam majus malum est auferre rem proximi, quàm ablatam rem recipere. Modò judex aufert rem proximi scilicet jus partis adversæ, & pars corrumpens recipit rem illam ablatam. major patet ex terminis. minor notà est de se. *Secunda.*

Secundò, opus Judicis corrupti est vendere rem non propriam, & pars corrumpens emit rem alienam. sed hoc est illicitum emere rem alienam suo modo, & vendere rem non propriam est similiter illicitum.

Tertiò, Judex sic corruptus est magis obligatus ad justitiæ complementum quàm pars corrumpens: igitur. patet consequentia. quia quanto quis magis obligatur, & deficit, tantò plus peccat, si oppositum faciat. Et antecedens patet primo ratione sui officii, quia habet videre & facere justitiam veram, & sic obligatur de lege propria.

Confirmatur, ille plus peccat, qui aliis majorem occasionem peccandi præstat

seu dat. sed Judex corruptus est hujusmodi: igitur magis peccat. Major patet de se ex dictis, & minor patet, quia ipse habet alios regere: & esse exemplum aliorum. Et est conclusio moderanda, nisi pars corrumpens Judicem per cupiditatem intendat majorem malitiam, quàm Judex qui reciperet dona. patet in facili casu.

Tertia. Tertia conclusio: Judex corruptus timore cadente in constantem virum, minus peccat ferendo sententiam iniquam, quàm pars corrumpens. apparet, quia corruptus minus peccat voluntariè. igitur, patet consequentia. & antecedens est notum, quia sic Judex cogitur, & sic facit coactè. Item causa Principalis hujus peccati est plus in parte corrumpente: ergo non magis peccat Judex. consequentia patet, & antecedens, quia sic timor est nocabiliter cadens in constantem virum. Sed aliqui tenent oppositum. Et primo supponunt quòd melius est omnia mala pati, quàm malum facere, & aliquod turpe committere. Ista suppositio est Philosophi, & multorum sapientum. Secundò supponunt, multum verius & melius & virtuosius est pauco tempore vivere virtuosè, quàm aliter vivere longo tempore. Tertiò supponunt, quòd pars corrumpens à Judice corrupto non potest removere bona animæ, sed solum bona corporis, vel fortunæ. Ex istis dicunt aliqui quòd quantumcunque sit timor cadens in constantem virum, Judex timore corruptus plus peccat, quam pars ipsum corrumpens. patet quia ipse à parte corrumpente non potest removere nisi bona corporis. sed ferendo sententiam iniquam perdit bona animæ, & ipsam animam: modo bona animæ sunt bona simpliciter, & magis debet eligere mori, quàm illud committere, scilicet non judicare secundum suam conscientiam & veritatem. Respondetur, quòd prima opinio est communior.

Ad rationes articuli. Ad rationes, quando dicitur, [in ordine peccati &c. negatur ista major. & quando dicitur, quòd hoc est verum, quando ista causa prima est principalis, & non occasionalis, sicut est in proposito. Aliter dicitur, quòd hoc intelligitur quando causa secundaria non est libera: modo in proposito ipsa causa est libera.

Ad secundam quando dicitur pars corrumpens peccat peccato implens &c. negetur illud, quia non peccat in Judicem. Et quando dicitur, est causa peccati Judicis: negatur hoc, quia ipsemet & sua volitio est causa Principalis peccati.

Ad tertiam, quando dicitur pars corrumpens auferret bona animæ suæ, non animæ Judicis. sed Judex plus aufert, quia corrumpit bona animæ partis corrumpentis; quia habet ipsum instruere & informare: & aufert bona animæ propriæ: & sic Judex plura bona animæ aufert.

Tertius articulus. Dubitatio. Quantum ad tertium articulum, sit ista prima dubitatio. Utrum licitè & justè subditus possit puniri propter delictum sui Principis? Et arguitur quòd sic, propter delictum Principis tota terra interdicitur: & in tali terra subditus punitur pro delicto Principis, & justè. ergo illud est licitum. igitur. major patet de se. & minor probatur, ex quo terra totalis est sic interdicta quilibet existens in tali terra esset privatus omni sacramento & pœnitentiæ & sic justè & licitè punitur.

Secundò sic: unus justè excommunicatur propter alterius excommunicationem. ergo sequitur quòd subditus potest puniri justè propter delictum sui Principis. consequentia est nota. & antecedens patet, nam si unus sit excommunicatus, & alter participet secum, participans est excommunicatus.

Tertiò sic: unus laudatur & præmiatur propter merita alterius; ergo punitur propter

propter demerita alterius; scilicet principis: patet consequentia, & antecedens apparet: quia videmus quòd puer multotiens laudatur & præmiatur, vel punitur propter merita vel demerita suorum parentum.

Oppositum arguitur: nullus propriè punitur nisi propter propria demerita, & propriam culpam. igitur. Patet consequentia ex terminis: quia delictum principis non est delictum subditi: & antecedens patet, quia puniri propter aliena peccata, vel delicta est contra justitiam. *In oppositum.*

Pro intellectu hujus sciendum est, quod ad istam dubitationem dupliciter possumus respondere. Uno modo loquendo de statutis Ecclesiasticis; Alio modo loquendo moraliter purè: ut moralis Philosophus loqueretur. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd duplex est delictum: quoddam est enorme, & est illud à quo solus Papa potest absolvere: vel de quo non potest absolvi ille qui fecit, nisi per restitutionem, ut patet de Simonia, in qua oportet resignare. Aliud est peccatum mediocre, de quo simplex presbyter potest absolvere, ut esse fornicari. Tertium est leve peccatum, à quo absolvitur quis per confessionem generalem in principio missæ. *Secundum. Duplex delictum.*

Tertiò notandum est, quòd pœna est duplex; quædam est æterna, alia est temporalis. Et est duplex, quædam est in bonis corporis. Alia est spiritualis, quæ est in bonis animæ secundum statuta Ecclesiastica: & est quadruplex, quædam est excommunicativa, alia est interdictiva, alia est remotiva beneficii, alia est promotio ad ordines. *Tertium. Duplex pœna.*

Quartò notandum est, quod duplex est excommunicatio, scilicet major, & est illa qua quis est privatus à communicatione fidelium, & societate. Alia est minor, & est illa qua quis est privatus sacramentis Ecclesiasticis, non tamen à communicatione fidelium. *Quartum. Duplex excommunicatio.*

Quintò notandum est: quòd subditus duobus modis potest se habere ad delictum principis. Uno modo quòd nullo modo consentit in delicto principis. Alio modo quod principaliter consentiat in tali delicto. *Quintum.*

Istis positis sit prima conclusio. Ad pœnam æternam nunquam punitur subditus pro delicto principis, in causa in qua subditus non consentit in delicto tali. Patet conclusio per rationem ante oppositum. *Prima conclusio.*

Secunda propositio est ista: quoad spiritualem pœnam excommunicationis nunquam unus punitur justè propter delictum alterius. Patet, quia si loquamur de majori excommunicatione, patet de se quòd non. Item ex alio patet, quia tunc puniretur sine culpa, & causa; & hoc simpliciter illicitum est. *Secunda.*

Tertia propositio principalis: loquendo de aliis tribus pœnis spiritualibus justè subditus punitur, propter delictum sui principis. Patet de pœna interdicti: quia videmus sæpè quod tota terra interdicitur. Similiter patet de pœna remotionis beneficii: quia verisimile est quod si unus presbyter malè faciat, quod propter hoc oblationes sibi auferentur. Tertio patet de pœna tertia: quia si Clericus contrahat matrimonium cum una muliere, & mulier fornicetur cum uno alio: & stet ille Clericus cum muliere usque ad mortem mulieris suæ: ipse non potest ad sacramenta Ecclesiastica promoveri. *Quinta.* *Quarta.*

Quarta conclusio & responsiva: in casu in quo subditus nullo modo consentit delicto principis non punitur justè propter delictum principis loquendo moraliter: & loquendo de punitione quæ respicit culpam moralem: patet conclusio:

Dubium.

Responsio.

Ad rationes articuli.

Ad rationes Quæstionis.

sio: quia nullus nisi propter mala opera dicitur puniendus, & nullus virtuosus dicitur præmiandus nisi propter bona opera.

Sed dubitatur circa prædicta: quia dictum est, quod nullus punitur propter delicta alterius: & tamen aliquis punitur & excommunicatur propter excommunicationem cum alio excommunicato.

Respondetur quod talis excommunicatur propter proprium delictum, scilicet quod talis transgreditur præcepta domini.

Ad rationes ante oppositum. Ad primam dicitur, quòd ratio benè arguit quoad Ecclesiasticam constitutionem, quod aliquis justè punitur propter delictum principis: tamen loquendo moraliter non punitur aliquis nisi propter propria demerita.

Ad secundam: cum dicitur unus excommunicatur &c. dictum est satis de hoc in ultimo dubio.

Ad tertiam quando dicitur unus laudatur & præmiatur propter merita alterius: dicitur quod propriè non laudatur propter parentum bonitates; sed propter spem bonitatis futuræ, quia speratur quod iste erit bonus filius, quia de bona arbore producitur bonus fructus.

Ad rationes Quæstionis dicitur quòd sunt solutæ ex dictis in primo & secundo articulis: Nam nullo modo potest aliquis puniri sine culpa & causa: sed sine sua culpa: tamen licet aliquem puniri punitur cum causa. Et hæc de secundo libro Politicorum.

Sequuntur Quæstiones super tertium Librum Politicorum Aristotelis.

LIBER

LIBER TERTIVS POLITICORVM.

QVÆSTIO I.

De Honoris appetitu.

CIrca initium tertii libri Politicorum quæritur. Utrum in Politia seu civitate licitè possit quis & sine peccato honorem appetere.

Arguitur quod sic; quia nisi sic, sequeretur quod magnanimitas esset vitiosa: consequens est falsum, & contra Aristotelem Secundo Ethicorum, qui ponit magnanimitatem esse virtutem: & patet consequentia, quia magnanimus est, qui magna dat & honores appetit. *Arguitur.*

Secundo sic: quilibet potest honorem appetere quando oportet, & ubi oportet: cum aliis circumstantiis debitis. igitur. Patet consequentia, & antecedens probatur: quia circa honores contingit vitiosè appetere, sicut facit tyrannus: & contingit vitiosè deficere, sicut pusillanimis: ergò videtur quòd ibi possit esse medium, & sic sequitur propositum.

Tertio sic, honor est finis, ergo quilibet potest honorem appetere licitè. consequentia probatur, quia sicut habetur primo hujus, & primo & secundo Ethicorum, finis est propter se appetibilis. Probatur antecedens, quia honor est finis virtutum, ut patet per definitionem honoris.

Quarto sic; nisi sic, sequeretur quòd nullus licitè posset aliquam scientiam studere, ut posset gradum & honorem accipere: Consequens est falsum, & patet consequentia de se.

Quinto sic: honor est melior virtute: igitur, patet consequentia ex terminis: major probatur, quia in essentialiter subordinatis semper primus terminus est melior suo posteriori: modò honor & virtus subordinantur essentialiter: & honor sequitur virtutem, & est posterior virtute, quia virtuosi sunt honorandi.

Sextò sic: quodlibet vituperium sine peccato est licitè fugibile: ergo videtur quòd quilibet honor est licitè & sine peccato appetibilis. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia unusquisque debet totaliter fugere suum vituperium.

Septimò sic: quilibet potest appetere licitè illud cujus est dignus: sed multi homines sunt digni honore. igitur. major patet de se, & minor probatur, quia multi sunt virtuosi, & honorandi, & honore digni.

Octavò sic: nam quilibet potest licitè appetere illud quo habito ipse delectatur virtuosè: sed sic est de honore: major patet de se, quia postquam tali habito virtuosè gaudet, illud est licitum: & minor patet de virtuosis, qui gaudent in hoc quod sunt aliis bonum exemplum. Etiam gaudent quia bene faciunt.

In oppositum. Oppositum arguitur, quia honor non est virtus, nec opus virtutis, igitur. Consequentia patet de se, quia nihil est appetibile, nisi virtus, vel opus virtutis. Et antecedens deducit Philosophus, quoniam felicitas non consistit in honorabilibus.

Primus articulus. In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia quædam. In secundo conclusiones, & respondebitur ad quæsitum.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum sciendum est, quod duplex est honor, seu dignitas: quædam est temporalis, sicut est præpositura, & sic de aliis. Alia est dignitas virtualis, seu spiritualis quæ solùm consistit in virtutibus. & solùm intelligitur quæstio de honore temporali, ut sit sensus quæstionis: utrum licitum est alicui appetere honores temporales, seu dignitates temporales.

Duplex honor.

Secundum. Secundo notandum est quòd aliquem appetere honorem potest intelligi dupliciter: uno modo quod honorem appetat propter se. Alio modo non propter se, sed tanquam consequens ad illud quod est per se appetibile: & sic honor dicitur dupliciter appetibilis. uno modo propter se: alio modo tanquam consequens illud quod est per se appetibile.

Aliquem appetere honorem.

Dupliciter intelligitur.

Tertium. Tertio notandum est, quod aliqui sunt ita ambitiosi, quod ipsi honores appetunt quibus non sunt digni: & tales sunt tyranni. Et alii sunt qui honores quibus sunt digni non appetunt, Et tales sunt virtuosi & pusillanimes. Ex isto sequitur, quod circa materiam honoris contingit excessivè appetere, & in appetendo deficere: & etiam esse medium in illo quod est bonum.

Quartum. Quarto notandum est, quod omnino est perversitas minus bonum majori bono præferri, & per consequens præferre bonum eligibile pro alio bono eligibili propter se. Et ideo dicit Philosophus, quod bonum commune est præferendum bono privato. Et hoc de primo articulo.

Secundum articulus. Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio: nullus potest honorem seu dignitatem appetere temporalem licitè, & sine peccato, tanquam bonum appetibile propter se. Probatur conclusio ista: illud non potest quis sine peccato eligere quod non est propter se eligibile: sed dignitas temporalis non est propter se eligibilis. igitur. Consequentia patet, & major, & minor probantur: quia honor temporalis consequitur illud. Item honor quandoque debetur malis. igitur. Item honor est in honorante, ergò malè appetit illum. Item contingit malè uti honore.

Conclusio prima.

Secunda. Secunda conclusio: quilibet homo in politia potest licitè appetere honorem tanquam consequens ad bonum eligibile propter se. Probatur, quia secundum

dictamen

dictamen rectæ rationis honor est aliquid quod consequitur bonum propter se eligibile. igitur. consequentia patet. antecedens probatur. quia virtus est propter se eligibilis, & etiam operatio ejus : modo honor consequitur virtutem, quia honor sit in signum virtutis.

Tertia conclusio : quilibet homo potest honorem temporalem appetere, & sine peccato : si non sit obstaculum, & si sit præceptum à suo superiori. probatur. nam quilibet secundum dictamen rectæ rationis, ubi non est obstaculum debet obedire suo superiori : igitur. consequentia patet : & antecedens, quia dictum est secundo hujus ; quod naturalis ordo est inter superiorem & subditum. & hoc non est, nisi per virtutem obedire. *Tertia conclusio.*

Si quis quæreret quòd obstaculum esse potest respectu superioris, propter quod non potest inferior licitè appetere honorem. esto quod sit præceptum, dico quod est in multis casibus. *Quæstiuncula.*

Primò, si inferior percipit vitam suam malam, & non posset se retrahere à mala vita. *Responsio.*

Secundò, in casu, in quo est ignorans sic, quòd non posset subditos sufficienter instruere. Etsi inferior scit se esse idoneum, potest tales honores licitè acceptare. Et ideo dicit Philosophus, quòd nullus est puniendus, vel promovendus propter suas proprias supplicationes.

Sed dubitatur. utrum superior potest licitè compellere inferiorem, ut accepter beneficium vel honorem. *Dubium.*

Respondetur quod in talibus non potest responderi secundum responsiones utiles : sed secundum circumstantias debitas. nam si superior faciat, ut assuescat inferiorem in operibus bonis & moribus, sic est licitum. sed si faciat propter alios inferiores, ut inde capiant exemplum, etiam est licitum : sed si faciat simpliciter propter arrogantiam non est licitum. Et hoc de secundo articulo. *Responsio.*

Ad rationes. Ad primam dicitur negando consequentiam, quia magnanimus non appetit honores tanquam propter se, sed tanquam consequens ad bonum eligibile de per se, seu propter se : si aliter faceret tunc esset cayenus. *Ad rationes.*

Ad secundam negatur consequentia, & antecedens, si hoc fiat prout dictum est in secunda conclusione.

Ad tertiam quando dicitur, honor est finis : negatur antecedens.

Ad probationem quando dicitur est finis virtutis, negatur hoc propriè. quia virtus non fit propter honorem, sed benè est finis designativè, quia est signum virtutis.

Ad quartam dicitur, quòd si talis solùm studeat propter gradum simpliciter, peccat. & si studeat propter gradum, ut consequens. scil. ut doceat, & ut sit exemplum aliorum, tunc est licitum.

Ad quintam patet, quid sit dicendum. *Respondetur.*

Ad sextam respondetur ad consequentiam, & antecedens juxta modum qui dicitur in secunda conclusione.

Ad aliam quando dicitur, quilibet potest appetere, &c. verum est, & hoc si appetat ex modo quo debet appetere, scilicet ad bonum proximi sui, & ut similiter agat.

Ad aliam dicitur, quod illa ratio non arguit, quod quilibet virtuosus potest appetere honorem tanquam consequens ad illud.

Ratio post oppositum est pro prima conclusione.

QUÆSTIO II.

De Insidiis Bellicorum.

Arguitur.

Quæritur secundò. Utrum in justis bellis liceat uti insidiis.

Et arguitur primò contra suppositum. nam quomodo præsupponit primò, quòd aliquod bellum sit justum, & hoc sic. Illud non est justum quod opponitur licito & justo: sed bellum est hujusmodi. igitur. Major est nota. & minor declaratur, quia bellum pati, & pax est honestum bonum.

Secundò sic. illud non est licitum, cujus exercitium non est licitum: sed bellum est hujusmodi: ergo. major est nota, & minor probatur, ut in torneamentis: quia secundum Ecclesiasticas sententias, si homo ibi moriatur, non sepelietur in ecclesia, seu cœmiterio.

Tertiò sic. Illud non est justum, cujus finis est injustus: sed finis belli est injustus: ergo. Major patet per illam maximam. cujus finis bonus est ipsum quoque bonum est, ergo per oppositum, cujus finis malus est ipsum quoque malum est. Minor patet, quia finis belli est homicidium: modò ut dicit Philosophus quædam sunt de se mala, quæ statim nominata mala sunt: & exemplificat de homicidio.

Deinde arguitur contra quæsitum. Insidiæ sunt fraudes; sed in nullis casibus licitum est uti fraude. ergo. major patet de se. & minor patet. Nam per fraudes homo efficitur inhumanus.

Secundò sic. Nam insidiæ opponuntur fælicitati, ad quam quilibet homo tenetur: ergo. Consequentia patet, quia est contra justitiam. Antecedens est notum ex terminis.

Tertiò sic. Nullus homo secundum dictamen rectæ rationis vellet insidias sibi parari. ergo nullus debet insidias alteri velle. Patet consequentia per dictum Apostoli dicentis. Quod vultis vobis fieri hoc aliis faciatis.

In oppositum.

Oppositum arguitur contra suppositum. Nam Philosophus ponit, quòd bella aliqua sunt justa, dicens quod justum est contra subditos, qui nolunt subjici bellare. Oppositum quæsiti patet, quia non est visum, quin licitum sit defendere rempublicam, & hoc pro communi utilitate.

In quæstione duo erunt articuli. In primo ponuntur notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus.

Primum notabile.

Quantum ad primum articulum, primò notandum est, quod ad hoc quod aliquis actus fiat benè moraliter, requiritur recta ratio, & debita ordinatio, & intentio. Ex quo patet, quod licet aliquod opus sit bonum de genere boni, potest tamen malè fieri: quia non cum recta ratione sive intentione.

Secundum.

Secundò notandum est, quod ad nullam personam privatam, ut sic spectat bellum inire.

Patet

Patet ſuppoſitio per Albertum tertio hujus. Confirmatur ratione, quia ad quem non ſpectat populum convocare, ad illum non ſpectat populum moleſtare.

Tertiò notandum eſt, quod ad hoc quod aliquod bellum ſit juſtum tres conditiones requiruntur. Prima eſt, quod fiat cum præcepto principis. Secunda, quod cauſa propter quam ſit bellum, ſit juſta. Tertia, quod intentio principis in tali bello ſit bona, ut reſpublica ſervetur. *Tertium. quæ requiritur ad hoc quod bellum ſit juſtum.*

Quartò notandum eſt, quod inſidiæ ordinantur ad deceptionem inimicorum. *Quartum.*

Quintò notandum eſt, quod aliquis poteſt decipere alterum multipliciter, uno modo, ut dicendo ſibi falſum cum intentione fallendi: ut ſi dicatur veniatis nobiſcum, & vobis nihil mali fiet, & ſi veniat interficiatur. vel poteſt fieri, quia non ſervabitur promiſſum. Secundo modo poteſt fieri, quia propoſitum ſuum celat, & non manifeſtat; ut ſi princeps vellet eum debellare, & non diceret ei. *Quintum.*

Quantum ad ſecundum articulum, Sit prima concluſio: Aliquod eſt bellum juſtum. probatur. quia eſt aliquod bellum quod ſit principis auctoritate propter bonam cauſam cum recta ratione, & cum bona intentione principis. igitur. Patet conſequentia, quia non plus requiritur. Et antecedens patet per experientiam. *Secundus articulus. Prima concluſio.*

Secunda concluſio. Sumendo hoc nomen inſidiæ primo modo in bellis juſtis non eſt licitum uti inſidiis. Patet, quia in nullo caſu licitum eſt non obſervare promiſſum, & proferre propoſitionem falſum, cum intentione fallendi. *Secunda.*

Tertia concluſio. Sumendo inſidias ſecundo modo, ſcilicet quando quis non manifeſtat propoſitum in iſtis bellis, juſtum eſt uti inſidiis. probatur concluſio. Nam ſecundum ordinem rectæ rationis in iſto bello non tenetur revelare alteri parti propoſitum, ergo. Patet conſequentia. Et antecedens probatur per Beatum Auguſtinum, & Sanctum Thomam in determinatione quæſtionis: quia hoc eſſet contra ſeipſum ordinare, quod non eſt faciendum. *Tertia.*

Sed contra prædicta eſt una dubitatio: utrum homicidium in aliquo caſu benè poſſet fieri & licitè. Et videtur quòd ſic. Nam ab executore juſtitiæ fiunt homicidia, & hoc non eſſet, niſi eſſet licitum. *Dubium. Arguitur.*

Oppoſitum patet per Philoſophum. *In oppoſitum.*

Pro intellectu eſt ſciendum, quòd homicidium ſecundum aliquos ſic deſcribitur: eſt interfectio hominis ſine cauſa, & culpa ipſius, & non à ſuo ſuperiori. Ex quo ſequitur primò, quòd quando quis interficitur ab executore juſtitiæ, ibi non eſt homicidium, quia hoc fit cauſa & culpa ſua. *Primum notabile. quid ſit homicidium.*

Secundò ſupponitur, quòd in nullo caſu per ſe malum poteſt bene fieri, patet ſatis. *Secundum.*

Tertiò ſupponitur, quòd homicidium eſt per ſe malum, & injuſtum: Patet, quia omnino eſt injuſtum aliquem interficere ſine cauſa & culpa ſua. *Tertium.*

Et tunc ſit concluſio reſponſiva. Homicidium non poteſt fieri licitè. Patet ex dictis. Et ex auctoritate poſt oppoſitum. *Concluſio reſponſiva.*

Ad rationes dicitur, quòd ibi non eſt homicidium, ut dictum eſt; quia hoc eſt cum cauſa & culpa. Et hæc de ſecundo articulo. *Ad rationes.*

Ad rationes quæstionis. Ad primam. illud est omnino licitum, quod opponitur justo. Negatur, quia non est inconveniens, quòd bonum opponatur bono, scilicet malè facto: sed negatur loquendo de bello justo, quia non opponitur, ut dictum est paci & concordiæ.

Ad secundam quando dicitur. *&c.* conceditur major: sed negatur minor, si sit bellum justum.

Et quando dicitur finis belli est homicidium. Dicitur, quòd non immo pax dicitur finis. Vel dicitur quòd interfectio hominis dicitur finis belli, saltem finis immediatus, & talis finis non est homicidium.

Ad quartam, negatur illa capiendo insidias secundo modo, licet sit capiendo insidias primo modo, quia non est licitum dicere intentionem suam patri adversæ.

Ad quintam dicitur, negando antecedens, si [insidiæ] non capitur secundo modo: quia tunc unusquisque vellet secundum dictamen rectæ rationis insidias sibi fieri, capiendo secundo modo, non tamen primo modo. & hoc est verum.

QUÆSTIO III.

De Regimine Politiæ.

Quæstio tertia. Utrum sit melius politiam regi à pluribus, quàm ab uno.

Arguitur. Et arguitur primò quòd à pluribus: quia melius est politiam regi ab illo, qui est magis potens. Sed multitudo est magis potens regere politiam, quàm unus homo: ergo. Major patet de se. minor probatur, quia multitudo hominum est magis potens expugnare malos rebelles.

Secundo sic, melius est politiam regi ab illo, in quo est major prudentia: sed prudentia major est in pluralitate: ergo *&c.* major patet per Philosophum dicentem, quòd ad bonum regimen reip. est summè prudentia necessaria. & minor apparet: quia plures possunt certiùs judicare, quàm unus.

Tertiò sic. expediens est politiam regi ab illo, qui difficiliùs frangetur vel corrumpetur in judicio, quàm ab illo qui faciliùs frangitur & corrumpitur: sed multitudo hominum difficiliùs frangitur, & corrumpitur. Major patet satis. minor nota est de se.

In oppositum. Oppositum arguitur, quia sequeretur quòd inter omnes principatus regalis non esset optimus. consequens est falsum, & contra Philosophum in litera, & consequentia patet, quia in regali principatu unus solus principatur, scilicet rex.

In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Est primò sciendum. quòd sicut potest colligi ex dictis Philosophorum. multiplex est principatus: scilicet politicus,

Primum notabile. quo princeps politiæ principatur. secundus est principatus regalis, quo scil. rex

regit

regit politiam. Et est differentia inter istos. Nam Princeps in Principatu politico non est Liber: sed ejus potestas dependet à superiore: sed rex est Liber, tertius est Oeconomicus, quo scilicet pater-familias regit familiam: & est triplex, quidam est despoticus, alius paternus, alius nuptialis. Oeconomicus principatus ex istis tribus Principatibus constituitur. Modò quæstio præsens intelligitur de Principatu regali, vel Oeconomico.

Secundò notandum est quòd homines in politia sunt duplices: quidam sunt prudentes rectæ rationi, & secundum rationem operantes, alii sunt brutales, & in hoc quæstio potest intelligi dupliciter. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd politiam regi ab uno, potest intelligi dupliciter, Uno modo ab uno solo operante, de proprio sensu & capite sine consilio aliorum, & non ex potestate & consilio aliorum magnatum & prudentum. Alio modo non utente proprio consilio, sed consilio aliorum sapientum. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd tota intentio boni Principis debet esse, quòd cives sint reducti in concordiam & pacem. *Quartum.*

Sed contrà hoc dupliciter, quia dicit Philosophus, quanto civitas est magis una, tanto plus recedit à ratione civitatis. Et recitat opiniones aliquorum qui dicunt, quòd civitas debet esse una. *Arguitur.*

Respondetur quòd civitas dicitur una dupliciter. uno modo unitate concordiæ. alio modo multitudine hominum in una politia consimilium statuum. Modò dicitur, quòd Philosophus intellexit quòd malum est civitatem esse unam. Secundo modo quia pro quanto homines sunt magis consimilis status, tanto minus civitas dicitur una: quia in civitate debet esse sufficientia. Modò hoc non posset esse, si omnes homines essent status consimilis. quia tunc non possent dare eleemosynam; cum omnes essent divites, nec laborare unus pro alio. *Responsio.*

Quantum ad secundum articulum, *Secundum articulus.*

Sit prima conclusio. Non est bonum civitatem regi à pluribus pauperibus, probatur per dictum Philosophi in isto tertio. Et etiam probatur ratione sic, Non est bonum civitatem regi ab illis qui facilè corrumpunt judicium, & flectuntur: sic est de pauperibus: ergo, &c. Major patet de se, & minor: quia pauperes statim insisterent paupertati propriæ sublevandæ. Item talis pauper statim corrumpitur. Item statim fieret dives, & alios deprimeret. Et hoc dicit Albertus, asperius nihil est paupertate, cum consurgit in altum. Et ista conclusione sequitur, quòd non est bonum seu expediens politiam regi à pluribus divitibus non virtuosis. patet per Philosophum in isto tertio. Et probatur ratione sic: quia tales statim despicerent paupetes, & alios, & essent superbi. Item appetitus divitiarum est inordinatus, & tendit in infinitum. ergo ex quo tales non essent virtuosi, appeterent divitias in infinitum. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. Non est conveniens politiam regi à pluribus hominibus bestialibus. probatur, quia ad Rempublicam maximè requiritur prudentia: sed secundum multitudinem talium hominum non est prudentia: ergo, *Secunda.*

Tertia conclusio. Bonum est civitatem regi à pluribus virtuosis. probatur, quia nisi sic, sequeretur quòd Aristocratia esset mala politia. Consequens est falsum. Ut patet per Philosophum qui ponit eam in tertio gradu. Et patet consequentia ex quid nominis. *Tertia.*

Quarta

Quarta. Quarta conclusio responsiva, melius est simpliciter loquendo politiam regi ab uno solo, quàm à pluribus, & hoc in casu quo talis non utatur solùm consilio proprio: sed sit associatus à pluribus prudentibus, & aliis bonis viris. probatur, quia quanto principatus Principis magis assimilatur principatui universi, tanto est melior: sed talis principatus est magis similis principatui universi. igitur est optimus. Minor probatur per Philosophum dicentem; pluralitas principatuum mala, unus ergo Princeps.

Secundò sic; ille principatus est melior quo prudentia maximè redditur una: sed ita est de politia ubi principatur unus solus: ergo. Major patet de se, & minor nota est: quia dicit Philosophus primo Ethicorum, quòd unus Princeps concordat sibi ipsi. Et dicitur notanter, quòd talis utatur consilio prudentum; quia nisi uteretur, non sequeretur. Et hæc de secundo articulo.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam negatur minor loquendo de isto solo: qui utitur consilio majorum sapientum: quia sic est prudentior.

Ad secundum conceditur major: loquendo de isto solo, qui utitur consilio proprio, & capite proprio solum; & de isto non loquitur conclusio responsalis.

Ad tertiam conceditur major. Et ad minorem consimiliter respondetur, sicut dictum est in præcedenti ratione.

Ad quartam quando dicitur, melius est politiam regi ab illo qui est melior, conceditur illa. Et ad minorem dicitur concedendo de illo, qui utitur solùm consilio proprio: sed non loquendo de illo sapiente mente consilio aliorum sapientum. Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO IV.

De Regimine Civitatis.

QUæritur quartò. Utrùm melius sit civitatem regi bono Principe sine lege, quam bona lege sine Principe? hoc est utrum sit melius quòd civitas regatur per bonum Principem, quàm per bonas leges?

Arguitur. Arguitur primò, quod melius sit bona lege sine Principe, quia melius est civitatem regi ab illo quod est dignius: sed lex est dignior Principe. igitur. Patet consequentia, & major. Etiam minor patet, quia lex est Principe communior. Modò bonum quanto communius tanto dignius, ut dicitur primo Ethicorum:

Secundò sic, melius est civitatem regi ab illo quod est justius: sed lex est Principe justior: ergo. Major patet, quia ad bonam civitatem maximè requiritur justitia. minor est nota, quia omnes indifferenter respicit: quia nemini parcit. Modò communiter Princeps non est ita justus, quia frequenter flectitur amore, vel odio, vel pecunia, modò non sic est de lege.

Tertiò sic melius est civitatem regi ab illo quod est commodius & utilius in civitate: sed lex est utilior Principe bono. igitur &c. major patet, minor probatur quinto Ethicorum, ubi habetur quòd lex jubet omnem malitiam fugere, & secundum omnem virtutem vivere. Modò hoc non facit bonus Princeps, quia non tantam

tantùm habet memoriam, quòd omnia mala posset prohibere, & omnia bona præcipere.

Quartò sic. Illo est melius civitatem regi quod est securius: sed lex bona securior est bono Principe: ergo. major patet. Et minor probatur, quia certum est quòd lex statuta bene posita non potest esse pejor: sed bonus Princeps bene potest fieri malus, igitur. &c.

Oppositum arguitur quòd multò melius est civitatem regi à principaliori. ergò à Principe bono. Antecedens patet, quia lex dicitur bona à Principe vel à Principis bonitate. ergo. Patet consequentia per illud, propter quod unumquodque tale, & illud magis. *In oppositum.*

In quæstione ponentur duo articuli.

In primo ponentur aliqua notabilia. In secundo conclusiones. Quantum ad primum articulum, est primo supponendum; quòd sit una lex scripta & promulgata communiter, quæ habeat unum ministrum qui habeat exequi istam legem sine propria prudentia, præmiando bonos, & puniendo malos: & quod sit ex una parte unus bonus Princeps sine aliqua lege, & sit firmus & prudens, qui per suam prudentiam puniret malos, & præmiaret bonos. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Tunc quæritur: Utrum melius sit talem civitatem regi cum Principe sine lege: quam cum lege bona sine tali Principe.

Secundò notandum est, quòd ad hoc quòd aliquis sit bonus Princeps seu exequutor legis, non oportet quòd procedat secundum verba legis: sed oportet quòd procedat secundum intentionem legislatoris. Unde clarum est quod secundum verba juris multa turpia & inhonesta fierent. Unde lex sit posita quòd nullus extraneus debeat ascendere muros civitatis, & veniant ante civitatem inimici, sic quòd intranti civitatis non possent defendere civitatem in illo casu, & vadant peregrini super muros pro defensione civitatis; in illo casu non oportet quod peregrini illi interficiantur. *Secundum.*

Ex hoc sequitur corollariè, quòd licitè subditus contrariari potest verbis legis: sed non posset contrariari intentioni legislatoris, sive ire contra intentionem legislatoris. *Corollarium.* *Primum.*

Secundò sequitur, quòd Princeps in politia debet necessario esse bonus, & clari ingenii, & magnæ prudentiæ ad sciendum intentionem legis. *Secundum.*

Tertiò sequitur, quòd ad bonum Principem necessario requiruntur duæ virtutes, scilicet prudentia, & justitia. Justitia quidem quoad alios dando aliis quod suum est, & prudentia quoad seipsum, ut faciat exequi judicium & justitiam. & quomodo, & quando, & qualiter oportet. *Tertium.*

Tertiò supponitur, quòd multò melius est civitatem regi operante vel Principante & Principe simul, quam à Principe vel Principante solum. Unde Principium civitatis est regula ejus, sive illa regula sit lex, sive Princeps. Unde lex solùm habet præcipere, & non operari. sed Princeps habet facere duo, scilicet præcipere & exequi, scilicet præmiando bonos, & puniendo malos. Et hoc de primo articulo. *Tertium notabile.*

Quantum ad secundum articulum, sit prima conclusio. Si esset aliquis bonus Princeps, & firmus, etiam maximæ prudentiæ & scientiæ non habens legem scriptam humanam, melius est civitatem regi tali Principe sine lege, quàm bona lege sine Principe. Probatur, nam melius est civitatem regi illo quod est justius *sic.* *Secundus articulus.* *Prima conclusio.*

& prudentius, sed talis Princeps est prudentior & justior tali lege. igitur. Major nota est ex terminis, quia justitia & sapientia requiruntur ad bonum Principem. Et minor patet, quia oportet quòd sit prudentior tam intensivè quam extensivè, quia ubi lex deficit, ibi Princeps implet, quia Principis est condere legem: Sed quòd intensivè probatur, quia lex datur universaliter non particulariter, modò Judex seu bonus Princeps respicit virtutes particulares, modò particularia sunt certiora. Sed quòd justior patet, quia bonus Princeps non solùm præcipit sic facere, sed sic operatur & præcipit. Sed lex solum præcipit. ergo videtur quòd postquam Princeps est talis, sequitur quòd sit justior & melior. igitur, consequentia est nota. Major patet quia bonus Princeps diligit subditos suos, quia inter Principem & subditos est naturalis dilectio, & lex non sic diligit.

Secunda. Secunda conclusio. temporibus modernis simpliciter melius est civitatem regi bona lege sine Principe, quàm quocunque Principe sine lege. Ista conclusio suis probata est per quinque rationes factas ante oppositum, & intelligitur quòd lex talis haberet ministrum qui executeretur eam. Patet, quia lex est securior & perfectior, & sic de aliis particulis tactis ante oppositum.

Dubium. Arguitur. Sed est dubitatio. Cui debet subditus magis obedire. vel legi, vel Principi stantibus in civitate, lege & Principe posito, quòd lex & Princeps discordent. Et videtur quòd magis obediendum est Principi, quia lex non habet vigorem nisi propter bonitatem Principis. igitur, consequentia patet similiter ex dictis.

Oppositum patet, quia Princeps quantumcunque bonus & prudens & magnæ conscientiæ est flexibilis, & non lex. Respondetur, pro præsenti, quòd in casu in quo Princeps sit bonus, & justus, & prudens, & magnæ conscientiæ. Et ad utilitatem Reipublicæ magis est obediendum ei, quàm legi. Patet, quia aliquando licitum est quòd subditus vadat contra verba legis.

Secundò dicitur, quòd si Princeps appareat malus homo & iniquus, & subditus sciat tale editum esse contra legem scriptam, debet obedire legi, Patet, quia lex bona est: quia aliter non esset lex, eò quòd lex prohibet omnem malitiam.

Ad rationes ante oppositum quæstionis sunt pro secunda conclusione.

QUÆSTIO V.

De Mulierum consiliis:

Arguitur. QUæritur quintò. Utrum consilium mulierum sit invalidum?

Arguitur primò quòd non. Illud consilium est firmum, validum, & ratum, quod est per prudentiam factum: sed consilium mulierum est hujusmodi. ergo. Major patet per Philosophum sexto Ethicorum dicentem, quòd consilium est actus prudentiæ. Patet minor: quia mulieres sunt prudentes: alias non committerentur eis res domus, & sunt tenaces.

Secundò si sic, sequeretur quod nulla esset differentia inter mulieres liberas, & servas. Consequens est contra Philosophum primo hujus, ubi in hoc reprehendit barbaros. Consequentia patet, quia sicut dicitur ibidem, consilium servi

nihil

nihil est, & per consequens est invalidum, si ergo consilium mulierum est invalidum, sequitur propositum.

Tertiò sic: consilium virorum est validum, ergo & mulierum. Patet consequentia, quia quædam sunt mulieres viragines. Et antecedens est Philosophi primo hujus dicentis. Consilium virorum validum est.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quibus est consulendum, & de quibus non. In secundo videbitur de quæsito.

Quantum ad primum articulum, supponendum est quòd consilium est actus prudentiæ requirens longum processum, & prolixum. Prima pars patet per Philosophum sexto Ethicorum. Secunda pars patet: consilium debet per ratiocinationem fieri, & talis ratiocinatio successiva debet esse. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Sit ergo prima conclusio, non est consulendum de his quæ sunt necessaria: probatur, quia non est consulendum de his quæ non sunt in potestate nostra: sed necessaria non sunt in potestate nostra: major patet, similiter minor, quia necessaria eveniunt sive velimus, sive non; quia non est consulendum, si sol est necessarius. *Quid sit consilium.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: non est consulendum de his quæ sunt naturalia: patet: quia quia naturalia non sunt in potestate nostra, & libertate, puta, utrum sol orietur cras. *Secunda.*

Sed contra arguitur. Solent aliqui quærere ab Astronomis. utrum erit pulchrum tempus cras, & hoc per consilium. *Arguitur.*

Tertia conclusio: de casibus fortuitis non est consulendum. Patet, quia de illis non est consiliandum quæ eveniunt præter intentionem: sed talia non eveniunt ad propositum: ergo. Major patet de se: & minor est Philosophi in tertio. *Tertia.*

Quarta conclusio. Nullus debet petere consilium de his quæ sunt in potestate alterius: sic quòd non sunt in potestate sui. Patet conclusio de se. *Quarta.*

Quinta conclusio, & ostensiva. Consulendum est de his quæ sunt in potestate nostra, & quorum sumus domini. Ista conclusio satis patet inductivè: quia non est consulendum de necessariis, & sic de aliis: ergo &c. *Quinta.*

Sexta conclusio, Non est consulendum de factis repentinis: scil: quæ subitò sunt, & eveniunt. Patet, quia consilium requirit magnam deliberationem, & ratiocinationem quæ fiunt successivè. *Sexta.*

Septima conclusio: Consulendum est de his quæ sunt ad finem, & non de fine: patet quia ordinata in finem sunt in nostra potestate, finis autem non nisi intuitivè, quia nullus consiliaretur de fœlicitate: sed bene consiliaretur per quem modum debet acquiri fœlicitas. Et hæc de primo. *Septima.*

Quantum ad secundum articulum. Videndum est de quæsito principali. *Secundus articulus.*

Pro quo notandum est, quod consilium mulierum esse validum potest intelligi dupliciter. Uno modo quòd sit validum, constans, firmum, & permanssivum, & ratione firmâ vallatum. Secundo modo quòd sit consonum dictamini rectæ rationis, saltem quoad rectitudinem veri; ut si mulier det consilium quòd eundum est ad talem locum, quemadmodum vir prudens faceret. *Primum notabile.*

Secundò supponitur, quòd diversitas complexionum multum facit ad diversitatem judiciorum. Patet, nam per hoc quòd alia est complexio in asino, quam in homine, ideò asinus judicat cardones esse dulces, & homo non. *Secundum.*

Tertium.

Tertio supponitur, quod complexio mulierum est multùm fluxibilis, humida, fleumatica, & per consequens est valdè variabilis. Patet suppositio ex Philosophia naturali.

Prima conclusio.

Tunc sit prima conclusio: sumendo consilium mulierum esse validum primo modo, consilium mulieris non est validum, patet per experientiam, quia mulier modo habet unum in ore, & in mente gerit aliud, seu cogitat. Probatur ratione: quia complexio est multùm variabilis, & fluxibilis: ergo. Consequentia patet: judicia sequuntur complexiones. Antecedens patet ex suppositione.

Secunda.

Secunda conclusio: Sumendo consilium mulierum esse validum secundo modo. patet conclusio, quia consilium mulierum est validum, quia quandoque mulieres consiliantur de agendis rectè & ordinatè. igitur. Consequentia patet de prædictis. Antecedens apparet: quia mulieres quandoque enunciant quemadmodum est faciendum: licet non sit consilium multum permansivum.

Dubium.

Sed dubitatur. Unde provenit si mulieri præponatur veritas, mulier primo dicet veritatem citiùs quam si diu consideraret, & forsan postea decipietur.

Primum notabile.

Pro quo nota, intellectus naturaliter inclinatur ad assentiendum cuilibet veritati: patet, quia naturaliter assentit primo principio, Item quia veritas est perfectio intellectûs.

Quomodo intellectus inclinatur ad veritatem.

Secundò supponitur, quòd diversitas complexionum quandoque juvat, quandoque nocet, ad hoc quòd intellectus verè judicet. Patet, quia intellectus quamdiu est in materia, non potest exercere suas operationes, nisi mediante juvamine sensuum exteriorum. Ideo dicit Philosophus secundo de Anima molles carne aptos mente dicimus. Et tunc respondetur, quòd causa est ista, quia quam cito præponitur veritas mulieri, tunc intellectus ejus inclinatur ad assentiendum: sed si consideraret diu de veritate illa, statim intellectus mulierum variatur propter fluxibilitatem materiæ fleumaticæ: unde est varia perturbatio intellectus. In viro autem non sic est, quia in viro est materia disposita melius, & est melior complexio in ipso, & permanentior.

Secundum.

Quomodo diversitas complexionum juvat aut nocet.

Ad rationes.

Ad rationes quæstionis. Ad primam conceditur major, & negatur minor. Ad probationem quando dicitur: mulieres sunt prudentes, negatur hoc quia ad prudentiam requiritur stabilitas & constantia. Et cum dicitur non committeretur ei res domus. Dicitur quòd hoc non propter prudentiam: sed quia sunt tenaces. Et hoc non arguit prudentiam: quia bestia custodit pullos suos.

Ad secundam negatur illa quia servus à natura dicitur ille qui nullo modo potest mente providere: sed mulieres aliquando ratione utentes consiliantur. Ad probationem dicitur, quod in hoc Philosophus reprehendit barbaros: quia utebantur consilio mulierum, & servorum.

Ad tertiam negatur consequentia, & causa est prius dicta. Et quando dicitur, aliquæ mulieres sunt viragines. Dicitur quod hoc non est quoad prudentiam vel consilium.

Responsio post oppositum est pro dictis.

QUÆST.

QUÆSTIO VI.

De dignitate universi.

Quæritur sextò. Utrum res quantumcunque turpis sit de perfectione universi?

Arguitur quòd non, quia sequitur quod mala essent de perfectione universi: consequens est falsum, quia mala deturbant universum & non faciunt ejus perfectionem. Consequentia patet, quia in universo sunt multa mala & scandalosa. *Arguitur.*

Secundo sequeretur quòd homicidia & furta essent de perfectione universi, Consequens est falsum, quia tunc licitè fieri possent. Patet consequentia, quia tunc homicidia sunt res turpes in universo.

Tertiò sic, illa non sunt de perfectione universi, quæ pervertunt ordinem universi: sed multa mala sunt hujusmodi. igitur. Consequentia patet. Et major probatur, quia nullus homo poneret hoc, eò quòd perversio universi est maximum malum universi. Minor patet clarè: quia sicut in corpore humano turpitudo consurgit ex inordinatione partium, ita in universo.

Quartò sic. Si sic esset sequeretur, quòd nihil à casu fieret & fortuna. Consequens est falsum, sicut patet septimo Ethicorum. Consequentia patet: quia illa quæ eveniunt à casu & à fortuna eveniunt præter naturam. Modò illa quæ sunt præter naturam non sunt de perfectione universi. *In Oppositum.*

Oppositum est de intentione Philosophi in isto tertio. Nam diversitas & variatione spartium in civitate sunt de perfectione civitatis, vel politiæ, & faciunt ad ejus perfectionem, igitur. &c. Etiam de varietate partium universi quæ sunt in mundo. Et antecedens patet, quia in hoc reprehendit Philosophus alios, qui volunt quòd civitas debet esse una: quia si sic, statim periret politia.

In quæstione erunt duo articuli, in primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum articulum Nota quod de toto universo imaginandum est sicut est de aliquo instrumento musicali, quod debet Harmoniam causare. Et quia sic videmus quod in aliquo instrumento musicali ad hoc quod debeat causare Harmoniam requiritur diversarum chordarum subordinatio. Ita debet esse de rebus in toto universo. In quo primo est Deus qui est causa omnium. Deinde sunt aliquæ creaturæ secundum dignitates majores & minores subordinatas. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd aliquid est secundum se bonum quod tamen est alteri malum: Patet, nam aliquis secundum se est bonus, & tamen est malus homini existenti in eo. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quod aliquid est turpe tripliciter. Uno modo simpliciter, & est illud quod est malum culpabiliter, & dicit Philosophus 2. Ethicorum. Melius est omnia mala pati, quam aliquid turpe committere. Tertio modo dicitur turpe secundum quid, & est propter non debitam proportionem partium in toto, & illo modo diceretur, quod homo esset turpis. *Tertium.*

Quartum. Totum dicitur tripliciter perfectum.

Quarto notandum est, quod totum dicitur tripliciter perfectum, uno modo secundum situm. alio modo secundum debitam proportionem partium, potentiarum activarum, & passivarum. Tertiò quoad debitam perfectionis ordinationem & imperfectionis: primò dicitur perfectum, quia partes principales sunt ordinatæ secundum suas naturas, & inclinationes naturales. Secundo modo, quia potentiæ activæ sunt ordinatæ respectu potentiarum passivarum. Tertio modo, quia partes ordinantur secundum rationem perfectionis, vel imperfectionis.

Quintum. Aliquod dicitur perfectum quadrupliciter.

Quintò notandum est, quòd sicut dicit quidam Doctor, aliquid potest dici perfectum quadrupliciter, uno modo capitur pro perfecto cui non deficit aliqua pars requisita ad sui perfectionem, & sic homo dicitur perfectus, quia habet omnia sua membra. secundo dicitur perfectum, quod est optimum in suo genere; & sic dicitur perfectum secundum quid. & sic Sortes potest dici perfectus tutor. Tertio modo quod est ordinatum in suum finem debitum dicitur perfectum; & pro tanto si aliquod ordinetur, & non ordinetur in finem debitum dicitur imperfectum. Quarto modo aliquid dicitur perfectum cui non potest fieri diminutio, neque additio, & sic solus Deus dicitur perfectus.

Sextum.

Sextò notandum est, quòd titulus quæstionis dupliciter potest intelligi. Uno modo quòd omnis talis res pertineat ad perfectionem universi directè. Secundo modo indirectè, & sic homicidium dicitur pertinere ad perfectionem universi indirectè: quia ad homicidium sequitur punitio, & in tali punitione actus justitiæ completur: & talis justitia est perfectissima virtus, & hæc de primo articulo.

Prima conclusio. Secundum articulum.

Quantum ad secundum articulum est prima conclusio, loquendo de perfectione, quæ est quoad debitum situm partium universi, totum universum est perfectum. Patet, quia in toto universo debito modo possunt partes principaliores universum constituentes sumi: quia primo Deus, postea cœlum, & quatuor elementa.

Secunda.

Secunda conclusio, loquendo de perfectione universi, quoad debitam proportionem potentiarum activarum & passivarum universum est perfectum, quia in universo potentiæ activæ sunt bene applicatæ potentiis passivis.

Tertia.

Tertia conclusio, de perfectione quoad debitam ordinationem perfectionis & imperfectionis, universum est perfectum. Patet, quia omnes res ponuntur in illo secundum esse perfectius, & imperfectius.

Quarta.

Quarta conclusio, probabile est dicere quòd non omnis res quantumcunque turpis pertineat ad perfectionem universi directè, & simpliciter: & hoc loquendo de turpi secundum quid, non de turpi similiter: Illa conclusio videtur patere satis, quia omnis res illo modo turpis est res imperfecta, sed omnis res imperfecta pertinet directè, vel participat de perfectione universi alicujus entis, potet inducendo in singulis entibus turpibus.

Quinta.

Quinta conclusio, omnis res quantumcunque turpis aliquo modo, sive directè sive indirectè, pertinet ad perfectionem universi: illa Propositio est de intentione Augustini in quinto libro, qui vocatur Enchiridion, ubi ponit conclusionem in forma: ratione probatur: quia res turpis secundum quod posita juxta rem perfectam, & pulchram de sua specie reddit illam rem magis pulchram. igitur. consequentia est nota, & antecedens patet: quia opposita juxta se po-

sita

sita magis eluceſcunt. Sed probatur de tuppi ſimpliciter; quia malum culpæ pertinet ad perfectionem univerſi; quia propter malum culpabile quia punitur, & in tali punitione juſtitia exercetur; & propter talem punitionem cives perficiuntur, & occaſionem capiunt bene operandi: & ſic per hoc homines boni reuahunt ſe à malis: & per hoc ſit perfectio univerſi. Item, ſicut dictum eſt, in diverſitate entium ſimul aggregatorum conſiſtit delectatio harmoniæ, & aliæ delectationes, & in hoc ſit decor univerſi & perfectio. Et ideò ſequitur quòd monſtruoſitates non omnino fruſtra ſiunt: quia faciunt ad decoratiouem univerſi. Et hoc de ſecundo articulo.

Ad rationes. Ad primam dicitur primò, quòd ſimpliciter loquendo nihil eſt malum quia quicquid eſt, eſt bonum. Si ergo loquamur de bono meris adhuc dico, quòd talia pertinent ad decorem & perfectionem univerſi. Et ad probationem de homicidio, negetur hoc, quoad totam ſpeciem. *Ad rationes.*

Ad ſecundam conceditur conſequentia, & ſimiliter conſequens. Antecedens etiam ſaltem indirectè, & non immediatè. Et cum dicitur omne quod eſt de perfectione univerſi licitè poteſt fieri, verum eſt, ſi illud eſt perfectione directè.

Ad tertiam dicitur conſimiliter negando minorem, ſicut dictum eſt, niſi ad ſenſum dictum.

Ad quartam conceditur conſequentia; & hoc reſpectu Dei, quia in ordine ad Deum nulla eveniunt à caſu, vel à fortuna; ſed benè verum eſt quoad nos: Et dicitur, quòd illa quæ ſiunt præter naturam bene ſunt de perfectione univerſi, & non immediatè.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO VII.

De Dignis Principatu.

QUæritur ſeptimò. Utrum ſecundum cujuſlibet boni exceſſum principatus debeant diſtribui, id eſt, quanto quis abundat in bonis, tanto meliùs debeat principari.

Et arguitur quòd ſic. divites debent magis principari, quam alii. ergo conſequentia eſt nota. & antecedens probatur, quia divites habent ſuſtinere pauperes, & ſuſtinere totam civitatem, ne ad alios transferatur. Et confirmatur antecedens, nam divites ſunt alijs fideliores, quia bono totius communitatis multum confert fideliras. Antecedens probatur, quia divites non ita cito frangunt pacta. Ideo dicit Philoſophus quòd pauperes, & miſeri cito flexibiles ſunt. Probatur, quia ſecundum exceſſum ingenuitatis debent principatus diſtribui. Nam ingenui ſunt magis apti principari. igitur. Conſequentia eſt nota. Et Antecedens eſt Philoſophi dicentis, quòd ingenuitas reddit hominem bonum. *Arguitur.*

Secundò ſic, quia ſecundum virium corporalium menſuram principatus debent diſtribui. Et Ariſtoteles dicit, expedit principem eſſe pulcherrimum, & robuſtum

bestiam, bene complexionatum. igitur. Consequentia est nota ex terminis. Antecedens probatur per Albertum, primo hujus dicentem, quòd multis expedit quòd princeps sit robustus, quia propter hoc subditi magis obediunt, & timent.

Quartò sic, quia secundum bonum excessum animæ debent principatus distribui. Probatur, quia secundum bona animæ meliores sunt aliis prodenciores. consequentia est nota. & antecedens patet, quia alias non haberent bona animæ.

In oppositum. Oppositum arguitur auctoritate Philosophi tertio hujus potentis, quòd non secundum cujuslibet boni excessum principatus debent distribui.

Primus articulus. In quæstione erunt duo articuli, In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum. nota quòd, sicut colligitur ex dictis Philosophi in isto tertio, quatuòr sunt partes in civitate bene recta & regulata: scil. divites, nobiles, liberi, & virtuosi. ita quòd civitas nunquam est bene regulata, & ordinata, nisi sint illæ quatuor partes: primò quòd ibi requirantur divites. Patet, quia aliàs civitas periret. Et debent esse nobiles, qui debent eam defendere: & liberi qui liberi non debent regere: & quòd debent esse virtuosi satis constat.

Secundum. Secundò notandum quod Juristæ aliter capiunt ingenuos, quam Philosophus moralis. vocant enim illos ingenuos & liberos qui sunt ex parentibus liberi procreati. & cum hoc quòd sint boni virtuosi. Et Philosophus moralis vocat illos ingenuos & liberos, qui sunt ex parentibus liberis procreati.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd titulus quæstionis intelligitur, utrum quinto plus aliquis abundat in bonis, tanto magis debet principari. Et dicitur quòd distinguendum est de bono, quia triplicia sunt bona; scilicet animæ, & illa sunt simpliciter bona. Alia sunt bona corporis. Alia sunt bona fortunæ subjecta, & illa sunt bona secundum quid.

Quartum. Quartò notandum est, quòd cum bono fortunæ, & bono corporis bene stat malitia moralis: patet de bono fortunæ, quia aliqui tales sunt latrones, & hujusmodi. Patet etiam de bono corporis: quia propter ipsum multi petierunt primo Ethicorum.

Secundum articulum. Prima conclusio. Quantum ad secundum articulum, & ista prima conclusio, secundum divitiarum excessum non debent principatus distribui. Probatur; nam secundum illorum bonorum excessum non debent principatus distribui, cum quibus stat malitia moralis, etiam quæ præbet multis occasionem delinquendi. sic est de divitiis. ergo. major patet ex dictis. minor probatur, quia sunt divites clari superbi: & contemptuosi pauperum. Et ex quo sequitur quòd princeps non debet eligi secundum suarum divitiarum excessum.

Secunda. Secunda conclusio. secundum bonorum corporum excessum non debent principatus distribui. Probatur, sicut præcedens; quia illa bona possunt toti civitati nocere, & præbent aliis occasionem peccandi.

Tertia. Tertia conclusio. secundum bonorum animæ excessum principatus debent distribui, id est, quanto aliqui abundant plus in bonis animæ, tantò melius debent principari. Probatur, quia secundum illorum bonorum excessum principatus debent distribui, quæ bona reddunt principem aptum principari: sed bo-

ra animæ sunt hujusmodi. igitur. Major patet, quia ad principandum requiritur prudentia. minor patet.

Quarta conclusio responsiva. non secundum cujuslibet boni hominis excessum principatus debent distribui, quia non debent distribui principatus secundum bona corporis, & fortunæ. *Quarta.*

Sed contra secundam conclusionem arguitur quòd non: quia sic sequeretur quòd quanto aliquis esset virtuosior, tanto melius deberet principari. consequens est falsum, quia quanto aliquis virtuosior tanto est magis speculativus divinorum, & contemptivus terrenorum: & talis non valet ad interesse mundanis. consequentia patet. *Arguitur.*

Ad hoc respondetur concedendo consequentiam, & consequens. & dicitur distinguendo de virtutibus, quia quædam sunt virtutes intellectuales: & aliæ sunt virtutes morales. Modo dicitur, quòd cum virtutibus intellectualibus bene stat malitia, & non cum virtutibus moralibus. & sic dicitur concedendo quòd quanto aliquis est virtuosior intellectualibus virtutibus, tanto est magis speculativus: sed quæstio intelligitur de virtutibus moralibus. *Responsio.*

Ad rationes quæstionis. Ad primam conceditur de virtuosis divitibus: sed loquendo de divitibus secundum quid negatur hoc. sed benè verum est in quantum sunt virtuosi. Et negatur etiam quòd sunt virtuosiores & fideliores. *Ad rationes.*

Ad secundam conceditur consequentia; & consequens, loquendo de ingenuitate, qua vocant Philosophi ingenuos moraliter: & non de ingenuitate, de qua loquuntur Juristæ.

Ad tertiam dicitur ad Albertum, quòd hoc voluit, non tamen principaliter quod sit virtuosus & sapiens.

Quarta est prò tertia conclusione.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO VIII.

De Condemnatis ad Mortem.

QUæritur octavò. Utrum condemnatus ad mortem per principem licitè possit abire, si tempus & locum habeat.

Et arguitur quòd non, quia condemnatus ad mortem non habet dominium supra corpus suum: immo est principis: igitur. consequentia patet: quia tunc in illo casu condemnatus subtraheret quod est principis, modo hoc est illicitum. Antecedens patet, quia propter illam condemnationem corporis proprietas secundum jus est devoluta ad principem, imo ad communitatem. *Arguitur.*

Secundò ſ sic, sequeretur quòd non esset differentia inter condemnatum, & non condemnatum. consequens est falsum: ut patet de se. Patet consequentia, si ita bene non condemnatus ad mortem posset recedere, sicut condemnatus. sequitur propositum.

Tertiò sic, si sic, sequeretur quòd condemnatus ad mortem posset licitè velle justitiam non fieri. consequens est falsum. Et patet consequentia, quia post-

quam talis condemnatus est ad mortem licitè & justè punietur: si ergo posset licitè recedere, sequitur propositum.

Quartò sic, unusquisque tenetur obedire suo Principi in licitis, & honestis, sed honestum & licitum est quòd condemnatus ad mortem puniatur. ergo. major patet de se. minor probatur: quia si est justè condemnatus, ut supponitur, videtur quòd justè puniatur: quia sicut justum est, si bene fecerit quòd præmietur ita è contra, si malè, quod puniatur.

Quintò sic, illud non est licitum in quo tota Respublica læderetur. sed in tali recessu tota Respublica læderetur. ergo non est licitum. consequentia est nota, major patet de se. Et minor probatur: quia bonum Reipublicæ est, quòd malefactores & læsores Reipublicæ à justis separantur, & à bonis.

In oppositum. Oppositum arguitur auctoritate antiquorum super tertio hujus. Et probatur ratione. Omne illud est licitum ad quod lex naturalis inclinat: sed ad talle lex naturalis inclinat. ergo &c. Major patet, quia natura dirigitur ab agente infallibili. Minor patet, quia naturale est, quòd unusquisque appetat suam permanentiam quantum potest. In primo articulo respondebitur ad quæstum. In secundo erunt dubia.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum notandum est, quòd duplex est mors: quædam est naturalis, & illa vocatur à Philosopho dulcis, ut quando homo moritur per extinctionem caloris naturalis; & talis fit raro, ut dicit Philosophus. Alia est mors violenta, quæ est amara, ut esset mors quæ fieret per interfectionem, & illa est periculosa.

Primum notabile. duplex est mors.

Secundum. Secundò notandum est, quòd aliquis dupliciter potest dici condemnatus ad mortem, uno modo justè; alio modo injustè, quia non demeruit: & utroque modo intelligitur quæstio.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd duplex est Princeps; quidam est supremus qui non arctator legibus, ut imperator. Alius est inferior, qui subjicitur legibus, ut est præpositus, vel bajulus. Unde aliquis potest habere jus super aliquam rem tripliciter. Uno modo quoad usum tantum. Alio modo quoad dominium tantum. Tertio modo quoad utrumque, scilicet tam quoad usum, quam quoad dominium.

Quartum notabile. differunt jus, fas, & licitum. Quartò notandum est, quòd differentia communiter assignatur inter fas, jus, & licitum. Unde fas est quo quis utitur re aliena sine damno illius cujus est illa res, sicut fas esset quòd veteretur libro alterius. Sed licitum est jus quo scilicet quis utitur re aliena cum aliquali damno, parvo illius cujus est res; ut licitum est caperetres aut quatuor spicas, si homo transeat per blada alterius. Sed jus est æquitas quæ dat actionem vendicandi illam rem, sed verum est quòd fæpe promiscuè utimur illis nominibus.

Quintum. Quintò notandum est, quòd si aliquis posset impedire peccatum alterius, & non impedit, ipse peccat. Probatur, quia talis quantum est de se damnat animam proximi sui, & sic est iniquitas, immo inhumanitas. Ex quo sequitur quòd agentes & consentientes rationabiliter pari pœna puniuntur.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio. condemnatus ad mortem injustè licitè potest abire, si tempus & locum habeat. Probatur, quia nisi sic faceret, sequeretur quòd ipse peccaret contra legem naturalem; & contra legem divinam. probatur primò, quia peccaret contra legem naturæ, quia talis potest evitare mortem suam, & salvare

vitam

vitam suam. Sed quod peccaret contra legem divinam patet. quia ipse posset impedire ne Princeps eum interficiat, in quo casu valde peccaret, qui ipsum injustè condemnavit, & hoc est contra legem in qua dicitur *diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Secunda conclusio probabilis est ista. condemnatus ad mortem justè potest *Secunda conclusio.*
abire, & licitè, si tempus & locum habeat. Probatur sic. illud est licitum ad quod natura inclinat, seu naturalis lex. sed ad hoc natura inclinat. ergo est licitum. consequentia patet. & major de se nota est, & minor probatur, quia natura inclinat quòd unusquisque servet & custodiat vitam suam quantum potest.

Secundò homo sic recedendo potest de multis præmediari: & virtuosus fieri, & pœnitere, & per consequens potest proficere Reipublicæ. igitur. consequentia est nota. & antecedens patet, quia posset intrare religionem, & fieri virtuosus, & alia multa facere bona.

Tertiò non est licitum se exponere periculo, seu morti cum detrimento animæ, sed in tali casu homo se exponit detrimento animæ. ergo. major est nota, & minor probatur, quia in periculo mortis sensus tantùm tristantur, & patiuntur quòd homo non potest habere bonam contritionem, & advertere ad bona animæ etiamsi fortan fieret periculum animæ. Sed verum est, quòd plures tenent conclusionem oppositam, ergo conclusio est satis dubia.

Quantum ad secundum articulum erunt aliqua dubia circa argumenta ante oppositum facta. *Secundum articulus.*

Primum dubium est. utrum homo ad mortem condemnatus habeat dominium supra corpus suum. *Primum dubium.*

Arguitur primò quòd sic, quia nisi sic sequeretur quòd homo non posset licitè recedere, si locum & tempus habeat. Antecedens est falsum ex dictis in primo articulo. tenet consequentia, quia sic recedendo abstraheret aliquid quod non esset sui, & committeret furtum, quod non est licitum.

Oppositum arguitur. quia homo condemnatus ad mortem justè propter sua demerita perdit dominium & proprietatem supra corpus suum. consequentia tenet; & antecedens probatur, quia talis lædit Rempublicam. *In Oppositum.*

Pro intellectu hujus notandum est, de homine justè condemnato ad mortem possumus loqui dupliciter. Uno modo quòd non sit adhuc vinculatus à Judice; sed vinculabitur postea. Alio modo quòd jam de facto sit vinculatus à suo Judice. Exemplum primi, ut si sit aliquis condemnatus, vel dicat Princeps quòd postea vinculabitur aut capietur. Exemplum secundi, ut si sit vinculatus antequam condemnetur. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd aliquis potest habere locum & tempus abeundi, quando scilicet non est vinculatus, & ostia carceris sunt aperta, & custos sui non est ibi, vel saltem dormit. *Secundum notabile.*

Tertiò notandum est, quòd justè condemnatus ad mortem per suum superiorem non potest contra suum superiorem ut sic contraire, scilicet invadendo, seu lædendo. Nam secundum quòd dicit Albertus, læsio talis aliqualiter respiceret ad crimen læsæ majestatis. *Tertium notabile.*

Sit ergo prima conclusio. condemnatus ad mortem justè antequam sit vinculatus, & incarceratus à suo Principe habet dominium & proprietatem supra corpus. Probatur, quia non videtur quo modo perdiderit proprietatem, & dominium *Prima conclusio.*

nium sui corporis, sed bene usum; & isto modo intelligebatur.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. ubi dicebatur quòd condemnatus justè ad mortem illo tempore quo est vinculatus, non habet dominium & proprietatem supra corpus suum, nec etiam usum. patet conclusio. Primò: quia non habet usum ut satis notum est. Sed quòd non habet dominium patet: quia ipse statim demeruit. & condemnatio est totaliter completa. & loquendo de totaliter condemnato ad mortem à Principe non est licitum quòd ipse recedat, si locum & tempus habeat. Et hoc arguebat prima ratio ante oppositum.

Secundum dubium. Secundum dubium, utrum in aliquo casu licitum sit subtrahere rem alienam. Et arguitur quòd non, quia sic abstrahere est committere furtum, sed hoc non est licitum. ergo.

In oppositum. Oppositum arguitur, quia ut dictum est condemnatus potest licitè recedere: & ita in casu necessitatis licitum est rem alienam subtrahere.

Primum notabile. Pro quo primò notandum est, quòd duplices sunt res, quædam sunt res possessæ, ut vinea, domus, blada, cibus. Aliæ sunt non possessæ: ut sunt lapides preciosi in profundo maris.

Secundum. duplices sunt res. Secundò notandum, quòd duplices sunt res. quædam sunt immediatè ordinatæ ad vitæ necessitatem. Aliæ non sunt ordinatæ immediatè ad vitæ necessitatem. Primæ res sunt veræ divitiæ; secundæ non.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd omnes res ordinatæ ad vitæ sustentationem in casu necessitatis sunt totius communitatis, quia tales res non sunt ordinatæ à natura magis ad necessitatem Sortis, quam Platonis.

Quartum. Quartò notandum est, quòd quando quæritur utrum aliquis licitè &c. possit intelligi de aliqua re ab illo possessa.

Prima conclusio. Et tunc sit prima conclusio. in nullo casu licitum est recipere rem non suam loquendo de re possessa ab aliquo. Patet, quia taliter accipere est furtum committere. Et quando dicitur de casu necessitatis; Respondetur quòd in casu necessitatis illa sunt sui: quia tunc omnia sunt communia: & etiam sui. Et quando dicitur de justo condemnato; dicitur quod ipse non perdidit corpus suum: nisi sit vinculatus.

Secunda conclusio. Secunda conclusio, in aliquo casu licitum est capere seu recipere rem aliquam: loquendo de re quæ non est ab aliquo possessa. patet conclusio de lapide precioso existente in profundo maris: nam lapidem capere non est furtum, quia non est possessio alicujus. igitur &c.

Ad rationes dubii satis dictum est.

Tertium dubium. Tertium dubium, utrum in omnibus licitis & honestis inferior teneatur suo superiori obedire.

Arguitur. Arguitur quòd non. quia si sic, sequeretur quòd filius posset esse inobediens patri: Consequens est falsum, & inconveniens, & contra Philosophum octavo hujus. Et consequentia patet, quia si superior præciperet suo filio ire ad Ecclesiam, & pater præciperet oppositum, tunc ille obediret superiori, & non patri.

In oppositum. Oppositum patet per omnes Philosophos morales, quia vult Philosophus quòd omnis inferior debet duci secundum impetum sui superioris. Ad istud respondetur ponendo istam conclusionem. In omnibus licitis & honestis inferior tenetur obedire suo superiori. patet ista conclusio ex dictis. Etiam patet, quia lex obligat inferiorem superiori, & jus est. ergo conclusio vera. Antecedens

probatur,

probatur, quoniam lex jubet hominem malitiam fugere.

Et tunc ad rationes, quando dicitur, quia tunc staret &c. conceditur consequentia, & consequens, & hoc in isto casu scilicet in quo præceptum superioris sit licitum, & præceptum patris illicitum, unde præcipiat pater filio suo ut vadat ad campum pro necessitate Oeconomicæ suæ, & Princeps præcipiat oppositum: quæritur cui magis debet obedire? *Ad rationes.* *Dubitatio.*

Respondetur, quòd in illo casu in quo præcipiet pater filio suo in illis qui essent de suo dominio, & de Oeconomica sua, tunc tenetur patri obedire, & in hoc præceptum superioris est illicitum. Et si Princeps præciperet in illis quæ essent de dominio suo, ipse tenetur obedire Principi; & si pater præcipiat oppositum illius filio suo, tunc præceptum suum est illicitum. *Respondetur.*

Ad rationes. Ad primam conceditur consequentia & consequens, si condemnatus sit incarceratus, & ligatus à Principe, & aliter non. *Ad rationes*

Ad secundam negatur consequentia: quia ille qui non est incarceratus, & ligatus à Principe licitè potest fugere ante incarcerationem si potest: sed condemnatus justè post incarcerationem non potest licitè recedere.

Ad tertiam quando dicitur, si sic, sequeretur quod aliquis seipsum deberet perdere: quia non debet non velle justitiam fieri. negatur consequentia, & ad probationem conceditur antecedens, & negatur consequentia: quia nisi ipse sit incarceratus non est totaliter condemnatus.

Ad quartam, quando dicitur in omnibus licitis &c. Dico ad minorem, quòd hoc potest esse licitum dupliciter. Uno modo ante vinculationem. Alio modo post. si primo modo, negatur. si secundo modo, conceditur.

Ad quintam cum dicitur sequeretur quòd talis potest justè recedere. negatur consequentia. Et dicitur quòd illa ratio nihil concludit, ut patet ex dictis.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO IX.

De dignis honore.

QUæritur nonò. Utrum minus sufficiens altero debeat velle præferri in honore & dignitate sufficientiori se.

Arguitur primò quòd sic, nisi talis vellet licitè præferri sufficientiori se; hoc esset quia oportet meliorem principari. Consequens est falsum, igitur. Major patet, quia non videtur alia ratio. Minor patet, quia non semper secundum veritatem ille qui est melior debet principari: sicut habetur in alia facultate. *Arguitur.*

Item si sic sequeretur quòd heremitæ, & alii sancti viri deberent principari, quod non est bonum politiæ.

Tertiò sic, minus sufficiens debet velle quid est sibi multo melius. Sed multo melius est sibi quod aliis præferretur. ergo. consequentia est nota: & major & minor probantur: quia melius est semper principari, & dominari, quam subjici.

Quartò, nisi sic sequeretur quod multi promoti ad dignitates & honores valdè

peccarent in promotione dignitatis & honoris. Consequens est falsum: quia non est dicendum, quod tam multi valentes viri peccarent. Consequentia patet; quia clarum est quod sunt promoti ad dignitates, & tamen sciunt alios sufficientiores. Antecedens est notum.

In oppositum. Oppositum arguitur, quia minus sufficiens se praeferre in dignitate & honore sufficienciori se est contra ordinationem universi, & contra totum processum Philosophi: igitur non est licitum. Consequentia patet, quia nullus potest licitè velle illud quod est contra justitiam distributivam, & contra dicta Philosophi, & sapientum: & Antecedens patet, quia ordo universi est quod illud quod est melius principetur aliis: & ideo Deus gubernat omnia, quia est melior. Sed quod sit contra justitiam distributivam Patet, quia secundum justitiam distributivam illi qui est melior debent majot honor & dignitas. Sed quod sit contra processum Philosophi patet. Quia dicit Philosophus, quod ille qui scit mente providere debet gubernare, & principari: & etiam est de intentione Alberti.

Primus articulus. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primum notabile quid dicitur minus sufficiens altero dupliciter. Quantum ad primum notandum est quod aliquis potest dici minùs sufficiens altero dupliciter. Uno modo quod sit simpliciter ignorans, & idiota, & insciens. & sic ly [minus] non capitur comparativè, sed ponus negativè. Secundo modo, quod ipse prudens & sapiens est, tamen non est in tali gradu, sicut alter est.

Secundum. Secundo notandum est, quod simulus quæstionis potest intelligi dupliciter.

Uno modo quod minus sufficiens laboret & procuret præferri sufficienciori se in honore & dignitate. Alio modo quod non laboret ad hoc, sed hoc velit ex præcepto sui superioris: quia superior princeps vult & præcipit quod talis ad talem honorem promoveatur.

Tertium. Tertio notandum est, quod secundum quod colligitur ex dictis sexto Ethicorum ad hoc quòd aliquis debeat velle præferri alteri, requiritur quod ipse habeat principaliter duas virtutes, unam scil. intellectivam: aliam moralem, vel saltem communem, scil. sapientiam & prudentiam.

Quartum. Quarto notandum est, quod secundum dictamen rectæ rationis honores & dignitates solùm sunt assumendæ sub spe honorandi Deum & Ecclesiam. Et si alio modo assumat quis ille peccat.

Quintum quomodo quis promovetur ad honores quadrupliciter. Quinto notandum est, quod aliquis potest promoveri ad honores quatuor modis. Primo ex divina ordinatione, ut legitur de Beato Nicholao, & David, & Saule. Secundo ex Ecclesiæ collatione, & divino auctoritate, sicut Papa confert beneficium. Tertio modo ex milium & populi unanimi electione, & sic Imperatores eliguntur, & multi alii. Quarto ex paterna & legitima successione: & sic semper reges Franciæ promovenntur ad honores & dignitates. Alii modi qui non reducuntur ad illos sunt illiciti. Et ideo dicit mentificator. Vivere sine patre qui non nascitur, i. e. sit bodie filius Ecclesiæ.

Secundus articulus. Prima conclusio. Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio, nullus ignorans & imprudens debet velle præferri alii in honore, & dignitate. probatur. quia talem præferri honore & dignitate est illicitum fieri: ergo non est bonum. Consequentia patet, quia nullum tale est licitum. Et Antecedens patet.

Confirmatur

Confirmatur per Beatum Bernardum in quodam Epistola, *ramus arboris in folio sedens similis est: quia quanto similis ascendit altius, tanto magis ostendit suas turpitudines, sic etiam de fatuis.*

Secunda conclusio est, nullus quicunque sit potest licitè esse ambitiosus ad hos honores & dignitates obtinendas. Probatur, quia in talibus honoribus & dignitatibus secundum se non est aliquod bonum, nec causa bonitatis ergo. Consequentia est nota. Et Antecedens probatur per Boetium secundo de consolatione, prosa quinta dicentem. Si in dignitatibus & honoribus inesset aliquid boni naturalis, vel causa boni, non misereretur malis, etiam ipsis non contingeret malè uti. ergo diligere Deum secundum se est bonum, quia non contingit eo malè uti. *Secundo.*

Secundò confirmatur, quia li [ambitiosus] connotat aliquod illicitum.

Tertia conclusio. minus sufficiens altero debet præferri sufficientiori si in honore & dignitate, si hoc habeat ex præcepto sui superioris. Probatur, quia in omnibus licitis & honestis inferior debet obedire suo superiori, ut dictatur in quæstione præcedenti. *Tertia.*

Sed dubitatur, quomodo est licitum, quòd ille præferatur. Respondetur, quòd conclusio supponit quòd superior habeat potestatem ordinandi, & promovendi ipsum ad honorem & dignitatem. & quòd sciat ipsum utilem ad tale officium, licet etiam alter sit melior & magis sciens, quia si non esset talis, non oporteret. *Dubium.*

Quarta propositio, nullus debet principari, seu dominari propter esse in quiete, vel in potestate. Probatur primò quòd non in quiete. quia non licet quòd bonus Princeps sit in quiete: sed debet semper laborare ad utilitatem communitatis Reipublicæ, & politiæ, ut præfertur, & ob hoc scribit Papa in bullis servus servorum. Secundò probatur, quia non propter potestatem, quia illud appetit quod non est de se bonum. quia illud non habet rationem ordinatam in finem. quia appetit quod non est de se bonum, tanquam finem non licitum. *Quarto.*

Ad rationes. Ad primam dicitur, quòd non oportet meliorem semper, sed prudentiorem principari: oportet & dominari aliis, & hoc de istis qui sunt prudentiores ad negotia politiæ. *Ad rationes.*

Ad secundam negatur minor. quia pessimum est quòd fatuus principetur. quia quanto fatuus est altior, tanto magis suas miserias & turpitudines ostendit.

Item talis perdit animam suam, & animas aliorum. Nam si cæcus cæcum ducat ambo in foveam cadunt.

Ad tertiam conceditur antecedens, & consequentia. si non sint promoti altero quatuor prædictorum modorum.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO X.

De occidendis malefactoribus.

QUæritur decimò. Utrùm Principi licitum sit occidere vitiosos & malefactores.

Arguitur primò quòd non. Quia illud non est licitum quòd non est conforme *Arguitur.*

conforme dictamini rationis, & divinæ justitiæ. sed occidere hominem est hujusmodi. ergo &c. major patet. quia justitia humana debet esse conformis divinæ justitiæ. minor probatur, quia dicitur in altiori facultate. scilicet in Theologia. *nolo mortem peccatoris: sed magis, ut convertatur & vivat.*

Secundò sic, illud non est licitum quod est secundum se malum. Sed occidere hominem est vitiosum & malum secundum se. igitur. major patet, quia illud quod est secundum se malum nullo modo potest esse bonum: minor patet. quia unusquisque debet appetere omnes amicos suos esse, & habere caritatem & dilectionem.

Tertiò sic, illud non est licitum per quod anima suæ exponitur damnationi. sed per hoc fit hujusmodi. ergo. major patet de se, quia unusquisque debet proximum suum diligere sicut seipsum. minor patet in hoc, quia quando Princeps facit mori vitiosum anima vitiosi damnationis exponitur periculo.

Quartò sic, nam quocunque vivente dato non est licitum ipsum occidere: ergo. consequentia est nota, & antecedens probatur quia quodcunque vivens detur, illud præservatur ordinatione. Modò quicunque illud interficit resistit ordinationi divinæ, & per consequens peccat. & ideo dicit Apostolus, *qui ordinationi damnationem sibi acquirit.*

In oppositum. Oppositum arguitur, nam Princeps debet ordinare politiam & civitatem ad optimum in quantum potest, sed hoc est optimum quòd mali in politia occidantur. major est Philosophi tertio hujus. minor patet: quia politia non bene regeretur, nisi mali seperarentur à bonis. In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito principali. In secundo movebitur una dubitatio, scil. utrum sit privatæ personæ occidere viros vitiosos.

Primum articulus. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd aliquis potest esse in politia malus dupliciter, uno modo, quòd vitium suum noceat soli communitati. *Primum notabile.* Alio modo quòd vitium suum noceat sibi soli, ut quando aliqui sunt mali in corde, & illi tegunt se, & ostendunt extra se esse bonos, sic quod alii bonum exemplum præbent, licet sint mali. Modò quæstio intelligitur de malefactore, cujus vitium nocet Reipublicæ, & toti communitati.

Secundum, de ordinatione partium ad totum. Secundò notandum est, per modum suppositionis quòd quælibet pars ad suum totum ordinatur, sicut imperfectum ad perfectum. Patet, quia quælibet pars totius quandoque toti servit. & ideo dicit Philosophus tertio de anima: manus est organum organorum: & ideo est licitum partem puttidam abscindere, ne totum corpus pereat.

Tertium. Tertiò supponitur, quod quælibet persona privata ordinatur ad totam communitatem, sicut pars ad totum. apparet, quia dicit Philosophus tertio hujus, quòd civitas est multitudo civium congregata per se ad sufficientiam.

Quartum. Quartò supponitur, quòd tota intentio principalitatis in principatu civili vel politico debet versari principaliter circa civitatem & utilitatem Reipublicæ, & communitatis, patet per Philosophum tertio hujus, capitulo tertio, ubi ponit differentiam inter despoticum principatum, & politicum, quia in principatu despotico principans intendit bonum proprium: & in principatu politico non, sed bonum commune.

Quintum. Quintò supponitur, quòd homo in peccando ab ordine rationis recedit, & plus ab humana salute, & dignitate, & in bestialem servitutem incidit. patet

suppositio

ſuppoſitio: quia aliquis non dicitur homo ſecundum partem ſenſualem, & ſenſualitatem, ſed ſecundum partem rationalem operantem ſecundum rationem.

Corollariè ſequitur, quòd ſicut licitum eſt occidere propter uſum hominis bruta animalia: ita licitum eſt propter utilitatem hominis homines beſtiales occidere, quia non ſunt niſi beſtiæ, loquendo moraliter. *Corollarium.*

Sit concluſio reſponſiva affirmativa. Licitum eſt principi occidere homines vitioſos, quorum vitium nocet toti communitati. Probatur: nam licitum eſt abſcindere omne illud quod nocet communitati, igitur. conſequentia eſt nota, & antecedens patet per quartam ſuppoſitionem: quia intentio principis debet eſſe circa utilitatem totius communitatis. Confirmatur, nam ſicut licitum eſt medico membrum putridum & aridum à corpore removere, ne totum corpus pereat; ſic etiam licitum eſt principi occidere, & abſcindere membrum putridum, ſcilicet homines vitioſos à corpore, ſcilicet à tota communitate. Et hæc de primo articulo.

Quantum ad ſecundum articulum Sit hoc dubium. *Secundus articulus.*

Utrum perſonæ privatæ ſit licitum occidere malos, de quibus eſt quæſtio præſens. Et arguitur quòd ſic, cuilibet perſonæ privatæ licitum eſt illud facere, quod eſt toti communitati utile. ſed ſic eſt in propoſito. major patet. minor probatur, quia abſcindere tales eſt multùm utile toti communitati. *Dubium. Arguitur.*

Oppoſitum arguitur: quia occidere malefactores in politia ſolùm licitum eſt illi, cui commiſſa eſt cura totius communitatis, & politiæ. ſed hoc eſt ſolum principi. igitur. major patet de ſe. minor patet, quia perſonæ privatæ nulla cura politiæ commiſſa eſt. *In oppoſitum.*

Pro quo ſciendum eſt, quòd non eſt licitum in politia malefactores occidere, niſi in quantum talis occiſio ordinatur ad bonum commune, & ad ejus utilitatem. Ex quo ſequitur corollariè, quòd non eſt licitum principi occidere malefactores propter odium privatum, vel conſimile, niſi ordinetur immediatè ad bonum commune. *Primum notabile.*

Secundò ſupponitur, quòd ſoli principi commiſſa eſt cura politiæ. patet ſuppoſitio, quia dicitur tertio hujus, quòd politia ſolùm debetur principi, ut ſic, & non aliis. *Secundum.*

Tertiò ſupponitur, quòd cuilibet perſonæ privatæ illud eſt licitum, quod reſpicit utilitatem reipublicæ ſine nocumento, & læſione perſonæ privatæ alterius. & ſi oppoſitum fuerit, non eſt licitum. patet ſuppoſitio, quia perſona privata non poteſt alicui licitè inferre nocumentum, quia una perſona privata non eſt alteri perſonæ privatæ ſubordinata. Item nullum bonum debet fieri, ut inde eveniat malum, nec è converſo. *Tertium.*

Ex his patet concluſio reſponſiva. Perſonæ privatæ, ut ſic non eſt licitum occidere malefactores, quantumcunque ſint mali. patet ex dictis Sed contrà ponatur caſus, quòd Sortes videt Platonem, qui Plato procurat malum toti communitati, ita quòd vult eam prodere vel comburere, & Sortes non poteſt principem invenire, tunc eſt licitum Sorti interficere Platonem. Dicitur probabiliter, quòd in illo caſu licitum eſt Sorti interficere Platonem, & in illo caſu hoc non facit tanquam perſona privata, ſed ut perſona communis, ſcilicet princeps; & illud dicitur probabiliter. igitur dicebatur notanter in concluſione [ut ſic. *Concluſio reſponſiva.*

Ad rationem dicitur, quòd hoc est verum, quando sit sine nocumento alterius personæ.

Ad rationes quæstionis.

Ad rationes quæstionis. Ad primam quando dicitur, *&c.* conceditur major, & negetur minor; unde alibi dicit Christus, justè judicate filii hominum. Et cum dicit Deus nolo mortem peccatoris, mortem in quantum æternam, sed bene vult mortem Sortis.

Ad secundam conceditur major. Et dicitur, quòd de per se est malum interficere hominem manentem in humana dignitate; sed occidere hominem descendentem ab humana dignitate in bestialitatem est bonum & per se respectu principis.

Ad tertiam negetur minor. quia talis potest mereri vitam æternam in brevi tempore.

Ad quartam negetur illa. Ad probationem dicitur, quòd omne vivens à divina ordinatione reservatur, non propter se, sed propter hominem loquendo de hominibus viventibus, ut bruta.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XI.

De Occisione Innocentis.

QUæritur undecimò. Utrum in aliquo casu licitum sit interficere innocentem, sive alium justum.

Arguitur.

Arguitur quòd sic. In aliquo casu licitum est interficere nocentem, seu malum. ergo, & innocentem. Consequentia patet, quia majus malum infertur vitioso si damnetur, quam justo & bono. quod patet, quia est in periculo perdendi animam suam, & corpus; & si justus interficiatur, statim vadit de hac vita ad gloriam Dei. Antecedens patet ex dictis.

Secundò sic, illud est justum quod procedit secundum justitiæ ordinationem, sed sic est quod quis secundum justitiæ ordinationem cogitur interficere innocentem. ergo est licitum. major patet. minor probatur, quia accidit quandoque quòd judex tenetur occidere innocentem, ut si probatum fuerit per testes, quibus est credendum, quòd est reus mortis: & tamen stare poterit quod erit innocens. Confirmatur; nam videmus per experientiam quod executor justitiæ, tenetur reum sibi præsentatum punire.

Tertiò sic, illud est licitum ad quod quis ex præcepto divino obligatur. Sed in tali casu potest esse hujusmodi. ergo. major est nota, & minor probatur. Nam Abraham obligatur ad filii sui interfectionem, & tamen erat justus.

In oppositum.

Oppositum est de intentione Alberti super isto tertio. Et patet ratione sic, quòd hoc est contra justitiam, quia est dare innocenti, quod non est sui, quod est contra leges.

Primus articulus.

In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Primum notabile.

Quantum ad primum notandum est, quòd homo dupliciter consideratur.

uno

uno modo ſecundum ſe, prout eſt creatura Dei, alio modo in comparatione ad aliquid, ut ſi non conſideretur ad utilitatem reipublicæ.

Secundò notandum eſt, quòd judex dupliciter conſideratur. Uno modo prout eſt perſona privata, alio modo prout eſt perſona publica, & communis, ſcilicet in quantum eſt judex. *Secundum notabile.*

Tertiò notandum eſt, quòd multa ſunt ſimpliciter licita judici, in quantũ eſt perſona publica, quæ non ſunt licita ipſi, in quantum perſona privata. patet, quia ferre ſententiam judici eſt licitum, & condemnare alium; ſed hoc non eſt ſibi licitum, in quantum eſt perſona privata. *Tertium notabile.*

Quartò notandum eſt, quòd interficiens innocentem quatuor mala incurrit. *Quartum notabile.*

Primò, quia privat communitatem magno bono, ſcilicet quòd tollit innocentem de communitate. *quatuor mala interficiens innocentem*

Secundò, quia talis facit injuriam illi quem debet diligere.

Tertiò, quia talis interficiens infert nocumentum illi qui non eſt dignus nocumento. *incurrit.*

Quartò, quia ibi eſt ſecundum rei veritatem contemptus Dei maximè, imo ſicut ſcribitur Lucæ ſecundo, *qui vos ſpernit, & me ſpernit.*

Quintò notandum eſt, quòd judex condemnando innocentem duobus modis poteſt ſe habere. Uno modo ſervando verum ordinem juſtitiæ, ſcilicet faciendo tantum quantum poteſt de inquiſitione veritatis. Alio modo, quia eſt circa hoc de facto negligens, & quia ſtatim credat, & non curat utrum teſtes ſint mali vel boni. *Quintum notabile.*

Quantum ad ſecundum articulum ſit prima concluſio; conſiderando hominem abſolutè ſecundum ſe in nullo caſu licitum eſt hominem interficere. Probatur, quia in nullo caſu licitum eſt effectum Dei ſecundum ſe conſideratum corrumpere, & deſtruere. igitur. conſequentia eſt nota ex terminis: quia in quantum ille homo conſideratur, in quantum eſt creatura Dei eſt ordinatio Dei quòd non moriatur, & quod reſiſtit ordinationi Dei animam ſuam damnat. *Secundus articulus.* *Prima concluſio.*

Secunda concluſio, pro aliquo caſu licitum eſt homini interficere hominem alium conſiderando ipſum in ordine ad aliud. Probatur, quia licitum eſt interficere hominem in caſu, quo vitium ſuum noceat toti communitati: ergo. conſequentia eſt nota, ſimiliter ex prima concluſione, quia licitum eſt membrum læſum & putridum, abſcindere à toto corpore, ne totum corpus pereat. *Secunda.*

Tertia concluſio. non eſt licitum principi in quantum eſt perſona privata interficere innocentem, quem ſcit eſſe juſtum. Patet concluſio ſatis per illa quatuor mala dicta in quarto notabili, quia in hoc illa quatuor mala incurrit. *Tertia.*

Sed tunc eſt dubium, utrum ſit licitum principi interficere juſtum, quem ſcit eſſe juſtum in caſu quo judex non ſciret ipſum eſſe reum, licet oppoſitum ſibi probaretur. *Dubium.*

De iſta dubitatione dicitur, quòd duplex eſt judex; ſubditus, ut præpoſitus vel balivus. Alius non eſt ſubditus, ut imperator vel rex. *Duplex eſt judex.*

Et tunc dicitur probabiliter quòd judex ſubditus antequam illum condemnaret, quem ſcit eſſe juſtum, debet renunciare officio judicis, ſi judex non ſcit veritatem, quamvis aliquæ leges dicant oppoſitum. Et de iſta dubitatione dicetur *Reſponſio ad dubium.*

cetur pòst, & dictum est in secundo libro in quarta quæstione, & ultima.

Quarta. Quarta conclusio. licitum est judici in quantum judex est interficere innocentem, in casu quo judex procedit secundam debitam ordinationem justitiæ, quia inquirendo veritatem in quantum potest, scil per allegationes & probationes de inquisitione veritatis. Probatur, quia in casu in quo judex sic procedit cum tanta diligentia non est causa judex illius judicii principalis. ergo. consequentia est nota. Et antecedens probatur, quia causa principalis illius mortis est falsitas testium. Confirmatur, quia nisi sic, sequeretur quòd illicitum esset judici reprehendere testes idoneos, saltem apparenter idoneos; consequens est falsum. consequentia satis patet.

Ad rationes. Ad rationes principales. Ad primam conceditur antecedens, si vitium ejus noceat communitati, & negetur consequentia. Ad probationem dicitur, quòd hoc non est ex parte judicis, quia judex non intendit interficere animam, sed corpus. & si sequatur damnatio animæ, hoc est de per accidens, quòd judex inferret quatuor mala utrique, & tamen inferret plura mala, quia judex in hoc quòd interficit innocentem facit malum toti communitati.

Secunda ratio est pro secunda conclusione.

Ad tertiam negetur minor. Ad probationem dicitur, quòd non est præsentis speculationis.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XII.

De Electione Principis.

Arguitur. QUæritur duodecimò. Utrùm licitum sit multitudinem principem eligere, & postea ipsum punire, si deliquerit.

Arguitur primò quòd non. ad electionem principis maximè requiritur prudentia: sed sic est quod multitudo populi frequenter deficit in prudentia. igitur. Major patet, quia opus quod eligens sit prudens. minor patet. Nam dicit sapiens, stultorum infinitus est numerus.

Secundò, illud non expedit in politia quod est maximum in politia; sed maximum in politia eligere principem. ergo. major patet de se, quia illud quod est commune nullius causæ curam sortitur. minor patet.

Tertiò, illud non est licitum in civitate, per quod viles personæ promoverentur ad dominandum, & principandum, sed per eligere principem, & punire eum si deliquerit, personæ viles & inutiles promoverentur. ergo. patet major, quia viles personæ postquam sunt promotæ multis nocent. ideo dicit Philosophus, quod magnorum domini constituti si viles fuerint, multis nocent; & lædunt, & læserunt jam civitatem Chaldæorum. minor patet, quia multitudo hominum continet in se malas personas.

Quartò sic, illud non est conveniens in politia, per quod moventur lites & jurgia. ergo &c. major patet, quia in oppositum politiæ est pax, & concordia, & ideo dicit Christus *omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.* minor patet, quia

quia in tali electione quilibet vult defendere & promovere suum amicum.

Oppositum est de intentione Philosophi tertio hujus, & ideo dicebat solùm quòd maximè est nocivum populo tribuere potestatem, scilicet quòd habeat eligere Principem, & corrigere ipsum si deliquit. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum articulum Notandum est primò, quòd ad hoc quòd aliquis sit verus Princeps, requiruntur tres conditiones. *Primus articulus.*

Prima quòd sit virtuosus moraliter. Secunda est, quòd sit prudens prudentia morali, sive civili. Tertia, quòd sit potens. Et declaratur, quia prius requiritur, quòd sit bonus in se; modò homo non dicitur bonus in se, nisi sit virtuosus. quod patet, quia illi deberur honor. Secundò requiritur prudentia, quia debet habere directivam regulam suorum actuum, & suorum subditorum. Debet etiam esse potens ad repugnandum malis, & corrigendum eos, & ad præmiandum bonos. Verum est tamen quòd Philosophus procemio Metaphysicæ ponit sex conditiones sapientis. quibus debet esse ornatus Princeps verus. *Primum notabile. Tria requiruntur ad principem.*

Primò requiritur quòd sit sapiens, unde primum opus est regere & non regi. Secundò difficilia cognoscere. Tertiò reddere causas suorum agibilium. Quartò habere gratiam, seu scientiam. Quinta aliis præesse. Sexta habere providentiam de futuris. In primo Elenchorum ponit Philosophus duo opera sapientis, scilicet non mentiri de quibus novit: & mentientem manifestare posse.

Secundò notandum est, quòd duplex est multitudo: quædam est bestialis, quæ est constituta ex hominibus vilibus. Alia est ordinata, & bene regulata quæ est constituta ex potentibus viris, virtuosis, & sapientibus. *Secundum notabile. Duplex multitudo.*

Tertiò notandum est, quòd duplex est multitudo bestialis; quædam est sensualis, quæ nullo modo participat de ratione. alia est bestialis, quæ est aliquo persuasibilis, & corrigibilis. & cum hoc participat ratione quoad superiora. *Tertium notabile.*

Quartò nota, quòd ad electionem Principis, & ejus correctionem si deliquat maximè requiruntur duæ conditiones. Prima est prudentia. Secunda est potentia, scilicet quòd sint homines ita prudentes quòd eligant bene; etiam quòd sint potentes, ut in casu quo noluerint facere secundum jus possent compellere ex officio. Et ideo dicit Philosophus, quòd non solùm eligendus est Princeps, qui vult esse, sed debet cogi ad principatum, si fuerit ad hoc aptus & virtuosus. *Quartum notabile.*

Quintò notandum est, quòd electus à bona multitudine & bene ordinata maximè apud illam est dilectus. Ista suppositio est Alberti in forma. Et causa est, quia dicitur nono Ethicorum, *omnes maximè diligunt suum opus*, modò talis electio si sit populi est electio, scilicet opus ipsius populi, ergo talis multitudo maximè diligit illud opus scilicet Principem. *Quintum notabile.*

Sextò notandum est, quòd principans in politia Duobus modis debet principari, uno modo secundum leges positas in politia, alio modo omittendo tales leges, & hoc dupliciter, quia vel tales leges ignorat vel contemnit, si tales ignorat non est bonus Princeps, quia Princeps debet maximè leges interpretari. si contemnit tunc debet puniri vel deponi ab officio principatus. Et hoc de primo articulo. *Sextum notabile. Secundum articulum.*

Quantum ad secundum articulum, sit prima conclusio. Non est licitum multitudinem *Prima conclusio.*

titudinem videlicet beſtialem eligere Principem, & pòſt punire, ſi deliquerit. probatur ex dictis, quia dictum eſt priùs quòd magnorum domini conſtituti ſi viles fuerint multis nocent, & lædunt, & læſerunt civitatem Chaldæorum.

Secunda concluſio. Secunda concluſio: expediens eſt multitudinem bene ordinatam eligere Principem. Et hoc in politia in qua Princeps maximè eſt eligendus ab illa multitudine in qua requiritur prudentia requiſita ad electionem Principis. ſed hoc eſt in politia bene ordinata. igitur. major eſt nota, & minor probatur per quid nominis multitudinis bene ordinatæ.

Item patet ex alio; quia in multitudine bene ordinata requiritur dilectio totius communitatis.

Item illis eſt expediens eligere Principem in quibus reperiuntur priora requiſita ad electionem. ſed hoc eſt in multitudine bene ordinata. ergo. major eſt nota, & minor ſimiliter; quia ſi Princeps deberet punire aliquem, & amici illius vellent reſiſtere, opus eſt quòd fiat remedium per reſiduum communitatis. Item in tali electione ſervatur pax & concordia; ergo eſt bene licita. conſequentia eſt nota. Et antecedens patet per prædicta, quia multitudo diligit ſuum opus proprium.

Tertia concluſio. Tertia concluſio: expediens eſt multitudinem bene ordinatam eligere Principem, & punire Principem ſi deliquerit, & non principetur ſecundum leges; ſive hoc ſit per ignorantiam, ſive per contemptum. probatur, quia ad multitudinem bene ordinatam expedit facere illud cujus oppoſitum eſſet deſtructio totius communitatis. ſed hoc eſt in non puniendo Principem ſi deliquit. ergo. major eſt nota. & minor patet, quia talis Princeps poteſt facere quòd talis principatus eſſet Tyrannicus. Et illud totum debet intelligi de Principe qui eligitur, & non de illo qui eſt per ſucceſſivam hæreditatem.

Notabile. Et nota quòd plus debet puniri talis Princeps ignorando leges, ſi deliquerit, quam ſi peccaret leges contemnendo. patet per prædicta. Et hæc de ſecundo articulo.

Ad rationes. Ad rationes quæſtionis. ad primam dicitur concedendo majorem loquendo de multitudine beſtiali. Et etiam conceditur quòd illa multitudo beſtialis non habet eligere Principem. ſed multitudo bene regulata & ordinata.

Ad ſecundam conceditur illa, quòd ſi multitudo ſit bene ordinata, tunc debet fieri quia multi oculi magis poſſunt videre quàm pauci. ergo convenientius eſt quòd multitudo bene ordinata eligat Principem.

Ad terciam negatur minor, quòd talis multitudo bene ordinata eligat Principem.

Ad quartam negetur minor, quia talis multitudo includit plures prudentes, & bonas perſonas.

Ad quintam negetur minor, quia ſi talis multitudo ſit bene ordinata, tunc ſervatur pax, & concordia, & commune bonum communitatis.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO XIII.

De ſpeciebus politiæ.

Quæritur decimotertiò. Utrum tantum ſex ſunt ſpecies politiarum, & non plures neque pauciores, ſcilicet Regnum, Ariſtocratia, Democratia, Tyrannis, Oligarchia, & Timocratia.

Arguitur primò quòd non, quoniam communicatio Oeconomica non dividitur in tot ſpecies. ergo non ſunt tot politiæ. conſequentia patet ex ſimili; Antecedens probatur quia Philoſophus nullam mentionem facit de illa. *Arguitur.*

Secundò ſic, Tyrannis non eſt politia. igitur, antecedens probatur, quia politia ſic deſcribitur. Politia eſt principantium ordo optimè ſe habentium ad rempublicam, modò non ſic eſt de Tyranide, quia ibi non eſt talis ordo.

Tertiò ſic, plures ſunt ſpecies politiarum quam ſex. antecedens patet per Platonem ponentem politias mixtas ex iſtis politiis. Unde ipſe ponit politiam mixtam ex Ariſtocratia, & Timocratia; & ſic de aliis.

Oppoſium eſt de intentione Philoſophi in iſto tertio, capitulo quinto, ubi ponit tantùm tres ſpecies politiæ, ſcilicet politias rectas, & alias tres, quæ ſunt tranſgreſſiones illarum trium politiarum. *In Oppoſitum.*

In quæſtione erunt duo articuli. In primo videbitur an communicatio Oeconomica cum ſingulis ſpeciebus poſſit diſtingui. In ſecundo reſpondebitur ad quæſitum. *Secundus articulus.*

Quantum ad primum articulum nota, quòd in iſto tertio libro, capitulo quinto, ſolùm tractat Philoſophus de politiis ſimplicibus, & non de compoſitis, ſicut Plato ponebat. *Primum notabile.*

Secundò notandum eſt, quòd omnis communicatio ſeu politia ad aliquem finem ordinatur. Patet ſuppoſitio primo Ethicorum, ubi dicit, *omnis actus humanus ordinatus eſt in finem.* *Secundum.*

Tertiò notandum eſt, quòd ad hoc quòd multitudo compoſita ex diverſis voluminibus, & variis attingat finem ad quem ultimate ordinatur, requiritur aliquid Principale ordinans ipſam multitudinem ad talem finem. patet ſuppoſitio per Albertum in ſuo commento. Et etiam ſatis probatur, quia non videtur quo modo diverſæ voluntates concordarent, niſi per ſuperius regens; & ideo concedit, quòd omnis Princeps debet eſſe multum prudens. *Tertium notabile.*

Quartò notandum eſt, quòd hujuſmodi dirigens varias voluntates in finem ultimatum eſt duplex; quoddam eſt ſupremum quod ad nullam legem reſtringitur, ut eſt Imperator. Aliud eſt ſubordinatum, & illud reſtringitur à ſuperiori. *Quartum. duplex eſt ultimatum.*

Quintò notandum eſt, quod diſtinctio politiarum poteſt ſic haberi. Nam in omni politia vel eſt unus Princeps, vel plures. Si unus ſolus, vel intendit bonum commune, & ſic eſt Regnum, vel intendit bonum proprium, & ſic vocatur Tyrannus. Si plures; vel tales ſunt divites, vel pauperes. Si divites, aut ſic dominando intendunt bonum commune, & ſic eſt Ariſtocratia, vel bonum privatum, & ſic eſt Oligarchia. Si pauperes, aut intendunt bonum commune, & ſic *Quintum.*

eſt

est Timocratia, vel privatum, & sic est Democratia.

Sextum notabile. Corollarium. Sextò notandum est, quòd politia simplex est ordo principantium & principatuum, quo ordine principantes optimè se habent secundum leges ad Rempublicam. Ex quo sequitur, quòd Tyrannis non est politia, patet ex una ratione ante oppositum facta.

Conclusio responsiva. Sit ergo conclusio responsiva ad quæsitum, sex sunt species politiarum, ad istum sensum quod sunt sex termini specificè distincti, in quibus ille terminus politia simplex dividitur. Ista conclusio satis probata est ex sufficientia. Et hæc de primo articulo.

Secundus articulus. Dubium. Responsio. Quantum ad secundum articulum est videndum, utrùm communicatio Oeconomica possit dividi per istas species, ita quòd possit esse Regnum, & sic de aliis. Respondetur quòd sic, sicut habetur nono & decimo Ethicorum diffusè. Nam si in communicatione Oeconomica principetur pater uxori & filiis, & intendunt bonum commune, sic est Regnum. Si ad bonum privatum, sic est Tyrannis, Si pater & uxor principentur, & filii, aut intendunt bonum commune, aut proprium. Si commune, sic est Timocratia. Si proprium, sic est Democratia. Si pater, uxor, & filii, fratres, & sorores principentur, aut intendunt bonum commune, & sic est Aristocratia; aut proprium, & sic est Oligarchia.

Secundum dubium. Arguitur. Secunda dubitatio. quis principatus est melior, & laudabilior, scilicet, an Regalis aut politicus; scilicet ubi unus solus principatur, vel ubi plures.

Et arguitur primò ubi plures, quia ille principatus est melior, ubi reperitur major prudentia. sed sic est in Principatu politico. igitur, Consequentia est nota, & major patet ex dictis, in præcedenti conclusione, minor patet, quia multitudo diversa includit magnam sapientiam.

In oppositum. Responsio. Oppositum arguitur, quia principatus Regalis principalissimo principatui assimilatur, scilicet Monarchiæ totius universi; & ideo dicit Philosophus, pluralitas principantium mala, unus ergo Princeps. Ad hoc dicitur, quod principatus Regalis est melior, & perfectior quàm principatus Politicus. Ista propositio est de intentione Philosophi secundo hujus, & patet per rationem post oppositum.

Ad rationes dubii. Ad rationes ante oppositum conceditur major, nisi per talem pluralitatem redderetur dissimilior talis politia principalissimo principatui. Sed ubi cætera sunt paria verum est, si esset in eadem specie principatus. Modò sic non est in proposito. Et hoc de secundo articulo.

Ad rationes. Ad rationes quæstionis, ad primam negatur antecedens, prout est satis dictum in primo articulo, & conceditur capiendo propriè politiam, & loquendo propriè de politia, sed est politia secundum quid, & vocata politia scilicet apud transgressores, licet secundum veritatem non sunt nisi tres politiæ, scilicet Regnum, Aristocratia, & Timocratia, ad secundam negetur antecedens. Et ad probationem dicitur, quòd nos loquimur hìc de simplicibus, & de compositis. ex istis non est hic ad propositum. rationes post oppositum sunt pro dictis.

QUÆST.

QUÆSTIO XIV.

De Casuali Occisione.

QUartadecima quæstio. Utrum homo interficiens alium casualiter, incurrat homicidii reatum sic, quòd talis dicatur homicida?

Arguitur quòd sic, nam sicut habetur Gen. quarto. Lamech credens interficere bestiam, hominem interfecit, scilicet Caym, & homicida reputatus est. & tamen talis interfecerat casualiter. igitur. major patet ibidem. & minor nota est, quia hoc fecit præter intentionem. *Arguitur.*

Secundò sic, nam sicut habetur Exodi xxi. *si quis percusserit mulierem prægnantem, & abortivum fecerit, & mors subsecuta fuerit, animam pro anima reddet.* & hoc est præter intentionem percutientis. igitur. major patet ex textu, & minor est nota.

Tertiò sic, nam sicut habetur Digestis primo ponuntur multi casus in quibus ponuntur homicidæ casuales.

Quartò sic interficiens hominem casualiter peccat, & non alio peccato quàm homicidii. igitur. major patet, quia talis facit alteri quod non vellet sibi fieri, & etiam facit nocumentum proximo. minor patet, quia non videtur quo peccato ipse peccaret.

Oppositum est de intentione quorundam expositorum tertio hujus. Et patet per Beatum Augustinum dicentem, quòd si aliquod bonum facimus, si ad illud bonum sequitur mors alterius, absit ut tale malum nobis imputetur. In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secunda conclusiones. *In oppositum.*

Quantum ad primum articulum, Notandum est, quòd sicut habetur ex dictis Philosophi secundo Ethicorum, nullum casuale ut sic ab agenti particulari saltem ipsum producente intenditur. patet, quia casus est effectus præter intentionem. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Ex quo sequitur, quòd nullum casuale ut sic est peccatum. patet, quia nullum casuale ut sic est intentum, nec voluntarium. modo peccatum est voluntarium, ut dicit Augustinus: quia si non esset voluntarium, non esset peccatum. Dicit etiam Philosophus, quòd homo non facit peccatum in illo, quod non potest vitare. Secundò sequitur quòd casualis interfectio hominis, ut sic & secundum se considerata non est peccatum. patet clarè. *Primum corollarium.*

Secundò notandum est, quòd aliquid potest dici voluntarium dupliciter, uno modo de per se, & directè quia voluntas immediatè, & directè ipsum dirigit. alio modo indirectè & de per accidens, scilicet consecutivè, vel antecedenter, vel interpretativè consecutivè: ut si quis actum committat, & postea habeat complacentiam in hoc, tunc illud est voluntarium consecutivè antecedenter, ut si quis voluntariè fieret ebrius, & in tali ebrietate faceret malum. Dicitur etiam interpretativè, ut si Sortes posset impedire peccatum alicujus per verbum, & non facit, ipsemet committit voluntariè illud. Ex quo patet quòd non sequitur, Sortes illum actum committit, & non est pro tunc actus imperatus. igitur *Secundum notabile.*

non peccat. patet, quia potest ille actus esse voluntarius apud ipsum actualiter, vel interpretativè. Secundò sequitur, quod si quis voluntariè fiat ebrius, & in tempore ebrietatis ipsemet committit actum turpem, talis est homicida & puniendus est, sicut voluntariè vitiosus. Patet, quia voluntariè facit licet non actualiter, ideo dicit Philosophus quòd ebrio debentur duplices passiones.

Tertium notabile.

Duobus modis quis interficit.

Tertiò notandum est, quòd aliquis potest interficere hominem casualiter duobus modis. Uno modo dando operam rei licitè, scil. quia facit opus licitum ad quod sequitur mors alterius. verbi gratiâ, si aliquis ecclesiam ruinosam ædificaret: & ad illius ruinam sequitur mors alterius. Alio modo dando operam rei illicitæ, verbi gratiâ, si aliquis projiceret lapidem in vico ubi contingit, quòd multi transeunt.

Quartum notabile.

Quartò notandum est, quòd interficiens hominem casualiter dando operam rei licitæ, sive illicitæ potest duobus modis se habere. Uno modo si adhibet totam diligentiam quam potest ne ad opus suum licitum, sive illicitum sequatur mors alterius. Alio modo quod non adhibet diligentiam bonam, sed in hoc est negligens, & non facit diligentiam suam.

Secundus articulus.

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio, interficiens hominem casualiter dando operam rei licitæ, & non adhibens diligentiam quam potest ne ad opus suum sequatur mors alterius incurrit homicidii reatum, & est verus homicida.

Prima conclusio.

Patet conclusio ex terminis. patet, quod peccat, quia dat operam rei illicitæ, & hoc voluntariè. Secundo non adhibet diligentiam quam potest, nec tantam quantam debet quantum ad opus suum. & talis interpretativè vult ipsum interficere. Patet, quia posset hoc impedire, si vellem per suam diligentiam.

Secunda.

Secunda conclusio. interficiens hominem casualiter dando operam rei licitæ non tamen adhibita diligentia ne ad opus ejus mors alterius sequatur, incurrit homicidii reatum. verbi gratiâ, projiciens regulas de ecclesia quam ædificat, non faciens signum quando projicit, & in tali projectione interficit aliquem, ille est verus homicida. Patet, quia interpretativè facit malum, & per consequens ipse peccat.

Tertia.

Tertia conclusio, interficiens hominem casualiter, dando operam rei licitæ, & adhibita diligentia debita ne ad opus suum sequatur mors alterius; non incurrit homicidii reatum. Nec est homicida reputandus. patet, quia talis interfectio est casualis, & non voluntaria directè nec indirectè. igitur. patet consequentia. Et antecedens patet. quod non directè notum est, nec indirectè, nec antecedenter, nec consecutivè, nec interpretativè, tamen postea displiceat sibi, si ipse sciat. & ista conclusionem voluit Augustinus, & expositor Alberti in ratione post oppositum. Sed aliquis peteret.

Dubium.

Si aliquis interficeret hominem casualiter dando operam rei illicitæ, & tamen adhiberet tantam diligentiam, quantam potest, ne mors alterius sequatur.

Utrum sit homicida.

Responsio.

Respondetur probabiliter, quòd talis in hoc quod dat operam rei illicitæ, ut supponitur peccat tunc, & est vitiosus, & per consequens malus. licet sit ignorans, quia ex hoc sequitur, quòd ignorat circumstantias, & sic ratio sua est impedita, & sic non potest adhibere tantam diligentiam, sicut debet, & sic non

est

est possibilis casus. Et etiam patet, quod ipse peccat, & sic antecedenter, & interpretativè vult.

Ad rationes. Ad primam de Lamech Gen. dicitur quod verum est, quia licet daret operam rei licitæ, non tamen bene considerabit, utrum esset homo, vel bestia, & sic non adhibuit tantam diligentiam quantam debuit. *Ad rationes*

Ad secundam de muliere prægnante: conceditur: & dicitur, quod in hoc casu ipse daret operam rei licitæ.

Ad tertiam conceditur quod dantur multi casus, ubi puniuntur tales, si non apponant diligentiam debitam: vel si dant operam rei illicitæ.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XV.

De Occisione pro sui defensione.

QUæritur decimoquintò. Utrum liceat alicui hominem interficere se defendendo?

Et arguitur quòd non, quia non licet alicui simplicem fornicationem, vel adulterium, vel quodcunque aliud peccatum pro conservatione vitæ suæ facere. ergo. Patet consequentia, quia homicidium est majus peccatum quàm simplex fornicatio, vel adulterium. Antecedens patet, quia quandocunque committitur peccatum inest mors animæ, modo vita spiritualis præferenda est vitæ corporali. *Arguitur.*

Secundò defensio est illicita. ergo videtur quòd non est licitum alicui occidere aliquem se defendendo: ergo. Patet consequentia, & antecedens patet, per Apostolum ad Romanos secundo dicentem. *non vos defendentes carissimi.* ubi innuit, quòd unus contra alium non debet se defendere.

Tertiò arguitur per illud quod habetur ab Augustino tertio libro de arbitrio, ubi dicitur: *quomodo per divinam potentiam liberi sunt à peccato, qui pro rebus super quas non oportet humanæ cædi pollutis sunt?* ac si diceret quod tales à peccato non sunt immunes, & per humanam cædem intelligit defensionem.

Quartò sic. illud non est homini licitum ad quod in instanti sequitur mors propria: sed in tali defensione sit hujusmodi. igitur: major patet, quia illicitum est seipsum interficere: & per consequens facere actum ad quem sequitur mors, vel interfectio. & minor est nota: quia sæpe tales interficiuntur, vel à judice, vel ab alio.

In oppositum.

Oppositum arguitur, nam pro conservatione propriæ domus licitum est interficere hominem. igitur: & pro conservatione vitæ propriæ per locum à minori. antecedens patet per illud Exod. xxii. *si fur domum fodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit percussor non erit reus sanguinis*, & est textus.

In Quæstione erunt duo articuli. in primo videbitur: utrum defensio sui ipsius sit defensio licita, in secundo videtur de quæsito principali. tertio propter

certiam & quartam rationem ante oppositum videbitur, utrum licitum sit seipsum interficere?

Primus articulus. Quantum ad primum articulum est primò notandum, quod defendens seipsum est duplex. Nam vel est persona privata, vel persona publica, ut miles volens defendere rempublicam.

Primum notabile. Secundò notandum est, quòd aliquis potest se defendere dupliciter. Uno modo intendendo principaliter conservationem vitæ propriæ. Secundò referendo defensionem sui ipsius, & sui bonum, ad bonum totius communitatis, sicut facit strenuus miles. Nam hoc facit propter bonum commune, scil. quòd pugnat contra inimicos.

Secundum notabile.

Prima conclusio. Tunc sit prima conclusio. defensio sui ipsius solùm livore vindictæ non est licita. Patet, quia finis ejus est illicitus, ergo & talis defensio. Patet consequentia, quia ordinata in finem habent bonitatem, vel malitiam ex fine. Et antecedens patet, quia faciens vindictam ex mala intentione procedit, scilicet ex ira & rancore.

Secunda. Secunda conclusio. defensio sui ipsius pro conservatione vitæ si non sit ex malitia, est licita. apparet, quia certum est, quòd si non se defenderet posset quod aliqua defensio esset debitè circumstantionata, quod esset causa suæ mortis.

Tertia. Tertia conclusio. defensio sui ipsius pro conservatione propriæ vitæ maximè referendo defensionem vitæ suæ propriæ ad bonum publicum, est multum laudabilior, quàm sit defensio sui ipsius pro conservatione vitæ suæ solùm. Probatur. quia talis defensio ordinatur ad finem nobiliorem, quàm defensio sui ipsius solùm. igitur. Patet consequentia, & antecedens patet: quia una defensio refertur ad bonum commune. Alia ad bonum privatum. Ex quibus patet, quod Apostolus ad Rom. 2. intellexit de defensione sui ipsius quæ sit livore vindictæ, & maximè si sit persona privata.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, Primò notandum est, quòd ex actu hominis se defendentis duplex est effectus, vel potest sequi frequenter, scil. conservatio vitæ propriæ, & mors sive occisio invadentis,

Primum notabile.

Secundum. Secundò notandum est, quòd interficiens hominem se defendendo potest si habere uno modo, quia defendens se utatur violentia majori repellendo violentiam invadentis, quàm oportet. alio modo quòd talis utatur violentia debita, & moderata, scil. quia potest defendere violentiam suam moderatè, & de ista defensione intelligitur auctoritas, *non vi repellere licet.*

Tertium. Tertiò notandum est, quòd interficiens hominem defendendo se potest dupliciter se habere: uno modo quòd intendat vitæ propriæ conservationem solùm; alio modo quòd intendat principaliter interfectionem invadentis, & quòd ipse in vita conservetur.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio, interficiens hominem se defendendo utens majori violentia, quàm oportet sine comparatione peccat, & illicitè facit. Patet, quia postquam utitur majori violentia, quàm oportet videtur quod intendit mortem alterius. & quod hoc facit ex malo motivo.

Secunda conclusio. Secunda conclusio, nulli est licitum defendendo se hominem interficere, in casu quo defendens se principaliter intendit occisionem invadentis, patuerunt ex dictis, imo talis est dicendus verus homicida, & simpliciter puniendus.

Tertia

Tertia conclusio responsiva, homini licitum est hominem interficere se defendendo, dummodo utatur moderata violentia, & dummodo principaliter intendat vitæ propriæ conservationem. Ista propositio satis patet per rationem factam ante oppositum. *Tertia conclusio.*

Ex istis patet, quòd vim & violentiam invadentis violentia moderata repellere licet. verum est quòd illa conclusio indiget moderamine. Nam ista conclusio intelligenda est de persona privata, & dummodo defensio sua sit solum propter utilitatem suam propriam, & hoc dicitur propter milites strenuos: quia si referretur ad bonum commune esset licitum.

Quantum ad tertium ponenda est conclusio responsiva. in nullo casu illud est licitum quod est contra legem & contra Deum: sed occidere seipsum est hujusmodi, igitur. Major patet, & minor probatur. quia mors & vita nostra dependent principaliter à Deo; & sic sequitur, quòd interficiens seipsum usurpat dominium proprium Deo de re aliena. *Tertius articulus. Conclusio responsiva.*

Sed si quis diceret, quòd similiter argueretur, quòd Judex non deberet hominem interficere. Respondetur quod non est simile, quia sic est ordinatum per veras leges.

Secundò, illud non est licitum quod est contra legem naturæ: sed sic est ibi, quia quodlibet ens diligit naturaliter permanentiam.

Tertiò, illud est illicitum per quod tollitur aliquid de bono communi, sed sic est in proposito: igitur. Major patet, & minor est nota, quia talis homo aufert seipsum, qui est quoddam bonum, & suppositum communitatis. Et de ista materia videbitur postea. Et si dicatur, quòd aliqui patres antiqui se interfecerunt. Dicitur, quòd hoc fecerunt ex dispensatione spirituali, & influentia divina, de quo non est ad propositum. *Ad rationes.*

Ad rationes. Ad primam dicitur negando consequentiam, quia defensio sui ipsius, & occisio invadentis immediatè ordinantur ad conservationem vitæ propriæ, & sic non est de illis peccatis.

Ad secundam dicitur. quòd verum est si fiat livore vindictæ & à persona privata. & hoc voluit Apost. ad Rom. 2. *non vos defendentes &c.* sit ratione vindictæ.

Ad tertiam, quando dicitur ab Augusti. in Lib. de libero arbitrio, &c. dicitur quòd illa propositio intelligitur juxta dicta, scilicet quòd non est licitum interficere hominem se defendendo propter vindictam à persona privata, & hoc principaliter, quando defendens intendit interfectionem alterius.

Ad quartam conceditur ista, si sequatur mors tanquam sequela. ut non est licitum, quòd cum gladio magnæ quantitatis percutiat caput invadentis pro parva injuria, ut dictum est satis.

Ratio post oppositum est pro dictis, & pro conclusione responsiva.

QUÆSTIO XVI.

De condemnatorum ad mortem fuga.

Quæritur decimosextò. Utrum licitum sit homini condemnato ad mortem contra Judicem se defendere quatenus à morte liberetur.

Arguitur. Arguitur quòd sic. Illud est licitum ad quod natura inclinat, sed ad talem defensionem natura inclinat: ergo. Major patet, quia supponitur, quòd natura non nisi ad bonum incliner. minor nota est: quia natura semper appetit manere.

Secundò sic, nam condemnatus ad mortem, si tempus & locum habeat potest recedere, ut dictum est. consequentia est nota. & antecedens probatur per illa quæ sunt aliàs dicta. Confirmatur ratio per auctoritatem quæ dicit, *si longi ab eo, qui potestatem habet te interficiendi.*

Tertiò sic, accusatus coram Judice licitè potest negare veritatem, ut non condemnetur. igitur. consequentia est nota: & antecedens probatur per Isid. dicentem, non tibi dico ut te perdas in publico.

In oppositum. Oppositum arguitur. nam illud non est licitum per quod quis acquirit sibi damnationem: sed per talem defensionem contra Judicem acquirit sibi damnationem. igitur. major patet per Apost. ad Rom. dicentem, *qui potestati divinæ ordinationi resistit damnationem acquirit.*

In quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones. In tertio, utrum accusatus coram Judice licitè posset negare veritatem propter quam damnaretur, si eam confiteretur.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, primò notandum, quòd aliquis dicitur condemnatus ad mortem duobus modis. uno modo justè, & secundum ordinationem juris. alio modo injustè.

Primum notabile.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd injustè condemnatus ad mortem dupliciter potest se defendere; uno modo sine scandalo, alio modo non nisi cum scandalo, & maxima turbatione civitatis.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd illa omnia licita sunt bona ad quæ quis inclinatur. patet, quia si homo procederet secundum inclinationem naturæ multa mala perpetraret. patet, quia dicit Apost. *Video in corpore meo legem contrariam legi naturæ.* Item natura humana propensa ad malum est: & ideo data est injusti modi ratio, & liberum arbitrium.

Quartum notabile. Quartum notandum est, quòd naturaliter loquendo eligibilius est subire mortem temporalem quàm aliquid turpe committere simpliciter. patet. quia sicut anima est prætiosior corpore, ita & dispositio & perfectio animæ est perfectior perfectione & dispositione corporis, & hoc per Philosophum. 7. Ethic. & 10. etiam.

Quintum notabile. Quintò notandum est, quòd homo justè condemnatus ad mortem, & in vinculo positus per suum Judicem, nullum dominium habet supra corpus suum: nec quoad usum: nec quoad proprietatem, si non sit injustè condemnatus. & ideo quando est condemnatus & detentus per Judicem suum, tunc potestas sui corporis

corporis est communitatis, & hoc de primo Articulo.

Quantum ad secundum articulum, sit prima propositio. licitum est homini injustè condemnato ad mortem se defendere, si possit, quatenus à morte liberetur; & hoc si potest fieri sine scandalo communitatis: patet, quia postquam talis est injustè condemnatus, potest uti corpore suo ad placitum suum. Item, nisi sic, sequitur, quòd condemnatio esset causa suæ mortis, & causa condemnationis animæ Judicis. Item quia scit se esse innocentem, ideo potest se defendere.

Secundum articulum.

Prima conclusio.

pro.

Secunda conclusio, probabiliter potest dici quòd illicitum est homini ad mortem injustè condemnato se condemnato se defendere contra Judicem si homo non posset fieri sine notabili scandalo communitatis. probatur, quia bonum commune semper est præferendum bono particulari, loquendo non solum de bono honesto, sed etiam de bono fortunæ, seu causali, sed talis sic faciens præfert bonum privatum bono communi.

Secunda conclusio pro.

Tertia conclusio, non est licitum homini justè ad mortem condemnato se defendere contra Judicem, quatenus à morte liberetur, & hoc dicendo quòd possit. probatur autoritate Apostoli post oppositum.

Tertia conclusio pro.

Secundò, talis vellet justitiam non fieri. Tertiò frangeret ordinationem justitiæ, & præferret bonum privatum non honestum bono communi & honesto, quia bonum commune & honestum est, quòd malefici moriantur. Item melius est omnia mala pati, quàm aliquod turpe committere, ubi non esset alia vita post istam vitam; quod contra fidem nostram.

Quantum ad tertium articulum. Arguitur sic, quia aliquis potest committere mendacium officiosum propter conservationem vitæ alterius. igitur, magis potest propter conservationem vitæ propriæ. consequentia est nota. Et antecedens probatur per casum communem. quia si aliqui quærerent aliquem quem vellent interficere, illi qui viderunt licitè possunt dicere, quòd non viderunt.

Tertium articulum.

Arguitur.

Secundò sic, illud non est licitum quòd non est contra Dei dilectionem, & contra dilectionem proximi sui: igitur. Patet consequentia, quia omnis lex Dei & prophetiæ pendent in illis duobus mandatis.

Oppositum arguitur. Nam mendacium est per se malum igitur. & nullo modo debet committi, igitur, consequentia est nota. Et antecedens est Philosophi quarto Ethicorum, de ista materia sunt difficultates, ut postea magis dicetur.

In oppositum.

Sed tamen ad præsens sciendum est primò, quòd Judex apud suum accusatum in sua præsentia potest dupliciter se habere. Uno modo debet secundum quod jura dicunt inquirendo veritatem. Alio modo non tenendo rectum ordinem juris.

Primum notabile.

Notandum est secundò, quòd in quolibet mendacio tria mala committuntur: scilicet perversitas, inhumanitatis, & iniquitas. perversitas, est quando aliqua ordinabitur ad aliquem finem alium quàm ad illum ad quem debent ordinari, & sic est in mendacio. quia datæ sunt nobis voces ut possimus exprimere illa quæ in mente habemus, contra quod est mendacium. perversitas est quando per vocem non exprimimus illud quod habemus in mente.

Secundum notabile.

In mendacio tria sunt.

Secundò committitur inhumanitas. quia inhumanum est, quòd homo decipiat proximum suum, & animam proximi sui, quia facit ipsam assentire falso.

Tertiò committitur iniquitas, quia vox debet consonari menti, & quando dissonat

dissonat est iniquitas. Ex isto sequitur probabiliter, quòd in nullo casu est mentiendum.

Conclusio responsiva. Ex quibus sit conclusio responsiva, in casu in quo Judex se habet ad accusatum secundum rectum ordinem juris, accusatus non potest licitè negare veritatem, propter quam condemnabitur eam confitendo. patet, quia si Judex se habet secundum rectum ordinem juris, & præsentetur sibi, ille accusatus est subditus Judici tali, ergo, si Judex rectè procedit tenetur sibi obedire in casibus licitis & honestis. Item quia si non, sequeretur quòd talis nollet justitiam fieri. Item si accusatus fuerit nocens, & quòd possit convinci ipse condemnatur.

Ad rationes dubii. Ad rationes dubii. Ad primam dicitur, quòd nullus se debet prodere in publico: sed si fuerit accusatus justè & publicè coram ipso Judice, tenetur dicere veritatem.

Ad secundam dicitur concedendo antecedens juxta dicta, & dicitur quòd non seipsum talis accusatus prodit, nec alium.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes quæstionis. Ad primam negatur illa universaliter, nisi natura ad illud inclinet secundum rectum Judicium rationis.

Ad secundam negatur antecedens. Et quando dicitur *sta longè ab illo.* &c. i.e. sta longe ab illo qui potest te injustè occidere.

Ad tertiam patet solutio ex tertio articulo quid sit dicendum.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XVII.

De testimonio falso.

QUæritur decimoseptimò. Utrum perhibere falsum testimonium in quocunque casu sit vitiosum?

Arguitur. Arguitur quòd non. quia in casu quo quis ex ignorantia invincibili vocetur in testimonium in præsentia sui superioris, & requirat abeo testimonium secundum rectum ordinem juris. in loco illo si talis faciat diligentiam suam ad dicendum veritatem quantum potest, & dicat falsum testimonium, non peccat: ergo &c.

Secundò sic, illud non est vitiosum quod nulli nocet, & alicui prodest: sed perhibere falsum testimonium est hujusmodi. igitur. major patet de se. & minor patet, in casu quo quis perhiberet falsum testimonium quando prodest alicui, & nulli nocet.

Tertiò sic, si in quocunque casu perhibere falsum testimonium esset illicitum, sequeretur quòd non esset conveniens dicere testi quòd non se perjuret. consequens est falsum, & patet consequentia, quia postquam vitiosè ageret sic quòd perhiberet falsum testimonium sine perjurio.

Quartò sic, perhibere falsum testimonium ad liberandum patrem vel proximum suum est licitum: quia non est vitiosum: ergo licitum, consequentia patet de se. Antecedens probatur. Nam illud est licitum cujus oppositum est contra caritatem, vel veritatem: sed non perhibere falsum testimonium ad liberandum

patrem,

patrem, matrem, vel proximum est contra charitatem: ergo est licitum. major patet de se: minor probatur: quia hoc est contra discommoditatem patris ad quam obligamur.

Oppositum est de intentione Alberti in suo lib. super istum tertium, ubi dicit, quod *non est licitum falsum testimonium perhibere.* Item habetur Prov. 2. *falsus testis non erit impunitus.* In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo videbitur, utrum in aliquo casu liceat aliquis potest revelare illud quod est sibi dictum in secreto. *In oppositum.*

Quantum ad primum articulum. Notandum est primò, quod in falso testimonio committuntur tres notabiles difformitates. Prima est perjurium. Secunda est corruptio justitiæ. Tertia est mendacium. Primò reperitur perjurium, quia si quis vocetur ad testificandum, ipse juramento astringitur dicere veritatem. Secundò, ibi est violentia justitiæ, quia justitia est reddere unicuique quod suum est. Tertiò, ibi committitur mendacium, quia in falso testimonio aliter est in voce, quàm in mente. Unde dictum est aliàs in quæstione præcedenti, quod in mendacio sunt tria mala. scil. pervicitas, inhumanitas, & iniquitas; quia non est æquitas vocis ad mentem. *Primum articulus. Primum notabile. In falso testimonio sunt tria.*

Secundò notandum est, quòd aliquis potest dicere dupliciter falsum testimonium. uno modo cum intentione fallendi fraudulenter. secundo modo contingit fieri cum ignorantia invincibili exhibendo tantam diligentiam ad sciendum veritatem, quantam sibi possibile est. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd secundũ aliquos, asserens aliquod dubiũ tanquã certum incurrit mendaciũ, & falsum testimonium. dato quòd faciat diligentiam sicut potest, tamen mentitur. Patet, quia cum sit dubium exponit se periculo. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd in nullo casu mala sunt facienda, ut inde bona eveniant. Apparet, quia non est possibile, quòd malum sit in bonum ordinatum. ergo si finis est malus, medium non potest esse bonum. Corollariè sequitur quod cùm falsum testimonium sit vitiosum, propter nullum bonum naturale vel fortunæ est committendum falsum testimonium. *Quartum.*

Tertiò sequitur, quòd stante primo corollario non est licitum pro liberatione patris, vel matris, vel proximi sui falsum testimonium perhibere. Patet ex primo corollario.

Tunc sit prima conclusio responsiva. perhibere testimonium falsum, ubi est ignorantia invincibilis, & ubi requiritur à suo superiori, cui debet obedire secundum jura, non est vitiosum, seu illicitum. Probatur conclusio, quia sic sequeretur quòd aliquis vitiosè ageret faciendo illud quod non potest vitare. Consequens est falsum, & probatur consequentia: quia supponitur, quod iste tenetur obedire suo superiori, & quòd faciat omnem suam diligentiam pro dicendo veritatem, quia non dicit falsum testimonium cum intentione fallendi. Corollariè sequitur, quòd probabile esset concedere, quòd falsum perhibere testimonium est licitum, & non vitiosum. *Prima conclusio. Responsiva.*

Secunda conclusio. in tali casu perhibere falsum testimonium non est licitum, immo simpliciter est illicitum; & hoc si perhibeas falsum testimonium cum intentione fallendi, & scias hoc esse falsum. Probatur, quia in nullo casu illud est licitum, in quo tres maximæ difformitates committuntur: sed hoc est in falso testimonio, igitur. major patet de se. Et minor probatur primò, nam *Secunda conclusio.*

talis se perjurat. secundò violat justitiam, tertiò committit mendacium; in quo etiam sunt tria mala committenda. Et hæc de primo articulo.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, Primò supponendum est pro evidentia dubii, quòd aliquis potest recipere aliquid in secreto dupliciter. Uno modo

Primum notabile. quod recipiat illud signo confessionis, seu confessoris; & tanquam confessor in foro pœnitentiali. Alio modo quod recipiat illud solùm in secreto, & sine juramento.

Secundum. Secundò notandum est, quod confessor scit per confessionem scit in quantum confessor: sed hoc non in quantum homo, sed in quantum minister Dei, cui in hoc & in aliis debet obedire. Ideo dicit Auguſt. *quod per confeſſionem ſcio minus ſcio quàm quod neſcio.*

Tertium. Tertiò notandum est, quòd illud quod est alicui revelatum potest dupliciter habere. Uno modo quod esset nocivum communitati, si non revelaret. Alio modo, quod non esset nocivum ei.

Prima conclusio. Tunc sunt tres conclusiones. Prima. In nullo casu potest homo revelare illud quod est dictum sibi in secreto, & sub sigillo confessionis. Probatur, quia in nullo casu homo potest revelare illud quod non est sibi notum: sed hujusmodi est in tali casu: ergo sequitur propositum. Confirmatur, quia obligatio per quam homo obligatur à Deo major est quam obligatio facta ab homine: sed obligatione divina obligatur quis ad non dicendum illa quæ sibi tali modo dicta sunt: igitur non est licitum. Major patet de se. minor probatur, quia unusquisque tenetur in secreto non revelare illud quod est dictum sub sigillo confessionis.

Secunda. Secunda conclusio. homo potest licitè revelare illud quod est sibi commissum secretè sine sigillo confessionis, & sine juramento, & hoc si illud cadat in præjudicium communitatis, & totius Christianitatis. Probatur, quia nisi sic, sequeretur quod aliquis posset licitè esse consentiens alicui corruptioni, & malo totius communitatis. Consequens est falsum. Et patet consequentia, quia si non juravit, nec scit sub sigillo confessionis. dicet quod erit consentiens tali malo.

Tertia. Tertia conclusio. homo non potest revelare illud quod est sibi in secreto commissum, & hoc si non sit in præjudicium reip. vel totius communitatis aut Christianitatis, vel si non possit revelare sine infamia illius qui sibi dicit. Probatur, quia nullus potest licitè revelare illud quod est ad defamationem sui proximi: sed sic esset hic: igitur.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes prima est pro prima conclusione.

Ad secundam dicitur, quod mendacium, nec officiosum, nec jocosum est licitum.

Ad tertium negatur consequentia. Nam plus est falsum testimonium quam simplex perjurium.

Ad quartam negatur antecedens, & dicitur quod in secundo casu debet committere falsum testimonium.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO

QUÆSTIO XVIII.

De Ingenuitate.

Quæritur decimò octavò. Utrum ingenuitas sit virtus?

Et arguitur quòd sic. Nam ingenuitas est bonum honorabile: igitur. *Arguitur.*
Patet consequentia, quia nullum est bonum honorabile, nisi virtus, vel opus ipsius: igitur. Antecedens est Philosophi dicentis, quòd *ingenuitas apud quemcunque honorabilis est.*

Secundò sic. Ingenuitas est virtus. igitur. Patet consequentia ex terminis & antecedens est Philosophi tertio hujus, ubi expressè ponit quod *ingenuitas est virtus generis.*

Tertiò sic; nisi sic, sequeretur quod distribuens principatus in civitate non deberet respicere ad ingenuitatem. Consequens est falsum, & patet consequentia: quia dicitur in isto tertio, quod principatus sunt distribuendi secundum bonorum animæ excessum, & illa bona sunt virtutes.

Quartò sic; ille habitus est virtus qui habentem perficit, & opus ejus bonum reddit: ingenuitas est hujusmodi, igitur. Major patet per definitionem virtutis secundo Ethicorum. Et minor probatur. Nam ad hoc quod aliquis sit ingenuus requiritur, quod opera sint bona, & virtuosa. Modò hoc non esset, nisi quia ingenuitas habentem perficit, & opus ejus bonum reddit.

In oppositum arguitur, quia nulla virtus moralis inest à natura: sed ingenuitas inest à natura. igitur. Patet consequentia, & major per Philosophum secundo Ethicorum: quia virtus moralis dicitur à more. Item Albertus dicit, quod *tunc propter virtutem nemo laudaretur.* Et minor patet, quia aliquis est ingenuus à natura, & aliquis servus, ut dictum fuit in primo hujus. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum articulum. Supponendum est primò, quod in proposito non ponitur differentia inter ingenuitatem, nobilitatem, & generositatem: sed propriè loquendo est bene differentia. *Primus articulus.*

Secundò notandum est, quod propriè loquendo & utendo terminis, differentia est inter ingenuitatem & liberalitatem. Unde ingenuitas est naturalis inclinatio, qua aliquis secundum quandam parentum antiquitatem ad bona & virtuosa opera inclinatur; scil. quia sui parentes, abavi, proavi, & avi, fuerunt boni. Sed liberalitas est inclinatio, qua aliquis ad bona opera & virtuosa inclinatur, sive à natura, sive aliunde. *Primum notabile. Secundum notabile. Differunt ingenuitas, & liberalitas.*

Corollarium, quod licet omnis ingenuitas sit liberalitas, non tamen è converso. Secundò sequitur, quòd ingenuitas, seu generositas solum consistit in bonis interioribus. scil. in bonis animæ, ut patet ex dictis. *Corollaria.*

Tertiò notandum est, quod ingenuitatem esse virtutem potest dupliciter intelligi. Uno modo secundum perfectum actum & completum statum. Alio modo quod sit secundum imperfectum, & incompletum: sed quòd solum sit inclinatio ad opera virtuosa, ex quibus acquiritur virtus moralis. *Tertium.*

Quartum notabile. Quartò ſupponitur, quod nulla virtus moralis completivè ineſt nobis à natura, licet bene initiativè. prima pars patet; quia ſi ſic, propter virtutem moralem non laudaremur.

Similiter non eſſet in poteſtate noſtra acquirere virtutem moralem: quia natura exiſtentium nullum aliter aſſueſcit. Item virtus moralis acquiritur ex more. ſecunda pars patet, quia aliquando aliqui ſunt bene nati, & aliquando male.

Quintum notabile. Quintò ſupponitur, quod licet non oportet neceſſariò ex bonis parentibus procreari bonos filios, tamen ut in pluribus ex bonis parentibus inclinativè virtuoſis, & initiativè procreantur boni filii. Prima pars patet, quia niſi ſic, virtus ineſſet nobis à natura. Item aliqui ſunt degeneres. Secunda pars patet, quia boni parentes ſolent filios inſtruere in moribus. Secundò, quia ſi parentes ſunt boni, ſignum eſt quod ſunt ex bona complexione: quia animæ inſequuntur corpora; & ideo promptiùs ſunt ad bonum faciendum inclinati.

Secundus articulus. Quantum ad ſecundum articulum ſit prima concluſio. ſumendo virtutem pro aliquo eſſe completo, ingenuitas non eſt virtus; quia ingenuitas eſt inclinatio naturalis, qua quis inclinatur ad virtutem moralem: ergo non eſt virtus in eſſe incompleto virtutis. Patet, quia ſicut diſpoſitio non eſt habitus: ita nec hic. antecedens patet, per quod nominis ingenuitatis.

Prima concluſio. Confirmatur; nam ſi ſic, ſequeretur quod virtus moralis completivè nobis ineſſet à natura. Conſequens eſt falſum. & patet conſequentia, quia aliquis ex bonis operibus ſit bonus, & virtuoſus.

Secunda. Secunda concluſio, ſumendo virtutem moralem pro inclinatione quadam naturali, ſecundum quandam parentum antiquitatem ingenuitas eſt virtus generis. Item dicit Philoſophus, quod ingenuitas apud quoſcunque eſt laudabilis.

Dubium. Sed dubitatur, utrum aliquis propter nobilitatem ſui generis ſit honorandus, & in honoribus exaltandus.

Arguitur. Et arguitur quod non: quia ſtat aliquem eſſe nobilem, loquendo de nobilitate generis ſecundum vulgares; & quod cum hoc ſit vitioſus. igitur. Conſequentia patet, quia ſolus bonus eſt honorandus. Et antecedens eſt notum.

In oppoſitum. In oppoſitum arguitur, quia videmus principem propter ſui generis nobilitatem honorari, & exaltari in politia bene recta. igitur. Conſequentia eſt nota. Antecedens etiam patet per experientiam.

Primum notabile. Pro intellectu hujus ſciendum eſt, quod aliqui procedentes nimis ſecundum ſenſualitatem dixerunt nobilitatem conſiſtere in bonis corporis, & fortunæ, & ſecundum Alber. tales ſunt reprehendendi, & hoc eſt quia vulgares blanditioſè loquuntur, quia volunt alios pervertere.

Secundum. Secundò ſic. Notandum eſt quod proceſſio ex vocatis nobilibus & generoſis eſt ſignum nobilitatis, ſaltem inclinativè, vel etiam ingenuitatis: quia ſignum eſt quod tales ſunt vocati nobiles, quia faciunt ſuos pueros bene facere, & informant etiam, ut valeant honorari; & quod pueri non faciunt ſcandala, ex quibus proſapia poſſit deturpari. Unde tales nobiles vocat Ariſt. in libro de bona fortuna bene fortunatos.

Prima concluſio. Iſtis prædictis ſit prima concluſio. Loquendo ſimpliciter quis ex nobilitate vocata in genere non eſt honorandus, nec in honoribus exaltandus ſuper alios.

Probatur

Probatur concluſio, per rationem ante oppoſitum: quia ſtat quod talis ſit vitioſus, & principatus ſunt diſtribuendi ſecundum bonorum animæ exceſſus.

Secunda concluſio. Loquendo ſimpliciter quis propter nobilitatem generis eſt ſuper alios honorandus, & ſuper alios exaltandus. Patet, quia talis excedit alios in bonis animæ ſimpliciter dictis. *Secunda.*

Ad rationes ante oppoſitum. Ad primam conceditur antecedens initiativè, ſcil. quod eſt diſpoſitio, vel inclinatio ad bonum honeſtum. *Ad rationes.*

Ad ſecundam conceditur major ad hunc ſenſum, quod ingenuitas eſt inclinatio ad opera bona.

Ad tertiam negatur conſequentia: quia licet virtus moralis in eſſe complero non ſit ingenuitas, tamen bene initiativè.

Ad quartam conceditur major, & negatur minor, quia ingenuitas perfectè non perficit habentem ſimpliciter, ſed bene initiativè.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO XIX.

De Diſtributione Principatuum.

QUæritur decimononò. Utrùm principatus in politia debeat diſtribui ſecundum dignitatem divitiarum, ſic quòd divites debeant citiùs promoveri, quàm pauperes.

Arguitur primò quod ſic. In diſtribuendo principatus oportet reſpicere ad illud, per quod in civitate multa expediuntur. ſed ſic eſt quod diſtribuendo divitibus multa expediuntur. igitur. major patet de ſe. minor eſt Philoſophi primo Ethicorum dicentis quod per divitias & amicos multa expediuntur. *Arguitur.*

Secundò ſic. in diſtributione principatuum oportet reſpicere ad illud, per quod omnia habentur. ſed hoc eſt per divitias. igitur. Patet major, quia illud eſt maximè neceſſarium. Minor patet per Philoſophum primo Rhetoricæ dicentem: *divitiæ videntur eſſe optimum quid omnium.* Item dicit Philoſophus quinto Ethicorum, quod *numiſma eſt fideiſſor omnium.*

Tertiò, in diſtributione principatuum oportet reſpicere ad illud per quod ipſa politia defenditur, & dirigitur in ſuum bonum. ſed hoc eſt per divitias. Patet major. quia ad defenſionem civitatis requiritur defenſio contra hoſtes. Minor patet. nam dicit Philoſophus, quod quando civitas conſtituta eſt ex egenis, de facili transfertur ad alienos.

In oppoſitum arguitur per Philoſophum in iſto tertio, ubi dicit quod diſtribuendo principatus in politia, non oportet reſpicere ad divitias, hoc quod ſolùm divites debeant principatum habere. & confirmatur. Nam principatus non ſunt diſtribuendi ſecundum dignitatem illius, per quod homines inclinantur ad contumeliam, ſuperbiam, & injurias. ſed hoc eſt per divitias. igitur. Major & minor patent per Philoſophum ſecundo Rhetoricæ dicentem, *divites propter ſuas divitias ſunt elati, ſuperbi, credentes ſuas divitias omnia poſſidere.* *In oppoſitum.*

In quæſtione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In ſecundo concluſiones.

Primum articulum.

Quantum ad primum articulum notandum eſt primo, quod duplices ſunt divitiæ. Quædam ſunt naturales, & ſunt quæ immediatè ordinantur ad vitæ humanæ ſuſtentationem, ut vinum, blada, &c. Aliæ ſunt artificiales, ut ſunt pecuniæ.

Primum notabile.

Duplices ſunt divitiæ.

Secundum notabile.

Secundò notandum eſt, quòd divitiæ non ſunt bonæ, niſi in quantum ordinantur ad aliquid melius, & præſtantius. Probatur, quia tales divitiæ non ſunt bonæ, niſi inquantum ordinantur ad aliquid propter ſe acquirendum, igitur. Conſequentia eſt nota. & antecedens ſimiliter, quia tales divitiæ ordinantur in aliud. unde Cato: *Dilige denarium, ſed parcè dilige formam.* Ex quo ſequitur corollariò, quòd divitiæ non bonæ ſimpliciter, nec ſunt bonum honeſtum, ſed ſunt bonum utile.

Tertium.

Tertiò notandum eſt, quòd divitiæ non naturales non ſunt de per ſe bonæ. apparet, quia talibus divitiis contingit malè uti: igitur. Patet conſequentia, quia nunquam contingit malè uti illo quod eſt per ſe bonum. Antecedens patet, quia propter divitias multi perierunt.

Quartum.

Duplex eſt politia.

Quartò notandum eſt, quòd duplex eſt politia, quædam eſt qua princeps aliquam utilitatem recipit temporalem à communibus divitiis politiæ. Alia eſt in qua princeps politiæ nullum bonum recipit à communibus bonis politiæ. Et ergo titulus quæſtionis intelligi poteſt dupliciter. uno modo de politia prima, alio modo de politia ſecunda.

Quintum.

Quintò notandum eſt, quòd politia eſt ordinata ad bene vivere, ſecundum unanimiter. Eſt ergo tota intentio principis, vel eſſe debet, ut dirigat cives ad bene vivere politicè.

Secundus articulus.

Prima concluſio.

Quantum ad ſecundum articulum eſt prima concluſio. Principatus in politia non ſunt diſtribuendi de per ſe ſecundum dignitatem divitiarum. ita, ſcilicet quòd ſemper dnior debeat principari ſemper. probatur. Nam principatus ſunt diſtribuendi ſecundum dignitatem illius, per quod politia ordinatur ſuum in finem debitum: ſed hoc eſt ſecundum virtutes, & non ſecundum divitias: igitur. Major patet & minor eſt Philoſophi dicentis, quòd diſtribuendi ſunt principatus ſecundùm vitiorum moralium exceſſum.

Secundò probatur. Nam principatus diſtribuendi non ſunt ſecundum dignitatem illius per quod principatus reddentur vituperabiles, & per quod homines reddentur avari: ſed hoc eſt per divitias. igitur. Major patet. Et minor probatur. Nam ſi principatus diſtribuantur ſecundum exceſſus divitiarum, unuſquiſque tunc laborabit ad bonum proprium, & ad divitias, ut poſſit ad honorem principatuum promoveri.

Secunda.

Secundo concluſio. Principatus in politia ſunt diſtribuendi, ſaltem per accidens, ſecundum exceſſum divitiarum. Nam eſt dare aliquam politiam in qua princeps non ordinaret ſuum principatum in ſuum finem, nec etiam cives, niſi ipſemet haberet divitias. igitur. Patet conſequentia. Et antecedens probatur de politia, in qua princeps nullum retinet emolumentum de bonis communibus politiæ. Et ſic oporteret ipſum vacare proprio commodo.

Dubium.

Sed dubitatur. Ponatur quòd tunc in civitate ſunt duo virtuoſi, & unus ſit pauper, & alius dives. Quæritur quis eorum debet eligi in principem, & poni-

re, quòd sit politia in qua princeps retinet emolumentum aliquod de bonis communibus.

Pro illo dubio supponendum est, ex nono & decimo Ethicorum, quòd beneficiatus naturaliter diligit suum benefactorem, quia beneficiatus à benefactore recipit suum esse aliqualiter, & ad tale esse naturaliter inclinatur. *Primum notabile.*

Secundò supponitur, quòd quantitas beneficii non mensuratur secundum qualitatem doni, vel dati, immò potius secundum indigentiam egentis. Unde si unus daret uni pauperi duos francos, & alteri decem, non esset æquale beneficium. *Secundum.*

Ex quo sequitur corollariè, quòd quantitas beneficii attenditur penes duo, scil. penes materiam, & in ordine recipientis; & penes formam, id est intentionem donis. Ideo dicit Cato: *Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus, suspice placitè plenè laudare memento.*

Tertiò supponitur, quòd quanto princeps plus diligit bonum rationè, tanto diligentius vacat ad conservationem illius boni. *Tertium.*

Illis notatis sit conclusio responsiva. In principio dubitationis stante casu pauper debet citiùs promoveri ad principatum quàm dives. *Prima conclusio. Responsiva.*

Probatur: Nam ille debet citiùs promoveri ad dignitatem principatus, qui diligentiùs & meliùs vacat ad conservationem reipublicæ: sed sic est de paupere: ergo debet eligi in principatum, & promoveri. Major patet, & minor probatur, quia ex quo talis princeps recipit emolumentum à bono communi, tunc est beneficiatus ab illo. igitur plus naturaliter diligit. & quanto plus diligit, tanto diligentiùs vacat ad conservationem illius. & illud est magis beneficium pauperi, quàm diviti, quia plus indiget pauper, quàm dives.

Ad rationes dicitur.

Ad primam concedunt illa, saltem de per accidens, & sic ratio ista bene arguit pro secunda conclusione. *Ad rationes.*

Ad tertiam eodem modo dicitur.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XX.

De Qualitate Civium:

QUæritur vicesimò. Utrum homo excedens alios in aliquo bono in civitate incivilis sit dicendus, & non civis?

Et arguitur primò quod non. Nam si sic, sequeretur quòd de bono seu aliquod incommodum reportaret. Consequens est falsum. Probatur consequentia: quia talis propter suam bonitatem privaretur dignitate. *Arguitur.*

Secundò sic, si talis propter abundantiam bonorum suorum esset non civis, sequeretur quòd alius propter defectum in talibus bonis esset dicendus civis. Consequens est falsum. Patet consequentia per unam regulam Topicam. *Si oppositum in opposito, & propositum in proposito.*

Tertiò sic. Non est dicendus non civis, qui maximè tendit ad conservationem

nem boni communis: sed abundans in bonis est hujusmodi: ergo. Major apparet de se. Nam talis sic excedens alios in bono, & maximè in bono virtutis est exemplum, & regula omnium aliorum, & per consequens est admittendus in politia.

Quarto sequeretur, quòd si in civitate esset homo virtuosissimus, & heroicus, deberet expelli à civitate. Consequens est falsum. Et probatur consequentia, quia talis heroicus est virtuosissimus omnes alios excedens in aliquo bono: igitur talis non debet esse politicus homo.

In oppositum. Oppositum arguitur per Philosophum in isto tertio, ubi ponit quòd homo excedens in aliquo bono omnes alios non est civis dicendus.

Secundò probatur ratione. Nam civitas est communicatio civium similium, & æqualium. igitur sequitur, quòd ille qui est dissimilis & inæqualis, non est dicendus civis: consequentia est nota, & antecedens probatur per expositorem primo & secundo hujus, ubi ponitur illa proprietas civitatis.

Secundò sic, ille non est pars civitatis, nec est civis, qui non subest legi: sed excedens omnes in aliquo bono est hujusmodi. igitur. Major patet, quia lex communitatis datur pro omnibus civibus. Minor patet, quia ille qui sic excedit alios, est sibi ipsi lex. igitur. Patet consequentia. Et minor probatur per Platonem dicentem, quod lex propter malos, & non propter bonos est posita & instituta. Et antecedens est Philosophi in forma. Ideo dicit Philosophus quòd justo non est lex posita.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur utrum excedens omnes alios in aliquo bono sit de civitate expellendus. Et in secundo videbitur de quæsito principali.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd duplex est politia, largè sumendo politiam. Nam quædam est recta & bene ordinata. Et alia est transgressa, quæ vocatur transgressio rectæ politiæ. Unde cives de recta politia intendunt bonum commune principaliter, privato bono postposito. Sed oppositum est de politia transgressa: quia ibi est tyrannis, quia omnes intendunt bonum proprium & privatum.

Primum notabile.

Duplex politia.

Corollaria. Corollariè sequitur: quòd secundum dictamen rectæ rationis, in recta politia cæteris paribus princeps debet esse dives, quoad divitias privatas: quia alàs princeps cogeretur ad vivendum de bonis privatis; & est intelligendum, ubi princeps non habet emolumenta de politia.

Secundò sequitur, quòd inter cæteros nocentes politiæ tyrannus maximè nocet. Patet, quia principaliter intendit bonum proprium.

Tertiò sequitur, quòd interficiens tyrannum in politia esset causa maximi boni in politia.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd in omni politia sive bene recta, sive non, expellendus est ille qui destruit finem, ad quem politia ordinatur, si ibi maneret. Patet sufficienter ex dictis: quia si maneret, fieret derogatio, & depauperatio politiæ. Et probatur ratione sic: quia in omni ordinato ad finem debitum debet removeri ille per quem finis destrueretur.

Tertium notabile, tripliciter aliquis excedit alios. Tertiò notandum est, quòd quis potest excedere omnes alios in civitate tripliciter. Uno modo in bono animæ, scil. in virtutibus. Alio modo in bono naturæ, scil. in formositate, & robore corporali. Tertio modo in bono fortunæ,

unæ, scilicet amicis, & bonis temporalibus. verum tamen ille dicitur excedere simpliciter omnes alios in bono, qui excedit eos in bonis animæ. patet, quoniam bonum animæ est simpliciter bonum honestum; & omnia alia dicuntur bona secundum quid. Unde bonum simpliciter est quod nos sua dulcedine allicit, & sua vi nos trahit.

Quartò notandum est, quòd aliquis simpliciter bonus, & heroicus, si aliquis est talis, non est subditus legi humanæ, seu politiæ: patet per Philosophum, qui dicit quòd ipsemet est sua lex. Et Apostolus ad Tim: dicit, *justo non est lex imposita*. Et causa est, quia nullis datur lex, nisi quatenus per eam suos actus in debitos fines dirigant: sed ex quo talis est simpliciter heroicus, non indiget aliquo extrinseco, per quod dirigat suos actus Rom. & ob hoc dicitur, quòd *in bono hominis omnia consonant rationi, & quòd omnis malum est ignorans*. *Quartum notabile.*

Istis præmissis sit prima conclusio. loquendo de politia transgressa, quæ scilicet non est ordinata, homo qui excedit omnes alios in civitate in aliquo bono, *sic*, est ab illa civitate expellendus, seu à politia. *Prima conclusio.*

Probatur conclusio. nam ille est expellendus à politia, qui corrumperet finem ad quem politia ordinatur, si ibi maneret. Sed iste est hujusmodi. major patet ex una suppositione prius posita, & minor patet discurrendo seu transcurrendo per singula bona, scilicet in bono animæ, & sic de aliis. Et supponitur, quod ista politia sic malè ordinata, seu in malum finem. Primò, quia talis non potest permitere, quòd politia ita regatur, sicut regeretur; & sic instaret quantum posset, & sic fortè interficeretur, & malè tractaretur; & sic est sibi expedientius, ut recederet, quàm quòd maneret.

Secunda propositio, loquendo de politia bene ordinata homo excedens omnes alios in aliquo bono, & maximè animæ, non est ab ea expellendus. Probatur, quia ille non est expellendus, qui ad conservandum finem ad quem politia maximè ordinatur, intendit, sed iste est hujusmodi, ergo est admittendus in politia. *Secunda conclusio.*

Secundò sic, ille non est expellendus qui est regula omnium aliorum de politia; sed sic est de hoc. igitur &c. Et hoc loquendo de bona politia. minor probatur, quia alii capiunt exemplum ab eo.

Tertiò, sicut est in toto universo, ita est in politia bene recta, & ordinata. Sed sic est quòd in toto universo, ille qui excedit alios non est expellendus, igitur. Major patet per Philosophum septimo Ethicorum dicentem quòd sicut est in macrocosmo, ita est in microcosmo. & minor est nota per experientiam.

Ex isto sequitur probabiliter, quòd talis si sit in politia debet eligi in principem; & hoc si in tali politia Princeps habeatur per electionem. patet, quia sicut in majori mundo ille est Princeps qui omnes alios excedit in bonitate, ita debet esse in minori mundo; & hoc si cetera sunt paria, quod dicitur notanter, scil. supposito quòd talis virtuosus habet prudentiam & sapientiam, quibus sciret debitè regere & gubernare suos subditos & cives in politia.

Quantum ad secundum articulum supponendum est, quòd quandocunque species vel forma alicujus consistit in proportione, si sit aliquid quod illam proportionem excedit, illud non attingit ad istam formam. Ista suppositio solet demonstrari in naturalibus, quia mixta non dicuntur simplicia, quoniam excedunt proportionem simplicium. *Secundus articulus.* *Primum notabile.*

Secundum notabile. Secundò supponendum est, quòd amicitia consistit in quadam proportione & similitudine amicorum. Ista suppositio est Philosophi octavo Ethicorum.

Ex suppositione sequitur primo, quòd quamdiu est similitudo inter amicos saltem in hoc secundum quod sunt amici, tandiu manet amicitia.

Secundò sequitur quòd quanto unus amicorum excedit alium ita quod talis proportio excediturtalis non est amicus.

Tertiò sequitur, quòd talis amicus non debet velle alteri maxima bona. patet octavo Ethicorum, quia quam cito talis esset sic promotus, esset dissolutio proportionis.

Tertium notabile. Tertiò supponendum est, quòd ratio civis secundum quam aliquis dicitur civis, consistit in quadam proportione hominum habitantium in ordine ad principantem. patet, quia homo non dicitur civis absolutè, sed in respectu.

Quartum notabile. Quartò notandum est, quod homo dicitur civis respectivè in ordine ad politiam. patet ex definitione ejus posita supra in isto tertio, in quo dicitur quòd civis est homo cui est potestas communicandi Principatu consiliativo, & judicativo. Corollariè sequitur, quòd nullus servus est civis. patet, quia non est sibi potestas consiliandi &c. Secundò sequitur, quòd puer antequam veniat ad annos discretionis non dicitur civis. Tertiò sequitur, quòd nullus civis est carens usu rationis. Quartò sic, sequitur quòd politia est ordo sive proportio plurium hominum simul habitantium invicem secundum debitam proportionem multitudinis ad perse sufficientiam. Corollariè sequitur, quòd si aliquis est qui excedit talem proportionem in politia non est pars politiæ, nec est civis. patet ex prima suppositione.

Quintum notabile. Quintò supponitur, quòd ad bonam politiam requiritur amicitia, quia Philosophus tertio hujus dicit quòd in politia debet maximè esse concordia.

Dubium. Sed hic est dubium, cum omnis amicitia sit inter bonos, & virtuosos, si suppositio esset vera, sequeretur quòd omnes essent boni & virtuosi. consequens est falsum; & patet consequentia, quia amicitia est bonum inter bonos, ut patet per Philosophum, Octavo Ethicorum.

Triplex amicitia. Respondetur quòd triplex est amicitia, quædam est propter bonum simpliciter; quædam propter bonum utile; & quædam propter bonum delectabile. & inter istos tres modos sola amicitia primo modo dicta dicitur amicitia simpliciter. aliæ non sunt propriæ amicitiæ. Isto præmisso respondetur ad dubitationem, quòd si politia sit optima, & bene regulata, tunc omnes sunt boni simpliciter. & sic non requiritur amicitia. Si autem politia sit transgressa, tunc non omnes sunt virtuosi. & sic requiritur amicitia semper in quacunque politia.

Prima conclusio responsiva. Istis positis sit conclusio responsiva ad quæsitum, homo excedens omnes alios in aliquo bono de politia ille est dicendus non civis. Probatur, quia talis excedit proportionem hominum, & etiam habitudinem in qua consistit ratio civis. igitur. patet consequentia ex terminis, & antecedens patet; quia ex quo ratio civis est in quadam proportione hominum ad invicem, ex quo excedit omnes alios, sequitur quòd ibi non est proportio.

Dubium. Sed dubitatur utrum eadem ratione sit non civis, si excedat in bono honesto in politia optima. respondetur quòd tunc non est civis, quia excedat omnes in bono simpliciter. sed diceretur non civis in politia transgressa, non quia excederet omnes alios in bono simpliciter, sed in bono secundum quid, sicut in fortitudine, vel pulchritudine membrorum.

Secunda

Secunda conclusio, homo excedens alios in aliquo bono in politia est dicendus super civis. Probatur, quia ille non est dicendus civis, sed super civis, cui subjicitur lex, & ipse non subjicitur legi. patet consequentia, & antecedens est Philosophi dicentis quòd indiget lege mediante, qua dirigat suas operationes & actus suos. Unde sicut excedens omnes alios in scientiis & virtutibus debet dici heroicus, ita etiam ille qui non subjicitur legi, & ei subjicitur lex, debet dici super civis. *Secunda conclusio.*

Et tunc ad rationes. ad primam negetur consequentia, quia in hoc quod privetur à civitate sibi sit magnum bonum & magnus honor. ad secundam negetur consequentia. ad probationem per illam regulam dicitur quòd illa regula intelligitur sic, quando extrema unius oppositionis non continentur sub uno extremorum: sicut si argueretur sic, illiberalitas est vitium. ergo prodigalitas est virtus. Ita est in proposito, qua superabundantia in bono est malum & vitium & etiam defectus in bono. *Ad rationes.*

Ad tertiam negetur minor, nam talis ad utilitatem Reipublicæ non operatur, quia si sic in politia transgressa etiam laborabit ad utilitatem propriam; sed in politia optima est ita, sed talis debet regi in Monarchia, quia politia optima etiam excedit ejus proportionem.

Ad quartam dicitur consimiliter.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XXI.

De veris divitiis.

QUæritur vigesimo primò. Utrum in pecuniis consistant veræ divitiæ.

Arguitur quòd sic, quia in illis consistunt veræ divitiæ politiæ per quæ politia habet quicquid vult, quando, & qualiter, & quomodo, & ubi oportuit; sed pecuniæ sunt hujusmodi. igitur. major patet, & minor probatur, quoniam numisma est fidejussor pro omnibus, Quinto Ethicorum. modò in politia nihil aliud est quàm aggregatio civium. *Arguitur.*

Secundò sic, in illis consistunt veræ divitiæ quæ politicus appetit secundum dictamen rectæ rationis, sed hoc est pecuniæ. igitur. major patet, quia politicus aliàs non secundum rectam rationem illas appetet. & minor apparet, quia politicus secundum rectam rationem habet illas appetere.

Tertiò sic, in illis consistunt veræ divitiæ quibus ablatis periret politia. sed divitiæ politiæ sunt hujusmodi, ergo. major patet, & minor patet, quia videmus quòd si non haberentur homines contra invasores ipsius politiæ, sic politia transferretur ad alios usus.

Quartò sic, in illis consistunt veræ divitiæ politiæ, quæ sunt ad sufficientiam & indigentiam humanam, sed pecuniæ sunt hujusmodi. igitur magis patet de se, & minor probatur per experientiam, & ideo dicit Poëta, *diligo denarium* &c.

Oppositum arguitur sic, quia sequeretur quòd principatus essent distribuendi secundum divitiarum excessum. consequens est falsum & contra determinatio- *In oppositum.*

nem Philoſophi in iſto tertio. Et patet conſequentia, quia poſtquam in pecuniis eſſent veræ divitiæ, ſequeretur propoſitum. Item patet per Albertum dicentem, quòd *in pecuniis non ſunt vera divitia*, quia appetitus divitiarum eſt in infinitum.

In quæſtione erunt duo articuli. In primo reſpondebitur ad quæſitum. In ſecundo erunt dubia.

Primus articulus.

Quantum ad primum articulum. Primò notandum eſt, quòd ſicut Philoſophus innuit primo hujus duplices ſunt divitiæ, quædam ſunt naturales, & ſunt quæ immediatè ordinantur ad vitæ neceſſitatem, & ſuſtentationem humanæ vitæ, ut vinum, bladum, &c. aliæ ſunt divitiæ artificiales, ut ſunt pecuniæ.

Primum notabile.

Duplices ſunt divitia.

Secundum notabile.

Secundò notandum eſt, quòd pecuniæ poſſunt dupliciter conſiderari. uno modo in quantum homo appetit illas propter ſe. alio modo in quantum appeteret illas propter aliud. Primus appetitus eſt irrationalis, quia eſt contra dictamen rectæ rationis appetere aliquid propter ſe, quod eſt tantum propter aliud. Secundus eſt virtuſ.

Tertium notabile.

Tertiò notandum eſt, quòd pecuniæ non ſunt veræ divitiæ. patet, quia variata hominum diſpoſitione non variarentur. patet, quia propter hoc dicit Philoſophus quòd pecuniæ non ſunt veræ divitiæ.

Quartum.

Quartò notandum, quòd propriè loquendo veræ divitiæ, ſive civiles, ſunt illæ quæ ordinantur ad utilitatem totius Reipublicæ; etiam quæ ſic ſe habent quòd per illas politia ordinatur ad rectum finem. patet ſuppoſitio per Albertum.

Quintum.

Duplex portio in homine.

Quintò notandum eſt, quod in homine eſt duplex portio. quædam eſt portio inferior, quæ eſt ſenſualitas. alia eſt portio ſuperior, quæ eſt recta ratio. & de hoc in fine primi Ethicorum. Ex quo ſequitur, quòd illud eſt ſimpliciter appetibile quod eſt appetibile ſecundum potentiam ſuperiorem, & aliud non.

Prima concluſio reſponſiva.

Iſtis notatis ſit prima concluſio. Pecuniæ non ſunt veræ divitiæ: probatur, quia illæ ſunt veræ divitiæ quæ variata diſpoſitione hominum non variarentur: ſed pecuniæ non ſunt hujuſmodi, igitur.

Secundò, illæ non ſunt veræ divitiæ quæ ſic ſe habent, quòd cum illis abundanter ſtaret hominem perire fame: ſed pecuniæ ſunt hujuſmodi, igitur, &c. major eſt Philoſophi. Et minor patet, quia ſtaret bene quod non poſſet habere nutrimenta per pecunias. Item pecuniis contingit malè uti, nam propter pecunias multi perierunt.

Tertiò ſic, illæ non ſunt veræ divitiæ quibus habitis non dicitur homo dives verè, ſed habens pecunias eſt hujuſmodi, igitur. Unde dicit Poëta, *Æger dives habet nummos, ſed non habet ipſum.*

Quartò, illæ non ſunt veræ divitiæ quæ immediatè non ordinantur ad vitam humanam ſed pecuniæ ſunt hujuſmodi, igitur. Conſequentia patet, & major, & minor pro utraque parte.

Quintò ſic, illæ non ſunt veræ divitiæ quæ ſic ſe habent quòd appetitus eorum eſt in infinitum: ſed ſic eſt de appetitu pecuniarum: major patet, quia appetitus verarum divitiarum non eſt in infinitum, quia natura modico foveur. Et minor patet primo hujus. Et ex his patet differentia inter divitias naturales, & artificiales.

Secunda.

Secunda concluſio, in pecuniis non ſunt veræ divitiæ politicæ: probatur.

nam

nam pecuniæ non sunt veræ divitiæ: igitur. Et patet consequentia. Et antecedens probatur per conclusionem præcedentem: sed in quibus sunt veræ divitiæ postea videbitur.

Et tunc dubitatur ex quo in pecuniis non consistunt veræ divitiæ politicæ, quomodo ergò politicus secundum dictamen rectæ rationis appetit eas. Ad hoc dicitur quod politicus habens judicium rectum non appetit illas divitias in politia nisi de per accidens & prout ordinantur ad aliud, scilicet prout de tali pecunia habentur defensores reipublicæ. Secunda causa est ad honorandum civitatem. Tertia est, ne transferantur pecuniæ de regione in regionem. Quarta est ad ostendendum excellentiam principis, scilicet quòd propter imaginem regis habetur nutrimentum quod ordinatur ad vitam humanam. Quinta causa est, ut politia reddatur magis unita, & concors, & ideo congregantur pecuniæ pro utilitate civium. Sexta causa est, ut ostendatur quod non omnes cives in politia æqualiter sunt honorandi, saltem honore politico. Istas sex causas assignat Albertus, & ipsis non obstantibus in ipsis non sunt veræ divitiæ politicæ quemadmodum probatum est sufficienter per conclusiones prædictas. *Dubium.* *Quare politicus appetit divitias.*

Ad rationes ante oppositum procedunt viis suis, & satis patet per conclusiones prædictas quid sit dicendum ad ipsas. *Ad rationes.*

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XXII.

De regimine Civitatis.

QUæritur vigesimo secundo. Utrum in illis in quibus lex non determinat, melius sit civitatem regi per unum quam per plures: vel contra.

Arguitur quòd melius per unum sic. Non melius est civitatem regi per illum in quo est major dissentio, quam per illum in quo non est: sed in multitudine est major dissentio, quam in uno, ergò &c. major patet, quia dissentio est multùm mala in politia. Et minor patet, quia unus homo non dissentit sibi ipsi, sed in multitudine hominum sunt multæ discordiæ. *Arguitur.*

Secundo sic, in unoquoque genere quanto plus accedit ad principium in illo genere tanto melius est. Sed in politia ubi unus solus regit plus accedit ad principium in illo genere. igitur, major patet de se, quia quanto creatura plus participat cum Deo, tanto est perfectior, Et minor patet, quia optima politia est regimen in quo unus solus dominatur, scil. rex.

Tertiò, in civitate nulla sunt expedienda, nisi illa lege determinentur. Ergo videtur quòd quæstio supponit falsum. Consequentia est nota, quia quæstio supponit quod in aliquibus lex deficit: & Antecedens probatur per Philosophum, & Albertum magnum dicentem, quòd nihil obvians legi est licitum.

Oppositum arguitur de intentione Philosophi tertio hujus capitulo tertio dicentis, quòd in illis est melius regi pluribus, quam uno. *In Oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus.

Quantum ad primum Articulum, Primo notandum est, quòd in illis in quibus lex non determinat sunt casus particulares de novo emergentes, de quibus legislatores non potuerunt legem, nec potuerunt providere. Ex quibus sequitur corollarie, quòd non est contra prærogativam legis quòd in politia sunt aliqua de quibus hic non determinat, quia lex datur universaliter.

Primum notabile.

Secundum, duo requiruntur ad judicium.

Secundò notandum est, quod ad judicium duo requiruntur principaliter, scil. appetitus, & consilium. appetitus hic accipitur pro actu appetendi, sicut sit appetitus voluntatis, sive intellectualis, sive sensualis; sed consilium est deliberativum.

Tertium notabile.

Tertiò notandum est, quòd Judicium secundum vocabuli impositionem importat rationem determinativam justitiæ civilis. Ex quo sequitur, quòd nullum Judicium est perversum. ideo dicitur septimo Ethicorum, quòd homines fugiunt ad Judicem tanquam ad justitiam animatam; quia talis actus est per rectam rationem, & justitiam.

Dubium.

Sed dubitatur, utrum alicui homini liceat vel licitum sit judicare.

Arguitur quòd non; illud non est justum pro quo justè imponitur pœna & culpa, sed hoc est Judici, quia dicitur *nolite judicare, & non judicabimini*.

Secundò sic, nulli peccanti est licitum judicare. sed omnis homo est peccans. ergo, patet per Apostolum dicentem, *inexcusabilis es homo quia alium judicas, teipsum condemnas*, & minor est nota.

In oppositum.

In oppositum arguitur, quia sequeretur, quòd omnes leges essent irrationabiliter positæ.

Primum notabile.

Tria requiruntur ad verum judicium.

Primò notandum est, quod ad rectum Judicium tria requiruntur. Primò requiritur, quod talis actus procedat ex intentione justitiæ. Secundò requiritur, quod procedat ex caritate judicantis, scilicet sine ira, & favore. Tertiò requiritur, quod procedat secundum rectitudinem justitiæ, scilicet quod homo cognoscat circumstantias rei judicandæ.

Secundum notabile.

Secundò notandum est, quod propter triplices causas oppositas Judicium est iniquum. prima est quando non est secundum ordinationem justitiæ, & tale dicitur injustum. secunda est quando aliquis judicat de his de quibus non habet auctoritatem. tertia est quando aliquis judicat propter ignorantiam; & tale Judicium est temerarium.

Tertium notabile.

Tertiò notandum est, quod cum quæritur, utrum alicui homini secundum dictamen rectæ rationis sit licitum judicare? hoc intelligitur dupliciter. uno modo utrum sit licitum judicare in quantum persona privata. alio modo in quantum persona communis.

Prima conclusio.

Tunc sit prima conclusio, homini licitum est judicare in quantum persona publica. patet per rationes ante oppositum factas.

Secunda.

Secunda conclusio, non est licitum alicui judicare in quantum est persona privata. patet per prædicta. Ex quo sequitur, quod si Judex viderit Platonem interficere Sortem, & si oppositum manifestaretur per testes, non debet Judex condemnare Platonem. quod si sic faceret, non ageret secundum allegata & probata.

Ad rationes.

Et tunc ad rationes, ad primam negatur minor, loquendo de Judicio recto. Et quando dicitur *nolite judicare*, dicitur quod hoc intelligitur de Judicio temerario, & injusto, & usurpativo.

Ad

Ad secundam rationem conceditur illa de illo qui est in gravibus criminibus & ejus crimina sunt publica.

Quartò notandum est, quòd multitudo est duplex, quædam est vilium personarum, alia est civilium personarum. Et secundum hoc homo potest intelligi dupliciter.

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio: loquendo de pluralitate personarum vilium in illis in quibus lex non determinat, non melius est civitatem regi pluribus, quàm uno solo. Patet per rationes factas ante oppositum, quia in illa multitudine est differentia. *Secundus articulus.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: loquendo de pluralitate personarum civilium in illis in quibus lex non determinat, melius est civitatem regi pluribus, quam uno, tripliciter. *Secunda.*

Probatur triplici medio Philosophi. Primo melius est civitatem regi illo quod de magis indifferens, quam illo quod est minus: sed sic est in multitudine, igitur. Patet major, quia differentia multùm facit ad bonum Judicium, & commune bonum, quia odium & favor pervertunt Judicium & minor non est de se.

Secundò, in illis in quibus lex non determinat melius est civitatem regi illo quod est minus corruptibile. sed multitudo est minus corruptibilis ut notum est. igitur. major patet de se, quia ad corruptionem Judicis sequitur corruptio Judicii.

Tertiò sic, melius est civitatem illo regi in quo melius reperiuntur illa quæ spectant ad Judicium, sed hoc est in multitudine. igitur. & sic patet conclusio tribus mediis positis.

Ad rationes, ad primam conceditur major, si in illo solo æque bene regeretur ad Judicium, sicut in multitudine, aliter respondetur negando minorem loquendo de multitudine virtuosorum, quia illi semper sunt concordes. *Ad rationes.*

Ad secundam conceditur major, sed negetur minor: quia illi multi virtuosi habent unum, quia habent unum consensum, quia in hoc prævalet Aristocratia Regno, ut dicit Philosophus.

Aduriam negetur antecedens, quia multi sunt casus particulares emergentes de novo, de quibus lex non determinat, seu judicat, sed prudentia regentis habet de illis determinare, & ordinare, vel potest concedi major saltem implicitè, vel explicitè. & sic est verum.

Ratio post oppositum est pro conclusione respondeli.

QUÆSTIO XXIII.

De Principe per Electionem.

Quæritur vigesimotertiò, Utrum melius sit Regem vel Principem assumi per electionem.

Arguitur quòd sic: nam per illam viam est melius Principem assumi, per quam contingit meliorem accipi, sed hoc est per viam electionis. igitur. patet consequentia. Et major apparet de se, quia semper expedit quòd Princeps sit optimus. *Arguitur.*

optimus. Et minor probatur, quia electio fit cum consilio, ratione, & deliberatione. Etiam electio habet præferre majus bonum minori.

Secundò sic, periculosum est maxima bona fortunæ uni soli committere, igitur consequentia est nota, & antecedens probatur, quia non est necessarium, imo contingens, quod ex bono patre nascitur bonus filius.

Tertiò sic, melius est Principem eligi per illam viam quæ nunquam deficit à nostra potestate, sed electio nunquam deficit à nostra potestate; successio autem generis deficit. igitur major patet, quia modus assumendi Principem debet esse deliberativus, & minor est nota, quia Rex non semper habet filium.

Quartò sic, melius est Regem per illam viam assumi per quam cedant rixæ & dissentiones in civitate. sed hoc est per electionem. igitur. Consequentia est nota. & major patet, quia principatus quanto est concordior tanto est conformior principalissimo principatui. Et minor probatur, quia verisimile est quòd filii insequuntur dispositiones & mores parentum suorum, sed quando eliguntur per successionem tunc habent diversos modos, & mores regendi. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primum articulus.

Primum notabile.

Quid eligibile & electio.

Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quid est eligibile, & quid electio. unde eligibile sic describitur Secundo Ethicorum. Eligibile est bonum possibile, per nos operabile, cum alio bono incompossibili proposito; sed hoc considerato secundum quòd in ejus consecutionem natus est fieri appetitus. Sed electio est desiderium tendens in bonum possibile, per nos operabile, cum alio bono incompossibili proposito. Ex isto sequitur corollariè, primò quòd electio est solius boni veri, vel apparentis, apparet, quia dicitur intendens in executionem boni possibilis.

Secundò sequitur, quòd electio non est impossibilium. patet, quia dicitur bonum possibile. Unde in hoc est differentia inter volitionem & electionem patet, quia volitio est bene impossibilium.

Tertiò sequitur, quòd electio non est nisi de illis quæ sunt in potestate nostri, quia dicitur in definitione [per nos operabile. Unde clarum est, quòd nullus eligeret quòd esset Papa, antequàm Cardinalis; quia oportet quòd essent bona duo simul, quorum tamen unum est post aliud.

Quartò sequitur, quòd illa bona inter quæ est electio debent esse incompossibilia, saltem incompossibilia sic, quòd voluntas non posset prosequi ambo Patet, cum dicitur in definitione [cum bono incompossibili.

Quintò sequitur, quod omnis electio supponit consilium, rationem, & deliberationem circa objectum electionis: ideo dicitur propositum consilium, quia oportet antequam ratio judicet quod illa bona sint incompossibilia, & unum melius alio; & sic de aliis.

Sextò sequitur, quòd electio nunquam est ipsius finis, sed est eorum quæ ordinantur in finem. Patet, quia nunquam fit consilium de fine, sed de ordinatis in finem, ut patet tertio Ethicorum. sed hoc præsupponit electio, scilicet bonum consilium, & bonam ratiocinationem.

Secundum.

Secundò notandum est, quòd frequenter ex bonis parentibus & virtuosis boni filii & virtuosi procreantur, & aliàs ista causa fuit assignata. Ista suppositio est Philosophi primo hujus, qui ex duobus progenitoribus id est nobilibus radicibus, utique designabit producere servum, quam si diceret nullus.

Tertiò

Tertiò notandum est, quòd ad hoc quòd populus obediat Principi multum juvat diuturna consuetudo. patet per Philosophum secundo Rhetoricæ dicentem, *consueta delectant, inconsueta tristitiam generant.* *Tertium.*

Quartò supponitur ex dictis Philosophi, Tertio hujus; quòd sola prudentia est virtus appropriata Principi, ita quòd prudentia ut sic est Principis, nec requiritur ad servum. & causam reddit, quia Princeps debet dirigere & regere servum; & ideo dicit quòd oportet Principem esse optimum. *Quartum.*

Quintò notandum est, quòd secundum intrinsecam rationem electionis semper per electionem majus bonum præfertur minori bono. patet ex dictis definitionibus. *Quintum.*

Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio: De per se & simpliciter melius est Regem vel Principem assumi per electionem, quàm per generis successionem. probatur per primam rationem ante oppositum factam, quia per illam viam contingit meliorem accipi. *Secundus articulus.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: melius est de per accidens & per aliquas circumstantias Principem assumi per successionem generis, quam per electionem. Ista conclusio demonstrari potest quadruplici fundamento. Primò considerando paternam nobilitatem. Secundò obedientiam subditorum. Tertiò inspiciendo eligentium dissentionem. Quartò inspiciendo Regni vacationem. *Secunda.*

Primò, nam si pater sit Rex & bonus & sciat quòd filius suus post ipsum erit Rex, instruit & informat filium suum cum sit ejus pars, & melius conservabit Regnum suum, quàm si alius succederet sibi, & magis curabit de subditis.

Secundò patet respiciendo ad obedientiæ difficultatem. Nam si sit consuetum quòd sit Rex per successionem generis, tunc subjecti sunt consueti obedire sibi, & parentibus, quia populus dirigitur ad obedientiam. patet per Philosophum dicentem; scilicet *diuturna consuetudo facit obedientiam.*

Tertiò patet inspiciendo eligentium dissentionem, quia forte eligerent ex favore, vel odio; & tunc forte eligerent malum Principem ita cito sicut bonum.

Quartò patet inspiciendo Regni vacationem quia tempore electionis Regnum caret regimine; & hoc si non fieret per successionem generis, quia immediatè filius post obitum patris acceptat Regnum.

Ad rationes ad primam dicitur quod arguit pro prima conclusione. *Ad rationes.*

Ad secundam negetur minor, quòd in pluribus ex bonis parentibus nascitur bonus filius, vel boni filii & virtuosi.

Ad tertiam dicitur quòd arguitur pro prima conclusione.

Ad quartam conceditur major, sed negatur minor propter causam dictam, quia sunt magna pericula si Princeps eligeretur per electionem. Et ad probationem dicitur quòd in causa in quo fuerit bonus & de bona stirpe, verisimile est quòd ejus filius sit bonus: & similiter populus ubi est talis consuetudo quòd Rex assumatur per successionem, erit contentus. sed si non esset consuetudo quòd assumeretur per successionem, tunc forte non esset verum, quia fieret dissentio in populo.

QUÆSTIO XXIV.

De furti restitutione.

Quæritur vicesſimo quartò. Utrùm ad bene vivere moraliter neceſſarium ſit ablatum per furtum vel per rapinam reſtituere.

Arguitur. Arguitur primò quod non, nam ſecundum nullam legem homo obligatur ad impoſſibile. Sed ſic eſt quòd quandoque eſt impoſſibile ablatum per furtum reſtituere. &c. major patet, quia niſi ſic, ſequeretur quòd ipſe peccaret invitus. & ſic non peccaret. & minor probatur, quia manifeſtum eſt quòd ſi aliquis aliquem mutilaverit, non eſt poſſibile quòd fiat non mutilatus.

Secundò ſic: illud non eſt neceſſarium ad bene vivere moraliter quod non poteſt fieri niſi cum peccato, ſed ablatum quandoque non poteſt reſtitui ſine peccato, major patet de ſe: minor patet quoniam ſi aliquis aliquem diffamaverit dicendo verum, manifeſtum eſt quòd ipſe non poteſt famam reſtituere, niſi dicendo quòd ipſe falſum dixerit; & quia omne mendacium eſt peccatum ut ſupponitur, ſequitur propoſitum.

Tertiò ſic: nam ſi aliquis alium impediat à bono obtinendo, ſeu etiam conſequendo, ipſe tale bonum aufert ab illo. Sed in caſu non eſt poſſibile quòd hoc reſtituat ſibi. igitur, major patet per Philoſophum Secundo Ethicorum, quia illud quod modicum deeſt non deeſſe videtur. & minor patet, quia ſi unus homo infimus impediat alium de obtinendo Epiſcopatum, eſt manifeſtum quòd ſibi non poteſt reſtituere Epiſcopatum.

Quartò ſic: illud non eſt neceſſarium ad vivere moraliter per quod nocumentum infertur proximo ſuo. ſed in caſu per ablati reſtitutionem nocumentum ſuo proximo inferretur, igitur, major patet, quia hoc eſt contra legem divinam naturalem, & moralem. Et minor probatur, quia ſi aliquis abſtulerit gladium à furioſo vi & violentia, clarum eſt quòd ſi ipſe gladium furioſo reſtitueret, ipſe faceret nocumentum proximo ſuo, ſcilicet vel ſibi vel alteri.

Quintò ſic. Si hoc eſſet verum, aut ergo tale ablatum debet reſtitui illi à quo eſt ablatum, vel alteri. Sed non poteſt dici primum, quoniam quandoque eſt impoſſibile, quia forte eſt mortuus, vel remotus, vel ignotus. Nec poteſt dici ſecundum, eò quòd ille qui habet ablatum alterum non damnificavit, ſed illum à quo abſtraxit. ergo &c.

In oppoſitum. Oppoſitum arguitur per expoſitorem hujus libri. Nam manifeſtum eſt quòd pertinet ad pacem civitatis, vel communitatis. Non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. In quæſtione erunt duo articuli; in primo reſpondebitur ad quæſitum; in ſecundo erunt dubia.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum eſt primo ſciendum, quòd quantum ad nominis impoſitionem reſtituere non eſt aliud quàm alium iterato ſtatuere ad poſſeſſionem ſuæ rei. Ex iſto ſequitur quòd in reſtitutione attenditur æqualitas juſtitiæ ſecundum recompenſationem rei pro re.

Primum notabile. Secundò ſequitur, quòd reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ, ſeu communicativæ. Unde juſtitia commutativa ut habetur Quinto Ethicorum conſiſtit

in

inæqualitate rei pro re falsem secundum existentiam, vel existimationem, & secundum certam impositionem.

Secundò notandum est, quod aliquis potest tripliciter alium defamare, uno modo dicendo veritatem, & secundum ordinem, & rationem, ita quòd non est ex odio. Sicut si aliquis videat alium furari, vel aliquid rapere, & quòd adjuraretur pro dicendo veritatem. Secundo modo dicendo falsum, scilicet imponendo alteri crimen. Tertio modo dicendo verum non recto ordine, sed motus ira, vel odio, vel invidia, vel quod se ingerat, vel quod non vocetur. In primo casu est licitum diffamare. In secundo non est licitum aliquo modo. In tertio non est licitum etiam, imo tenentur ad restitutionem omnimodam. *Secundum notabile.*

Tertiò notandum est, quod ablatum per furtum vel per rapinam deberi restitui potest intelligi dupliciter. Uno modo quod illud in propria forma restituatur, ut si quis rapuerit decem florenos, restituat decem florenos, alio modo in æstimatione. Alio modo quantum est sibi possibile juxta arbitrium bonorum virorum, quia nullus moraliter ad impossibile obligatur. *Tertium.*

Istis notatis sit prima conclusio: Ad bene vivere moraliter necessarium est ablatum per rapinam vel per furtum restituere. probatur. Nam ad bene vivendum moraliter requiritur quando materia se offert operari secundum justitiam commutativam. sed hoc sit restituendo. aliter talia non faceret actum justitiæ. igitur. major patet de se, & hic capitur materia pro objecto. Et minor nota est, quia si habeat ablatum materia, sic auferetur quod debet restitui illi à quo est ablata. *Prima conclusio.*

Secundò; illud est necessarium ad bene vivendum moraliter, per cujus ablationem perturbaretur Respublica, & gravaretur. Sed hoc esset per non restitutionem. igitur. major patet. quia attendenda est semper Respublica. Et minor nota est, quia illi fit injuria, & fit scandalum in judice. Et est præceptum negativum ad quod homo semper obligatur. scilicet, *non furtum facias alii.* *Secunda.*

Tertia conclusio: ad bene vivere moraliter, vel simpliciter est necessarium ablatum per furtum vel per rapinam restituere. vel in propria forma, vel æquivalenti, vel quantum est possibile per arbitrium bonorum virorum. Patet, quia semper restitutio debet fieri per primam conclusionem; & debet fieri aliquo istorum modorum trium prius dictorum. *Tertia.*

Quantum ad secundum articulum, est ista dubitatio. utrum quicunque alium damnificaverit, teneatur illi restituere illud in quo damnificaverit ipsum. Et videtur quòd sic, quia aliàs non observaretur justitia commutativa. *Secundum articulum. Dubium.*

Oppositum apparet, quia si quis reneat pecuniam creditorum ultra tempus præfixum, ipse eum damnificat, & non tenetur ad restitutionem, quia hoc nulla lex ponit. *Arguitur. In Oppositum.*

Pro dubio; sciendum est quòd aliquis potest damnificare alium dupliciter. Uno modo in illo quod ipse actu habet. Alio modo in illo quod non habet. sed tamen est in via habendi, ut si aliquis homo debeat habere beneficium, & aliter eum impediat. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod secundum veritatem ex parte rei ablatæ non requiritur, quod plus restituatur quam fuerit ablatum. quod patet. quia aliter non fieret justitia commutativa. Et dicitur notanter [ex parte rei ablatæ.] quia ex parte illius qui fecit tenetur plus restituere. Et hoc pertinet ad judicis discretionem. *Secundum.*

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio. Si quis alium damnificaverit in bono nondum habito non tenetur ad restitutionem. Patet, quia quandoque hoc esset sibi impossibile, ut alias dictum est. Nec esset ibi æqualitas, quia ipse nihil abstrahit. & tamen restituit quod potuisset non habuisse. & potuit non accidisse: sed verisimile est quod talis teneatur alteri benefacere, & subvenire si posset. Et sic rationes solutæ sunt.

Secundum dubium. Secundum dubium est. Utrum ablatum solum debet restitui illi à quo est ablatum. Et videtur quòd non: quia hoc est quandoque impossibile. Arguitur quòd sic, quia non fecit alteri nocumentum in hoc.

Prima Propositio. Quantum ad hoc sit prima conclusio: talis tenetur restituere ablatum illi à quo abstraxit tale bonum ablatum, si possit illud habere; & si sibi adest facultas, & si non adsit facultas debet petere dilationem, vel absolutionem.

Secunda Propositio. Secunda conclusio: ille qui per rapinam, vel per furtum abstraxit ab aliquo aliquid non tenetur idem bonum restituere. Patet, quia quandoque hoc est sibi impossibile: sed si possit facere & alter non sit præsens debet committere in pios usus ablatum.

Tertium dubiũ. Tertium dubium est: utrum ille qui abstraxit aliquid per rapinam teneatur immediatè restituere?

Et videtur quòd sic, quia perseverantia aggravat peccatum. Oppositum patet, quia quandoque hoc est impossibile.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio probabilis. quod talis immediatè non tenetur restituere saltem quoad actum exteriorem. Patet, quia fortè ille cui deberet restituere est absens, mortuus, vel non habet unde.

Secunda. Secunda conclusio: quoad actum interiorem talis tenetur immediatè, vel saltem post ablationem velle restituere. Patet, quia actus interiores arguunt meritum.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam dicitur, quod non est sibi impossibile quod ablatum restimatur in propria forma, vel æquivalenti, vel secundum arbitrium bonorum virorum. Et negatur minor.

Et ad probationem dicitur, quod in isti casu potest ablatum per furtum restituere aliquo modo. scil. dicendo [ego dixi non iratus] & sic restituit secundum rectum ordinem. Et quando dicitur, si aliquis, &c. negatur hoc & ulterius.

Ad. Ad tertiam negatur minor. Et ulterius quando dicitur, quod modicum deest, & verum est omnino: sed tamen rapit sibi aliquid, scil. bonum habendum contingenter.

Ad quartam dicitur quod sibi tenetur, si potest.

QUÆSTIO XXV.

De correctione delinquentium.

QUæritur vicesimo quintò. Utrum licitum sit vitioso homini hominem delinquentem corrigere?

Arguitur. Arguitur primò quod sic: quia nisi sic, sequeretur quod vitiosus propter

ter vitium excusaretur de præcepto observando. Consequens est falsum: quia nemo malefactor de suis maleficiis commodum reportaret. Et patet consequentia, quia correctio fraterna cadit sub præcepto, modo si non liceret corrigere delinquentem sequeretur propositum.

Secundò sic, vitiosus propter peccata sua non debet omittere eleemosynam temporalem: ergo nec spiritualem. tenet consequentia, quia spiritualis est major multo. Et antecedens est notum.

Tertiò nisi sic, sequeretur in casu quod malum dimitteretur impunitum. consequens est falsum, quia quilibet vitiosus est peccator. Et patet consequentia, quia si sit vitiosus non potest corrigere; cum igitur quilibet vitiosus sit, quia peccator, sequitur propositum.

Quartò sic, licitum est homini vitioso facere ordinatum à natura: sed hoc est corrigere vitiosum: igitur. Patet major de se. Et minor nota: quia ad voluntatem reipublicæ est, quod mali puniantur.

Oppositum patet per Isidorum in de summo bono dicentem, *non debet alius vitia corrigere, qui vitiis est subditus.* Et in decretis non debet ejicere festucam de oculo fratris sui, qui trabem gestat in oculo suo. Idem patet per Catonem, *turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.* Et ideo dicit Apostolus *O homo inexcusabilis es in quo alium judicas, teipsum condemnare.* *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo, utrum ille qui corrigit alium debeat à tali correctione abstinere se: si ille quem corrigit fiat deterior. *Dubium.*

Quantum ad primum articulum: Sciendum est, quod homo vitiosus potest dupliciter se habere: Uno modo quod in ipso ratio totaliter est perversa: scil. sic, quod sensus simpliciter dominatur. Alio modo quod nondum in ipso ratio sit totaliter extincta. Modo quæstio intelligitur de illo in quo ratio non totaliter extincta est. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod de tali vitioso adhuc possumus loqui dupliciter. Uno modo si ejus vitium sit occultum justitiæ. Alio modo quod sit manifestum. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quod duplex est correctio: nam quædam est actus justitiæ per pœnæ coactionem: alia est, quæ est actus charitatis, quæ est vera correctio, & fraterna. *Tertium.*

Quartò notandum est, quod inter istas duas species correctionis sunt tres differentiæ. Prima est principis: quia prima correctio solum pertinet ad principes. Secunda pertinet ad quemlibet respectu uniuscujusque. secunda differentia est, quia prima correctio ordinatur in bonum commune: secunda ordinatur in bonum personæ privatæ. tertia differentia est, quia prima non fit per monitionem, sed per punitionem; secunda verò fit per admonitionem. Ex quo sequitur corollariè, quod loquendo de correctione, quæ est actus justitiæ, ad inferiorem non spectat corrigere superiorem. *Quartum.*

Quintò notandum est, quod correctio fraterna propter tria potest esse indebita: uno modo ratione scandali. secundo propter superbiam corrigentis. tertio propter indignitatem ipsius. Primò propter scandalum: quia si homo corrigens sit vitiosus, scandalum est sibi, eò quod ipsemet est vitiis aggravatus. Secundò propter superbiam corrigentis, cum superbit & vilipendit. Tertiò propter *Quintum.*

ter indignicarem: scilicet propter peccata publica, & manifesta.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio. Loquendo de correctione quæ est actus justitiæ, homini vitioso, cujus peccata non sunt manifesta, licitum est corrigere delinquentem. Patet per rationes factas ante oppositum, & maximè per tertiam & quartam.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. Loquendo de correctione fraterna, licitum est homini vitioso delinquentem corrigere. Loquendo de vitioso, cujus peccata non sunt manifesta, & hoc cum debitis circumstantiis: scil. cum bona humilitate, & ad bonum finem. Patet, quia per hoc potest commovere ad virtutes, & se, & etiam alium.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum sit prima dubitatio. Utrùm ille qui corrigit alium, si ipse per correctionem deterioraretur debeat à tali correctione desistere.

Dubium.

Primum notabile. Pro isto sciendum, quod dubitatio potest intelligi, vel de correctione fraterna, vel de illa quæ est actus justitiæ.

Secundum. Secundò notandum est, quod ille qui corrigit alium potest se habere dupliciter ad illum. Uno modo quod corrigat verbis & sermonibus bene persuasivis, & non propter invidiam, & malum finem. Alio modo quod corrigat illum verbis turpibus, & duris, & non intendendo ad malum. Modo quæstio intelligitur de primo membro.

Tertiùm. Tertiò notandum est, quod ille qui corrigitur dupliciter potest intelligi. Uno modo quod verisimile sit corrigenti, quod correctus per verba sua se emendabit. Alio modo quod non sit verisimile sibi.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio. Loquendo de correctione civili, quæ est actus justitiæ, ille qui alium corrigit non debet à correctione desistere, quantumcunque displiceat illi quem corrigit. Patet, quia aliàs periret pax totius politiæ, si talis non puniretur.

Secundo. Secunda conclusio: Loquendo de correctione fraterna, in casu quo corrigens videt, quod ille quem corrigit deterior fieret, & quod verba sua non proficerent, ipse debet à correctione desistere. Patet, quia aliàs esset aliis occasio peccandi.

Tertia. Tertia conclusio. In casu quo corrigens videret quod correctus etiam suum emendaret, & in hoc verba sua proficerent, non debet desistere à tali correctione: licet forte primis motibus correctus haberet aliquam displicentiam. Patet conclusio, quia hoc est præceptum in lege. Conclusio etiam patet per Catonem dicentem, *eamque novos, &c.* Ex quo sequitur quod ille qui vult alium corrigere fraterna correctione, debet esse prudens & virtuosus, & perspicacis ingenii, ad hoc ut citius videre quod verba sua proficiant. Et etiam quid est faciendum, & vitandum.

Ad rationes. Et tunc ad rationes. Ad primam negatur consequentia. Ad probationem quando dicitur, quod hoc est verum, si fiant ab illo à quo debent fieri, & cum debitis circumstantiis, ut dictum est. Modò vitiosus non est in tali statu.

Ad secundam conceditur major, & minor; si talis correctio fiat ab illo à quo debet fieri, & cum debitis circumstantiis.

Ad tertiam negatur consequentia, loquendo saltem de correctione prima. Et dicitur

dicitur quod talia vitia non debent impedire correctionem, quia sunt mala venialia.

Ad quartam dicitur, quod illa arguit de prima correctione.

QUÆSTIO XXVI.

De Judicio Mulierum.

Quæritur vicesimo sextò. Utrum expediens sit in politia mulierem esse judicem?

Arguitur primò, quòd sic. Nam nisi sic, hoc maximè esset, quia mulier privatur ratione, vel prudentia, sed hoc non. igitur. Major patet de se. Et minor patet ad sensum. quia videmus multas mulieres prudentes, & multam prudentiam in ipsis: quia sciunt bene dirigere operationes suas in suum finem. *Arguitur.*

Secundò sic: Nam expedit virum in civitate esse judicem: ergo & mulierem. Consequentia tenet, quia vir & mulier sunt socii, & socii dicuntur æquales. Antecedens notum est.

Tertiò sic, mulier licitè potest esse princeps: igitur. Tenet consequentia, quia princeps habet judicare de factis subditorum. & antecedens patet de nobilibus viris.

Quartò sic. Nam mulieres participant de virtutibus, igitur. Patet consequentia, quia virtus habet sedare passiones, & dirigere justos, & sic posset judicare. Item aliquæ mulieres sunt castæ & temperatæ.

Quintò sic, illorum quæ sunt ejusdem speciei debet esse una operatio: sed vir & mulier sunt ejusdem speciei: igitur, &c. Major patet de igne qui similiter ardet hic & Persis: & minor nota est.

Sextò sic. Si illud quod minus videtur inesse inest, & illud quod magis: sed minus videtur, quòd ille qui est subditus mulieribus principantibus posset eligi judex: sed hoc sit justè. igitur. Major patet, quia est maxima. Patet minor, quia quando mulier nobilissima principatur, solet ordinare suos subditos in judices.

Oppositum est de intentione Philosophi secundo Oeconomicæ dicentis, quòd mulieres non debent se intromittere de negotiis civilibus. Et Primo hujus dicit: quòd mulier habet consilium invalidum. Item patet per expositores Secundo hujus & Tertio, qui omnes in hoc conveniunt. *In oppositum.*

Unde dicit Philosophus: quòd non refert mulierem principari, & virum regem populum, secundum consilium mulierum: sed secundum non est bonum. igitur.

In quæstione erunt duo articuli. In primo respondebitur ad quæstum. Et in secundo videbitur, utrum mulier teneatur obedire viro virtuoso in omnibus. *primus articulus.*

Quantum ad primum articulum est primo notandum, quòd ad hoc quòd aliquis sit Judex duo principaliter requiruntur. Primum est, quòd vigeat ratione: scil. quod habeat rationem, & cognitionem agibilium, quæ recta ratio est ipsamet. *Primum notabile.* *Duo requiruntur ad judicem.*

met prudentia, ut habetur Sexto Ethicorum. & ad hoc maximè requiritur consilium, quod est actus prudentialis. Unde Septimo Ethicorum dicitur, quòd *prudentia est omnibus aliis virtutibus annexa*. Secundò requiritur, quòd ille qui est Judex non debet esse subditus passionibus; quæ sunt, ira, gaudium, favor, &c. quia secundum veritatem passiones mirabiliter pervertunt judicium, ut patet Secundo Rhetoricæ: sed Judex debet esse recta regula agibilium. Ideo dicitur Quinto Ethicorum: *Homines recurrunt ad judicem, tanquam ad medium*. Et capitur ibi medium pro medio morali: scil. pro virtute.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd ut in paucioribus, & rarissimè mulier viget ratione. id est, habet rectam rationem agibilium: & hoc provenit frequenter ex parte complexionis; & causa est, quia ad agibilium rationem requiritur consilium prævium; ideo dicitur quòd mulier habet consilium invalidum. & dicitur invalidum; quia licet sit secundum rationem, tamen est fluxibile, & non firmum: non tamen quando mulieres consilium dant secundum quod recta ratio dictat.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd ut in pluribus, mulier est maximè passionabilis, id est passionibus subjecta. Et ista est propriè causa, quare mulier non est continens, quia non dominatur super suos effectus, & passiones, secundum quod dicitur in Septimo Ethicorum.

Ex quo sequitur, quòd quando vir de facili est passibilis, ipse potius est muliebris, quam virilis.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio: Non expedit in civitate mulierem esse Judicem. Probatur, quia mulier non habet conditiones requisitas ad bonum Judicem: igitur. Patet consequentia: & antecedens probatur, quia Judex debet habere duas conditiones, ut dictum est in primo notabili: & istæ conditiones non reperiuntur in ratione mulieris. Nam mulier non utitur ratione: quia habet consilium malum, & subitò subjicitur passionibus.

Secunda. Secunda conclusio. Nullo modo ad reipublicæ utilitatem expedit mulierem principari. Probatur, quia ad mulierem nullo modo spectat judicare: igitur. Consequentia probatur, & antecedens notum est.

Tertia. Tertia conclusio. In qualibet civitate, seu Politia, seu Oeconomia est inexpediens omnino virum regi à muliere. Probatur, quia sic tunc esset expediens in aliqua communicatione humana mulierem principari. Consequentia est manifesta de se. & intelligitur conclusio de homine perfecto, seu viro perfecto.

Quarta. Quarta conclusio: omnino inexpediens est virum judicare, & principari in politia secundum consilium mulierum. Probatur, quia tunc hoc esset idem quod mulierem principari: igitur, sed hoc non est bonum: igitur. Et hoc de primo articulo.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum quæstionis, Arguitur quòd sic, quia mulier est viro subdita in omnibus. Modo subditus in omnibus tenetur obedire domino suo. Major patet Secundo hujus. & minor nota est de se.

Secundò, mulier caret recta ratione, & cognitione agibilium, & vir non caret: ergo debet ei obedire. Patet consequentia, quia carens ratione tenetur obedire habenti rationem. & antecedens pro utraque parte notum est. & patet Secundo hujus.

Tertiò

Tertiò, mulier debet illud facere per quod acquirit gratiam, & honorem apud virum suum: sed hoc est in omnibus obedire eidem viro. igitur debet hoc facere. Major patet per Philosophum secundo Oeconomicæ. Et minor nota est de se.

Quartò, mulier debet esse unanimis cum viro suo: sed hoc non esset, nisi ei in omnibus obediret: igitur. Major patet Secundo Oeconomicæ. & probatur ratione, quia in illicitis, & inhonestis nemo debet obedire alteri. Probatur etiam, quia nisi sic sequeretur etiam quòd vir principaretur mulieri principatu servili: quia statet, quòd præceptum viri esset inhonestum.

Pro ista est notandum, quòd licet mulier habeat rationem debilem, tamen habet tantam quòd potest discernere inter bonum & malum. Probatur, quia aliàs mulier non differret à servo. Consequens est falsum, & contra Philosophum Secundo hujus: quia ille est servus, qui non habet usum rationis: sic quòd non scit, quid sit agendum, & dimittendum. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd secundum veritatem vir non principatur mulieri principatu despotico, seu servili; sed principatu politico, vel nuptiali, quia in principatu despotico dominus principatur servis propter commodum proprium, & secundariò propter commodum servorum suorum: & sic non principatur mulieri vir. *Secundum notabile.*

Tunc sit conclusio responsiva ad dubium; non in omnibus tenetur mulier viro suo obedire. Probatur, quia si sic esset, sequeretur quòd vir principaretur mulieri principatu despotico. Consequens est falsum: consequentia patet de se. *Conclusio responsiva.*

Secundò sic: mulier habet rationem boni, & mali; & cognoscit quid sit agendum, & quid dimittendum.

Sed dubitatur utrum in aliquo casu turpi mulier tenetur obedire viro. Respondetur quòd aliquis actus potest dici dupliciter turpis. Uno modo turpi turpitudine moris. Alio modo quod sit turpis turpitudine nocumenti, ut si vir velit vendere bona mulieris, vel quòd noceat bonis corporis, scilicet fortitudini, & sic de aliis. *Dubium. Primum notabile. Actus dicitur dupliciter turpis.*

Secundò notandum est, quòd actus primo modo est duplex. Nam quidam est actus turpis maxima turpitudine morali, ut occidere proprios filios, & matrem. Alius est turpis turpitudine levi: ut si mulier aliqua nubat viro, qui tenetur alicui in pecuniis, dicat viro suo, noli solvere pecunias. *Secundum notabile.*

Tertiò supponitur, quòd si duo mali ad invicem comparentur quorum unum est deterius alio, minus malum aliquo modo habet rationem eligibilis, licet tamen impropriè. Et ideo dicitur communiter: De duobus malis minus malum est eligendum, & majus est fugiendum. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd illud intelligitur secundum quòd diceret Philosophus moralis. *Quartum.*

Sit ergo prima conclusio. Loquendo de actu turpi turpitudine morali nocumenti corporalis, rei, vel fortunæ subjectæ mulier tenetur viro obedire in aliquo. Patet, quia ex quo est malum culpæ, ut supponitur. Et vir, & mulier sunt amici, & amicorum idem est velle & nolle. sequitur propositum. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. Loquendo de maxima turpitudine morali, in nullo turpi mulier tenetur obedire viro suo, immo secundum veritatem melius est quod sustineret mortem, quia dicit Philosophus: quòd *quadam confestim nominato circumvoluto* *Secunda.*

circumvoluta sunt malitiis.

Tertia conclusio. Tertia conclusio. Loquendo de actu turpi turpitudine levi: tunc in aliquo casu mulier tenetur obedire viro suo. Persuadetur, quia duobus malis datis minus malum est eligendum: sed melius est, quòd mulier in aliquo turpi obediat, quàm non agitur. Major patet ex dictis, Et minor patet in casu quo vir præcepit mulieri, quòd non solveret pecuniam in tempore certo: mulier debet persuadere oppositum si potest, & inquantum potest. & si non potest, tunc tenetur ei obedire.

Ad rationes dubii. Ad rationes dubii. Ad primam conceditur major. Loquendo de licitis, & honestis, maximè si non esset turpitudo moralis maxima: & ideo Philosophus intellexit de subjectione in licitis, & honestis.

Ad secundam conceditur consequens, & consequentia, in casu in quo simpliciter mulier careret ratione, modò mulier non esset simpliciter ratione.

Ad tertiam negatur minor, quia si sit illicitum præceptum à viro: & mulier obediat viro, mulier non acquirit honorem viri, quia vir in hoc diffamatur, & cum hoc ipsamet diffamatur.

Ad quartam dicitur, quòd hoc est verum in actibus licitis, & honestis.

Ad rationes Quæstionis. Ad rationes quæstionis ante oppositum.

Ad primam conceditur major, quia non habet rectam rationem sufficientem ad judicium. Et tunc dicitur, quòd ibi non est prudentia, sed astutia, quia vel intenditur ad bonum privatum, vel ad bonum commune tenditur, hoc est à fortuna.

Ad secundam negatur consequentia, & dicitur quòd non sunt similes similitudine quæ est sufficiens ad principatum politicum: sed bene alia similitudine.

Ad tertiam negatur antecedens, & dicitur quòd illæ viduæ non sunt propriè principes: sed principatus principalis attribuitur ordinatis, & subditis seu viduæ ad judicandum. & ideo dicit Philosophus Secundo Oeconomicæ, quòd *mulieres non debent se intromittere de negotiis civilibus.*

Ad quartam negatur antecedens, loquendo de virtute perfecta, quia mulier non dicitur continens, quia non dominatur super affectus suos, & sic nec virtuosa à majori.

Notabile. Pro quinta ratione est notandum, quòd duplices sunt operationes in aliqua specie: quædam sunt quæ consequuntur totam speciem, & ad quodlibet individuum illius speciei, ut videre, comedere. aliæ sunt quæ non consequuntur totam speciem, & quodlibet individuum: sed proprietatem & conditionem: scil. principari & judicare. Et per hoc patet solutio rationis.

Ad quintam dicitur, quòd verum est de primis operationibus, sed non est verum de secundis operationibus.

Ad sextam negatur minor: quia viri subditi mulieri excedunt eam in conditionibus requisitis ad principandum & judicandum.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO

QUÆSTIO XXVII.

De Pœnæ relaxatione.

Quæritur vicesimo septimò. Utrum sit licitum in politia bene recta Judici reo pœnam relaxare?

Arguitur. Arguitur primò quòd sic, quia illud est licitum quod est conforme divinæ justitiæ: sed pœnam relaxare reo est hujusmodi: igitur. Major patet, & minor; quia Deus qui est summus Judex remittit peccata peccatori.

Secundò sic, illud est licitum in politia quod alicui prodest, & nulli obest: sed talis relaxatio pœnæ est hujusmodi. igitur. Major patet de se, & minor probatur; quia judicium prodest puniendo, & remittendo, & nulli obest: ergo &c.

In oppositum. Oppositum patet, & arguitur sic: illud est malum per quod nocumentum reip. infertur: sed hujusmodi remittere pœnam infert nocumentum reip. igitur. major patet, quia omne bonum politicum est circa bonum reip. Et minor nota est; quia generatur scandalum, vel quia sibi non attribuitur quod suum est.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo, utrum Judex possit judicare, vel condemnare aliquem sine occasione.

Primum articulum. Quantum ad primum articulum primò notandum est, quòd in Politia circa Judicem duo sunt consideranda. Primum est, quòd Judex unicuique conferat quod suum est. Secundum est, quod Judex utatur publica persona, & non privata in sententiando. Corollariè sequitur, quòd Judex in quantum est persona privata non debet judicare.

Primum notabile.

Secundum correlarium est; quòd Judex, in quantum est persona privata, licet cognoscat alicujus fore factum, & non sunt alii accusatores, non debet secundum quod scit judicare.

Secundum notabile. Secundò notandum est quod duo sunt quæ impediunt judicem, ut ne reo relaxet pœnam: primum est ex parte accusatoris, quia accusator fuit valde læsus.

Aliud se tenet ex parte reipublicæ, quia in relaxando pœnam respublica lederetur: ut si reus voluisset defraudare rempublicam.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd Judex ad humanum judicium est duplex: quidam est superior, & ille non subjicitur legibus humanis: alius est inferior, qui legibus humanis subjicitur, & habet potestatem limitatam: ut præpositus, vel balivus: & secundum hoc titulus quæstionis potest dupliciter intelligi.

Duplex Judex.

Quartum notabile. Quartò notandum est, quod in nullo casu Judex inferior debet procedere contra leges judicis superioris, sic intelligendo quòd non debet ire contra intentionem ad quam superior leges posuit. Et hoc dicitur notanter, quia in multis casibus licitum est Judici inferiori ire contra leges Judicis superioris: ut secundum literam, non tamen secundum intentionem, & intellectum legislatoris; quia ille semper optimum intendebat.

Quintum notabile. Quintò notandum est, quòd quantumcunque potest Judex semper debet bonum privatum ad bonum commune ordinare, tanquam minus bonum ad magis bonum, quia bonum privatum est minus bonum. Patet, quia semper bonum commune est præferendum bono privato.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio. Inferior Judex non potest licitè pœnam alicui reo relaxare contra leges Principis superioris, & hoc quantumcunque accusator sit læsus: probatur: quia in nullo casu Judex inferior potest procedere licitè contra intentionem superioris. Igitur. consequentia est nota. Et antecedens patet ex primo notabili.

Secunda. Secunda conclusio, Judex supremus non potest alicui pœnam relaxare, ubi talis relaxatio noceret reipublicæ: probatur, quia nullus Judex debet facere licitè illud quod procedit in detrimentum reipublicæ: igitur. Patet consequentia. Et antecedens similiter, quia si Judex non ordinaret debitè bonum reipublicæ: sed ei nocumentum inferret, tunc non amplius esset Judex supremus: probatur: quia actus humani ordinari debent in aliquod bonum commune: scil. conferens.

Tertia. Tertia conclusio, Judex supremus potest alicui pœnam relaxare, & hoc si ille qui passus est assentiat, & non noceat reipublicæ: Probatur, quia hoc nulli obest & alicui prodest, & nulli fit detrimentum. Et in hoc Judex superior differt à Judice inferiori.

Dubium. Sed tunc est fortè dubium. Utrum Judex potest alicui relaxare pœnam, ubi non noceret reipublicæ, & ubi læsus non assentiret.

Respondetur distinguendo: quòd ille qui passus est vel est persona publica, vel est persona privata. Si privata, vel est vilis cujus absentia nulli noceret, vel persona honesta. Si honesta: sic quòd ejus præsentia multum prodest reipublicæ, & ejus absentia multum noceret. Si sit persona publica, etiam dicitur sicut prius.

Prima conclusio. Tunc sit prima conclusio responsiva: si ille qui passus est injuriam, sit persona publica, probabile est dicere, quòd Judex non potest sine ejus assensu pœnam relaxare alicui. Patet conclusio: quia hoc esset in detrimentum reipublicæ.

Secunda. Secunda conclusio: si passus injuriam sit persona privata vilis, Judex potest relaxare pœnam sine ejus assensu. Patet, quia si illa persona sit vilis, tunc nullum bonum sequitur ab ea.

Tertia. Tertia conclusio: si passus injuriam sit persona privata, honesta, & non vilis, cujus præsentia prodest reipublicæ, & absentia ejus noceret, non esset licitum Judici pœnam relaxare reo sine ejus consensu. Patet, quia hoc esset manifestè contra utilitatem reipublicæ.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, Dubitatur. Utrum Judex potest condemnare aliquem sine accusatione?

Dubium. Arguitur. Et arguitur quod sic. Nam justitia humana consequitur justitiam divinam: sed justitia divina aliquem condemnat sine accusatore.

Secundò sic: Nam accusator non requiritur ad judicium, nisi ad detegendum peccatum: sed sic est quòd peccatum potest esse ita publicum, ita quod non indigeat manifestatione. Patet consequentia. Et antecedens notum est.

In oppositum. Oppositum arguitur, quia actus judicandi debet esse inter duos, quorum unus est actor, & alter reus. igitur. Patet consequentia. Et antecedens est notum, quia judicare non est nisi discernere inter duos homines dando unicuique quod suum est.

Primum notabile. Sit igitur prima suppositio, Judex propriè est justitiæ interpretatio. Proba-

tur

Philosophi dicentis. Quinto Politicorum, quòd *hominum eorum*

Secundò supponitur, quòd actus judicandi non est ad seipsum, sed ad alterum, *Secundum notabile.*

Tertiò supponitur, quòd justitia solùm exercetur inter duas personas, quarum una est pars accusationis, vel tanquam accusans. Et alia est pars rea, vel *Tertium notabile.*

Ex ergo conclusio respondetur: nullus Judex humanus licitè potest aliquem *Conclusio responsiva.*
condemnare sine accusatione, vel aliquo tenente locum accusationis. Probatur, quia justitia, ut dictum est, exercetur solum inter duas personas: quarum una est accusans, & alia accusatus.

Ad rationes dubii. Ad primam negatur minor, & dicitur quòd in justitia *Ad rationes dubii.*
divina est, quod se habet per modum accusati, scilicet conscientia, vel ad aliud.

Ad secundam negatur major, quia accusator tenetur ad exercendum verum judicium. Et cum

Ad rationes quæstionis. Ad primam negatur minor: sed bene verum est, *Ad rationes quæstionis.*
quòd si Judex inferior humanus non plus astringatur legibus quàm supremus: ut Judex qui est Deus, quia ille Judex illis legibus astringitur: ergo non est simile.

Ad secundam negatur minor, quia si ille qui est læsus sit persona publica, & etiam si est persona privata, & nobilis, cujus præsentia prodest reipublicæ. Si non pœna relaxaretur, hoc esset in præjudicium reipublicæ.

Et sic habetur finis Tertii libri Politicorum.

LIBER QVARTVS POLITICORVM.

QVÆSTIO I.

De Judicio ferendo.

Circa initium quarti libri Politicorum. Quæritur. Verum judicium sit ferendum secundum leges scriptas?

Arguitur.

Et arguitur quòd non, Nam leges quandoque continent injustitiam, & illud quod est contra dictamen rectæ rationis. igitur. Consequentia patet. Et antecedens patet: quia leges dantur universaliter, & ita casus de novo emergentes sunt contra hoc, & ideo dicit in altiori facultate. Væ vobis qui condidis leges iniquas.

Secundò sic. Judicium est de singularibus casibus: sed nulla scripta lex omnes tales comprehendit: igitur. Major patet de se. Et minor probatur per Philosophum Quinto Ethicorum dicentem, quòd nunquam legislator imponendo leges potest respicere ad omnes casus particulares.

Tertiò sic, nam si leges scriptæ essent utiles, hoc esset quatenus per illas explicaretur sententia judicantis, seu Judicis. Sed propter hoc non est dicendum igitur. Major patet quia notum est, quòd in judiciis Judex est præsens, & sic potest exprimere sententiam suam sine lege scripta, & intentionem.

In Oppositum.

Oppositum arguitur, quia dicit Philosophus in Quarto hujus, quòd politicus in politia habet leges ponere, scil. secundum ordinem politiarum, & non è contra, & hoc non esset, nisi secundum leges scriptas in politia licitum esset judicare.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæstione. In secundo

Primus articulus.

videbitur, utrum judicium suspicionosum sit licitum. i. utrum aliquo modo sit licitum judicare per suspiciones.

Primum notabile.

Quantum ad primum articulum, Notandum est primò, quòd judicium non

est

id aliud quàm definitio, vel determinatio illius quod est justum, id est sententiam per intellectum practicum, & secundam debitam rationem & dictamen rectæ rationis, sic quod intellectus primo inquirit per discursum & postea concludit secundum intellectum verum.

Secundò notandum est, quod duplex est justum, quoddam est justum ex natura rei, & non ex pacto, seu constitutione facta inter homines; sicut diligere proximum, diligere patrem, non furari, & sic de aliis. aliud est ex pacto solo, seu institutione facta inter homines: ut quando regulæ ordinantur ab hominibus. primum justum est naturale: sed secundum jus est positivum, licet utrumque quandoque scribatur, & in hoc differunt. Nam jus naturale non habet robur & firmitatem ex scriptura, & auctoritate legislatoris imponentis: scilicet, quod tales leges scribantur à principe: sed jus positivum est à constit. *Secundum notabile.* *Duplex justum.*

Corollariè sequitur, quod jus naturale nullo modo est immutandum per voluntatem humanam. Patet, quia non potest aliter se habere. Et ad hoc dicit Philosophus, Secundo Ethicorum, *natura existentium non contingit aliter assumere.*

Secundum Corollarium, quod per humanam voluntatem jus positum potest mutari. Patet, quia hujusmodi jus habet robur & firmitatem ex voluntate humana.

Tertiò notandum est, quod aliquem judicare secundum legem scriptam potest intelligi dupliciter: Uno modo ferendo sententiam, secundum leges scriptas; & non secundum intentionem legislatoris. Alio modo secundum intentionem legislatoris, & non secundum verba legis; etiam concedendo literam, quantum facit ad intentionem legislatoris. *Tertium notabile.*

Item sciendum est quartò, quod ad hoc quod aliquis sit verus legislator oportet quod sua intentio verseture circa bonum commune; & circa bonum proprium, inquantum ordinatur ad bonum commune. Patet, quia alias non esset verus legislator, quia talis positio non esset lex, sed corruptio. *Quartum notabile.*

Sit igitur prima conclusio: non semper est licitum ferre sententiam, sive judicare secundum scriptum legis primo modo: scil. non procedendo secundum intentionem legislatori. Probatur, quia aliàs bonus & justus puniretur in aliquo casu de novo emergente. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: licitum est semper judicare secundum leges scriptas secundo modo, & hoc semper eundo secundum intentionem legislatoris. Patet, quia legislator debet se habere sic, quòd bonum suum verseture circa bonum commune. *Secunda.*

Ex isto patet quod licitè subditus in casu potest contraire legi scriptæ. Patet, quia si lex loquitur universaliter quòd nullus debet ascendere muros civitatis, nihilominus tamen aliquis in aliquo casu potest ascendere muros civitatis.

Secundò sequitur quod licitè subditus non potest contraire legi scriptæ ad sensum, ad quem legislator scripsit, patet ex dictis.

Ex isto sequitur quod ista non est vera, quòd illius est solum legem interpretari, cujus est condere. Apparet, quia non est dubium quod subditi non possunt legem condere, & tamen possunt leges interpretari, eundo contra literam legis, & eundo ad intentionem legislatoris.

Quantum

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum videndum est, Utrum per suspicionem licitum sit judicare.

Dubium. *Arguitur.* Arguitur quod sic, quia nisi sic, sequeretur quod nullum judicium humanum esset licitum. Consequens est falsum. Et patet consequentia, quia suspiciosum ut habetur Octavo Ethicorum est opinio juncta de re aliena mala. Modò in quocunque judicio humano est opinio incerta, quia judicium est circa malos actus singulares & particulares, in quibus multa sunt dubia.

Secundò, judicium illud est licitum, quod fit sine hoc quod fiat alteri injuria: sed sic est de judicio suspicioso. ergo. Major patet. Et minor probatur, quia judicium suspiciosum est in intellectu solùmmodo, & in hoc non fit alteri malum.

Primum notabile. Pro dubio est primò notandum, quod suspicio videtur importare malam opinionem ex levibus judiciis provenientem: leve enim judicium est quando homo judicatur sine prævia consideratione.

Secundum notabile. *Triplex est suspicio.* Secundò notandum est, quod triplex est suspicio: Nam quædam est quæ provenit eò quod homo qui suspicionem habet est malus, & ex hoc faciliter habetur judicium de hoc quod sit malus, quia ipsemet est conscius malitiæ suæ. Secunda suspicio est, quando aliquis ad alterum malè afficitur; ut ex invidia, ira, & odio. Tertia suspicio, quæ causatur ex longa experientia: & secundum hoc dicit Philosophus Secundo Rhetoricæ. *Senes sunt maximè suspiciosi*, quia sunt experti defectus aliorum multotiens, & quantum est diuturnior experientia, tanto minus habet de ratione suspicionis, & ideo oportet isto modo quod Judex sit suspiciosus; & ista non est omnino mala suspicio, & isto modo sumendo suspicionem potest verificari illud dubium, quòd vehemens suspicio potest esse causa sufficiens, ad hoc quòd aliquis torculari ponatur.

Tertium notabile. *Triplex gradus suspicionis.* Tertiò notandum est, quod triplex est gradus suspicionis. Primus est, quando aliquis ex levibus judiciis de bonitate alterius incipit dubitare, & sic est peccatum veniale. Secundus est, quando aliquis pro certo malitiam alterius existimat, & hoc tantum ex levibus judiciis, & si talis malitia sit mala, de qua sic existimat, & habet talem existimationem, tunc tale peccatum est grave, & magnum. Tertius gradus est, quando Judex per solam suspicionem procedit ad aliquem condemnandum, ut si Judex solùm procederet secundum suspicionem, & non haberet aliam viam.

Prima conclusio. Sit igitur prima conclusio: judicium suspiciosum quod fit solum per suspicionem est malum, & iniquum. Probatur, quia tale judicium importat dubium, & sic est semper malum judicare secundum illud, quia incertum est, sed debet fieri per testes.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: licet judicium suspiciosum sit malum & illicitum, ex modo quo dicit conclusio præcedens, tamen suspicio tertio modo dicta potest esse sufficiens causa ad inquirendum veritatem alicujus facti. Prima pars patet ex conclusione præcedenti. Secunda pars patet, quia semper debet fieri inquisitio veritatis ex modo quem decet.

Ad rationes dubii. Et tunc ad rationes dubii. Ad primam negetur consequentia, & negetur quod in quolibet judicio sit ambiguitas quando fit bono modo, scilicet per probationes bonorum testium.

Ad secundam conceditur major, & ad minorem dicitur, quod si talis suspi-

cetur

cetur ex facilibus judiciis levibus, & non operetur ad extra suspicio malum, tunc est licitum: & tamen est peccatum veniale, & si non operetur ad extra, tunc est valde malum.

Ad rationes quæstionis, ad primam negetur minor, loquendo de lege secundum intentionem legislatoris, secundum quam debent capi leges scriptæ. *Ad rationes.*

Ad secundam conceditur major, & dicitur ad minorem, quod omnes casus particulares continentur secundum leges scriptas virtualiter, scil. ostendendo, & judicando secundum intentionem legislatoris, quia legislator voluit, quod casus particulares de novo emergentes debent disponi secundum intentionem Judicis, & discretionem.

Ad tertiam, ad minorem dicitur quod adhuc debet lex esse scripta, licet Judex sciat promulgare sententiam, ad hoc ut nullus sciat se excusare.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO II.

De Politiarum Comparatione:

Quæritur secundò, Utrùm inter omnes politias Tyrannis sit pejor? *Arguitur.*

Et arguitur primò quod non: nam illa politia non est pessima quæ continet in se aliquid boni, sed Tyrannis est hujusmodi. Major patet, quia pessimum nihil boni continet. Minor patet, quia Tyrannis continet bonum proprium, scil. Tyranni. Modo bonum sub ratione boni est finis politiæ.

Secundò sic: Tyrannus vehementer reprimit adversarios. ergo sua politia continet aliquid boni. Patet consequentia, & antecedens est Philosophi. Et patet etiam per experientiam.

Tertiò sic: Democratia, & Oligarchia sunt pejores Tyrannide. igitur. Consequentia est nota. Et antecedens probatur, quia illud est pejus, quod in se plura mala continet, quàm quod pauciora mala continet, modò Oligarchia, & Democratia plura mala continent, quam Tyrannis. igitur &c.

Quartò sic: Oligarchia, & Tyrannis est unus & idem modus. ergo Tyrannis non est pejor. Patet consequentia ex terminis. Et antecedens est Philosophi Quarto hujus idem dicentis in forma.

Quintò si sic, hoc maximè esset eò quòd Tyrannus in Tyrannide malè consideraret, sed propter hoc non est dicendum. Major patet, quia non videtur alia causa. Minor probatur, quia politicus nullo modo se habet intromittere de legibus, nec quantum ad constitutionem, nec quantum ad complementum ejus, quia principes leges constituunt, & tamen non habent istam scientiam. igitur sequitur propositum.

Oppositum est de intentione Philosophi Quarto hujus in principio, & probatur ratione sic. Nam Tyrannis in politia omnia possibilia mala inveniens continet. ergò est pejor. Consequentia est nota, & antecedens patet per Philosophum Quinto hujus dicentem, quòd *Tyrannis excellentes perimit, studia destruit, animam civium dissolvit, & destruit; & universaliter* *In oppositum.*

Quartò sic, & est ratio Senecæ in libro de ira; illud non est licitum quod est contra naturam hominis. sed irasci est hujusmodi. igitur. major patet per Philosophum Secundo hujus. & minorem probat Seneca per longum processum, dicens quod homini mitius est si in recto animo habitus est.

Quintò sic. nullus bonus seu virtuosus gauderet de punitione alterius; quia si irasci licitum esset, etiam licitum esset gaudere de punitione alterius. igitur. major patet per eundem. & minor patet quia irasci includit vindictæ appetitum.

Sextò quia si sic, hoc maximè esset in actibus bellicis, sed hoc non. quia fortitudo est virtus modò absit quod virtus vitio commisceatur, & patet consequentia, quia dicit Homerus, *virtutem immitte furori.*

In oppositum. Oppositum arguitur. illud est bonum cujus oppositum est illicitum. sed nunquam vel raro irasci est illicitum. ergo. major patet de se. Et minor patet, nam dicit Philosophus Quarto Ethicorum expressè, injuriantem sustinere & nunquam moveri ad vindictam servile est. modo servilitas est pessima conditio ut habetur primo hujus per Albertum hoc dicentem. In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, Primò notandum, quòd ira apud morales & politicos est passio appetitus per quem quis appetit punitionis vindictam sibi factæ. ita quòd ira non est nisi motus ad vindictam parvi pensionis illatæ. Ex quo sequitur primo, quòd ira est passio appetitus sensitivi. apparet ex alio, q[uia] est accensio sanguinis circa cor.

Primum notabile.

Quid ira.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd duplices sunt passiones, quædam sunt c[um] voluntate malitiis sic quòd non possunt bene fieri, ut tristari de bono alteriu[s]

duplices sunt passiones. sunt quæ non sunt malæ nisi secundum defectum, vel superabundan[tiam] illæ non sunt malæ de se; & est differentia inter istas & illas; nam in[ter] b[onas] dictis primo modo non reperiuntur vitia annexa, vel extrema inte[r se] medium virtuosum patet, quia nisi sic, de se non essent malæ. sed inter p[as]secundo modo reperitur medium virtuosum. patet satis.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd contingit dupliciter irasci. uno modo pra[e]

dupliciter quis irascitur. endo judicium rationis, alio modo imitando judicium rationis & intelle[ctus] primo modo est verum illud scripeum. *Ira impedit animum ne possit cernere verum.* Et causa est, quia dum intellectus est in homine licet non sit virtus organica, tamen semper indiget aliis sensibus, quæ impediuntur per commotionem sanguinis.

Quartum notabile. Quartò notandum est, quòd semper ira tristitiam concomitatur, & delectatio respectu appetitus vindictæ, & licet quòd ibi sint duo oppositi, respectu tamen diversorum.

Quintum notabile. Quintò notandum est, quòd ira non est formaliter tristitia secundum veritatem. probatur, nam contingit tristitiam esse sine ira. igitur. antecedens probatur, quia si unus magnus dominus forfecerit uni pauperi, tristatur; & non irascitur, quia non appetit vindictam, nec pauper sperabit vindictam.

Sextum notabile. Sextò supponitur, quòd ira non est formaliter nec realiter delectatio. probatur, quia in actu vindictæ ira diminuitur, & tamen delectatio intenditur. ergo. ira non est delectatio. patet consequentia. & prima pars antecedentis patet. Nam dicit Philosophus Quarto Ethicorum, quòd *punitio quietat impetum animæ,*

ma. Et secunda pars antecedentis apparet de se, quia quamdiu aliquis appetit aliud & obtinet illud tunc delectatur.

Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio. irasci præveniendo Judicium rationis est illicitum. probatur, quia irasci contra dictamen rectæ rationis est illicitum. sed irasci est hujusmodi. igitur. major patet, & minor, quia actus bonus debet præsupponere Judicium rectæ rationis. & actus ille est vitiosus qui hoc impedit. Secundo illicitum est irasci illo modo, quo præbetur aliis occasio peccandi, sed hoc est, si aliquis irascitur præveniendo Judicium rationis. quia facit rationis dispositionem ad hoc quòd sit perversa. ad cujus perversionem multa mala sequuntur postea. *Prima conclusio.* *Secundus articulus.*

Secunda conclusio in oppositum, irasci est vitiosum, & malum. probatur, quia illud est malum per quod aliquis apparet imprudens. sed hoc est si aliquis nunquam irascitur. igitur & per consequens, consequentia bona, quia dat occasionem malignandi, & peccandi. Et probatur minor, quia homo tunc nunquam cognosceret injurias sibi factas. Et ex hoc patet, quòd homo esset brutum. *Secunda conclusio.*

Secundò sic, non est bonum nunquam esse vindicativum, seu punitivum alicujus mali. sed si homo irascitur, est hujusmodi. igitur.

Tertiò sic, illud est illicitum quod est servile. patet, quia servilitas est pessima [illegible]passio. sed nunquam irasci est hujusmodi. ut ponit Philosophus.

[illegible]illicitum per quod datur aliis occasio delinquendi. sed hoc [illegible] ergo. major patet de se. minor patet, quia sic nunquam [illegible]ffet timor de malo.

[illegible] non est passio intrinsecè mala. ergo irasci nunquam [illegible]ientia, quia inter duo extrema est dare medium. Et [illegible] ira nihil aliud est quam appetitus vindictæ propter [illegible]t hoc est licitum in casu. Item dicit Homerus *virtutes* [illegible]a vires sunt aliquando ita læsæ quod nisi fortificarentur. [illegible]

[illegible]aliquo casu est licitum irasci, scilicet ubi, quando, quo- [illegible]ertet. patet quia nunquam irasci est malum, ergo irasci est *sic.* *Tertia conclusio.*

[illegible]d est licitum & bonum quod est natum juvare virtutem. sed ira [illegible]mujusmodi. igitur patet per prædicta.

Tertiò sic, *Deus & natura nihil faciunt frustrà.* Primo Cœli & Mundi, & Tertio de Anima, modo aliquibus animalibus ira inest à natura & vindicta. igitur. major patet, quia nulla naturalis inclinatio mala est de se. Et minor patet de multis animalibus quæ irascuntur à natura. Verùm tamen Seneca oppositum determinat in libro de Ira, scilicet quòd virtuosum est hominem se ostendere iratum, vel talem qualem ostenderet se ille qui est iratus, quoad actus exteriores.

Ad rationes ad primam conceditur major & etiam minor loquendo de ira quæ sit præveniendo judicium rationis. *Ad rationes.*

Ad secundam negetur minor, si fiat ira cum debitis circumstantiis, scilicet quando, ubi, quomodo, & qualiter oportet; & si fiat cum deliberatione, & sapientia.

omnem potestatem à communitate & excellentia virtutis annullat.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo utrum politicus habeat se intromittere de legibus.

Primum articulus.

Primum notabile.

Differentia Regis & Tyranni.

Quantum ad primum articulum Primò notandum, quod differentia est inter Regem & Tyrannum; quia rex in suo regno est monarcha, & omnia quæ intendit ordinat ad bonum commune, & ad bona suorum subditorum. Ex quo patet quod rationabiliter dicitur, quòd rex in sua politia non debet habere potestatem limitatam, immo debet esse summus. Sed Tyrannus est, qui vocatus est Monarcha in sua politia, & omnia quæ considerat, considerat ad bonum proprium, & nullo modo ad bonum commune.

Secundum notabile.

Secundò notandum est, quòd quanto aliquis plus distat ab optimo in aliquo genere, tanto illud est pejus. Patet suppositio, quia quanto plus distat, tanto habet minus de bonitate.

Tertium!

Tertiò notandum est, quòd inter omnes politias rectas regnum est principalissimum, & optima politia. Patet, quia quanto aliquis politia plus assimilatur primæ politiæ est melior, sed regnum est hujusmodi. igitur. Unde regnum maximè assimilatur universali machinæ mundi, in qua unus solus principatur, scilicet Deus gloriosus. Etiam dicit Philosophus, *pluralitas principatuum mala, unus ergo princeps.*

Quartum.

Quartò notandum est, quòd quanto aliqua politia plus distat ab illo, quod intenditur in recta politia, tanto est deterior. Unde illud quod principaliter intenditur in recta politia est bonum commune.

Prima conclusio responsiva.

Istis positis sit prima conclusio, & responsiva: inter omnes politias Tyrannis est pessima politia. Patet, quia in Tyrannide plus sit recessus ab illo quod intenditur in recta politia. igitur. Consequentia est nota per notabile. Et antecedens notum est quòd Tyrannus in Tyrannide semper intendit bonum privatum, & bonum proprium: sed in Oligarchia licet plures intendant bonum privatum; illud tamen fit ad bonum commune.

Secundò: illa est politia pessima, quæ maximè distat ab optima politia, Sed Tyrannis est hujusmodi. igitur est pessima. Minor patet, quia dicit Philosophus quòd *Tyrannis est transgressio regni*: modò inter omnes politias regnum est optima, propter quod dicit Philosophus Quinto hujus, quòd *minus malum est interficere Tyrannum, quam homicidam*: quia homicida non facit immediatè contra bonum commune, sicut facit Tyrannus.

Secundum articulus.

Primum notabile.

Quid lex.

Quantum ad secundum articulum, Sciendum est, quòd sicut colligitur ex dictis Philosophi: lex est enunciatio universalis enuncians de agibilibus ordinatis in finem politiæ. Ex quo sequitur quòd ad bonum regimen politiæ necessariæ sunt leges.

Secundum notabile.

Secundò notandum est, quòd ad rectam legis institutionem & ordinationem primo requiritur prudentia, & scientia ex parte imponentis. Secundo requiritur virtus coerciva rebellium & nolentium legibus obedire.

Tertium notabile.

Tertiò notandum est, quòd ad eandem scientiam pertinet ordinare de fine, & de mediis ad finem; quia ordinata ad finem non habent bonitatem, nisi ex parte finis.

Prima conclusio.

Istis præmissis sit prima conclusio, quantum ad primum requisitum ad leges instituendas politicus & habens scientiam politicam habet leges condere. probatur,

bitur, quia ad hoc quod leges bene instituantur, requiritur prudentia, & scientia, quod omnis scientia condere habens leges, & constituere, supponitur istis scientiæ: quia hæc scientia est radix fundamentum legum. ergo debet habere debita principia, & debitam scientiam.

Secunda conclusio quantum ad secundum requisitum, ad leges instituendas & corrigendas vir politicus, ut sic, non habet leges constituere. Sed Princeps habet ista curare. patet, quia secundum requisitum est virtus coerciva; modo vir politicus de hoc non habet considerare, nec curare. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio: non obstante secunda conclusione vir politicus habet legem considerare, quantum ad constitutionem, scilicet dando principia, & consilia circa ista tria. patet, quia ad legis institutionem requiritur prudentia. Secundò requiritur ad directionem. apparet, quia lex est enunciatio universalis, modò oportet quòd talis dirigatur; scilicet quoad correctionem. patet, quia licet non habeat corrigere malefactores, tamen bene habet dare consilia & media, ut corrigantur secundum leges posita. *Tertia conclusio.*

Tunc respondetur ad rationes, ad primam conceditur major. & hoc modo si habeatur aliquid boni, ad minorem dicitur, quòd Tyrannus habet bonum proprium; modò hoc non est bene. *Ad rationes.*

Ad secundam negatur antecedens. ad probationem negatur, quia licet in Oligarchia sunt multi homines intendentes bonum proprium, tamen ex illis bonis resultat unum commune.

Item virtus unita fortior est seipsa dispersa, modò in Tyrannide est malitia unita, Sed in Oligarchia est dispersa, & non est ita potens ad nocendum.

Ad quartam dicitur quod verum est quoad aliqua; tamen quoad aliqua alia Tyrannis plus continet. tamen est idem quoad procurare bonum privatum, & proprium.

Ad quintam conceditur quod ibi deficiunt multa ad legem requisita scilicet prudentia, & virtus coerciva. & sic ratio non procedit, neque aliquid concludit contra dicta.

QUÆSTIO III.

De ira passione.

QUæritur tertiò. Utrum in aliquo licitum sit irasci.

Arguitur quòd non. in nullo casu est licitum illud quod est contra dictamen rectæ rationis. sed irasci est hujusmodi. igitur. major patet de se. minor probatur. Nam secundum omnes morales, & Poëtas *ira impedit animum ne possit cernere verum*; & per consequens animum impedit à recta ratione. *Arguitur.*

Secundò sic. illud non est licitum à quo multa mala & enormia veniunt, sed hoc est ex ira, quia inde veniunt dissentiones, & homicidia. igitur.

Tertiò sic. illud non est licitum quod est cum tristitia, sed ira est hujusmodi. igitur. Major patet per Philosophum dicentem, quòd corrumpit animum. Minor patet ex definitione iræ.

Quartò sic, & est ratio Senecæ in libro de ira; illud non est licitum quod est contra naturam hominis. sed irasci est hujusmodi, igitur. major patet per Philosophum Secundo hujus. & minorem probat Seneca per longum processum, dicens quod homini mitius est si in recto animo habitus est.

Quintò sic. nullus bonus seu virtuosus gauderet de punitione alterius; quia si irasci licitum esset, etiam licitum esset gaudere de punitione alterius. igitur. major patet per eundem. & minor patet quia irasci includit vindictæ appetitum.

Sextò quia si sic, hoc maximè esset in actibus bellicis, sed hoc non. quia fortitudo est virtus modò absit quod virtus vitio commisceatur, & patet consequentia, quia dicit Homerus, *virtutem immitte furori.*

In oppositum. Oppositum arguitur. illud est bonum cujus oppositum est illicitum. sed nunquam vel raro irasci est illicitum. ergo. major patet de se. Et minor patet, nam dicit Philosophus Quarto Ethicorum expressè, injuriantem sustinere & nunquam moveri ad vindictam servile est. modo servilitas est pessima conditio ut habetur primo hujus per Albertum hoc dicentem. In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, Primò notandum, quòd ira apud morales & politicos est passio appetitus per quem quis appetit punitionis vindictam sibi factæ. ita quòd ira non est nisi motus ad vindictam parvi pensionis illatæ. Ex quo sequitur primo, quòd ira est passio appetitus sensitivi. apparet ex alio, quia est accensio sanguinis circa cor.

Primum notabile.

Quid ira.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd duplices sunt passiones, quædam sunt circumvolutæ malitiis sic quòd non possunt bene fieri, ut tristari de bono alterius. Aliæ sunt quæ non sunt malæ nisi secundum defectum, vel superabundantiam. & illæ non sunt malæ de se; & est differentia inter istas & illas; nam in passionibus dictis primo modo non reperiuntur vitia annexa, vel extrema inter quæ sit medium virtuosum patet, quia nisi sic, de se non essent malæ. sed inter passiones secundo modo reperitur medium virtuosum. patet satis.

duplices sunt passiones.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd contingit dupliciter irasci. uno modo præveniendo judicium rationis, alio modo imitando judicium rationis & intellectus. primo modo est verum illud scripcum. *Ira impedit animum ne possit cernere verum.* Et causa est, quia dum intellectus est in homine licet non sit virtus organica, tamen semper indiget aliis sensibus, quæ impediuntur per commotionem sanguinis.

dupliciter quis irascitur.

Quartum notabile. Quartò notandum est, quòd semper ira tristitiam concomitatur, & delectatio respectu appetitus vindictæ, & licet quòd ibi sint duo opposita, respectu tamen diversorum.

Quintum notabile. Quintò notandum est, quòd ira non est formaliter tristitia secundum veritatem, probatur, nam contingit tristitiam esse sine ira, igitur. antecedens probatur, quia si unus magnus dominus forfecerit uni pauperi, tristatur, & non irascitur, quia non appetit vindictam, nec pauper sperabit vindictam.

Sextum notabile. Sextò supponitur, quòd ira non est formaliter nec realiter delectatio, probatur, quia in actu vindictæ ira diminuitur, & tamen delectatio intenditur. ergo. ira non est delectatio. patet consequentia. & prima pars antecedentis patet. Nam dicit Philosophus Quarto Ethicorum, quòd *punitio quietat impetum animi,*

ma. Et secunda pars antecedentis apparet de se, quia quamdiu aliquis appetit aliud & obtinet illud tunc delectatur.

Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio. irasci præveniendo Judicium rationis est illicitum. probatur, quia irasci contra dictamen rectæ rationis est illicitum. sed irasci est hujusmodi. igitur. major patet, & minor, quia actus bonus debet præsupponere Judicium rectæ rationis. & actus ille est vitiosus qui hoc impedit. Secundo illicitum est irasci illo modo, quo præberet aliis occasio peccandi, sed hoc est, si aliquis irascitur prævèniendo Judicium rationis. quia facit rationis dispositionem ad hoc quòd sit perversa. ad cujus perversionem multa mala sequuntur postea. *Prima conclusio.* *Secundus articulus.*

Secunda conclusio in oppositum, irasci est vitiosum, & malum. probatur, quia illud est malum per quod aliquis apparet imprudens. sed hoc est si aliquis nunquam irascitur. igitur & per consequens. consequentia bona, quia dat occasionem malignandi, & peccandi. Et probatur minor, quia homo tunc nunquam cognosceret injurias sibi factas. Et ex hoc patet, quòd homo esset brutum. *Secunda conclusio.*

Secundò sic, non est bonum nunquam esse vindicativum, seu punitivum alicujus mali. sed si homo irascitur, est hujusmodi. igitur.

Tertiò sic, illud est illicitum quod est servile. patet, quia servilitas est pessima conditio, seu passio. sed nunquam irasci est hujusmodi. ut ponit Philosophus. ergo.

Quartò sic, illud est illicitum per quod datur aliis occasio delinquendi. sed hoc est per nunquam irasci. ergo. major patet de se. minor patet, quia sic nunquam fieret punitio, & sic non esset timor de malo.

Quintò sic, irasci de se non est passio intrinsecè mala. ergo irasci nunquam est illicitum. tenet consequentia, quia inter duo extrema est dare medium. Et antecedens probatur, quia ira nihil aliud est quam appetitus vindictæ propter parvi pensionem factam. & hoc est licitum in casu. Item dicit Homerus *virtutem immitte furori*. quia vires sunt aliquando ita læsæ quod nisi fortificarentur per sanguinem deficerent.

Tertia conclusio. in aliquo casu est licitum irasci, scilicet ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet. patet quia nunquam irasci est malum. ergo irasci est licitum. *Tertia conclusio.*

Secundo, illud est licitum & bonum quod est natum juvare virtutem. sed ira est hujusmodi. igitur patet per prædicta.

Tertiò sic, *Deus & natura nihil faciunt frustrà*. Primo Cœli & Mundi, & Tertio de Anima, modo aliquibus animalibus ira inest à natura & vindicta. igitur. major patet, quia nulla naturalis inclinatio mala est de se. Et minor patet de multis animalibus quæ irascuntur à natura. Verùm tamen Seneca oppositum determinat in libro de Ira, scilicet quòd virtuosum est hominem se ostendere iratum, vel talem qualem ostenderet se ille qui est iratus, quoad actus exteriores.

Ad rationes ad primam conceditur major & etiam minor loquendo de ira quæ fit præveniendo judicium rationis. *Ad rationes.*

Ad secundam negetur minor, si fiat ira cum debitis circumstantiis, scilicet quando, ubi, quomodo, & qualiter oportet; & si fiat cum deliberatione, & sapientia.

Ad tertiam negetur antecedens. & dicitur quòd circa malum objectum ſunt habitus virtuoſi, ut fortitudo eſt licita, & tamen eſt circa periculum mortis.

Ad quartam quæ eſt ratio Senecæ negetur minor; quia natura quibuſdam brutis iram ordinavit, ſed bene iraſci præveniendo judicium rationis, vel aliter quam debet eſt contra naturam. i, e. contra naturalem inclinationem.

Ad quintam negetur minor, quia homo appetens correctionem alterius poteſt mereri in caſu quia ſtat quòd idem actus in eſſentia fiat bene & male moraliter; & etiam quòd nec benè, nec malè.

Ad ſextam negetur minor. & ad Senecam concedendo dictum Senecæ, ſcil. quòd virtus nunquam vitio immiſcetur. Et dicitur, quòd ratio ſupponit falſum, ſcilicet quòd ira ſit vitium.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis in quæſtione.

QUÆSTIO IV.

De Adulatione.

Quæritur quartò. Utrum adulatio ſit mala & illicita?

Arguitur. Et arguitur quòd non; nam adulatio eſt indicatoria amicitiæ, ergo non eſt illicita. conſequentia tenet, quia amicitia eſt virtus, vel ſaltem non eſt ſine virtute. antecedens patet. Nam videmus quod adulatores multùm diliguntur ab illis quibus adulantur.

Secundò. nam adulatio conſiſtit in ſermone laudis alteri attribuendo intentionem placendi. ſed talis ſermo laudis non eſt vitioſus. ergo nec illicitus, ergo adulatio non eſt illicita. conſequentia eſt nota. Et minor etiam, videmus enim quòd adulatio talis ſecundum veritatem non eſt aliud quàm talis ſermo. Et minor probatur, quoniam quandoque talis ſermo eſt virtuoſus.

Tertiò ſic. vituperare malum quandoque eſt bonum & licitum. ergo laudare bonum ad virtuoſum ſpectat. igitur major patet, quia malum eſt repellendum. minor nota eſt.

Quartò ſic. detractio illicita eſt & vitioſa, ergo adulatio eſt virtuoſa. patet conſequentia, quia detractio & adulatio contrariantur, quia detractio eſt vituperare alium in abſentia; adulatio eſt ipſum laudare in præſentia.

Quintò ſic. illud eſt principium boni quod eſt boni indicativum. ſed adulatio eſt hujuſmodi, igitur &c. major patet, quia per adulationem homo famatur, & per talem famam notificatur bonitas.

In Oppoſitum. Oppoſitum arguitur, quia adulator non eſt bonus, neque virtuoſus. igitur, conſequentia eſt nota, & antecedens eſt Philoſophi Secundo Rhetoricæ dicentis, quòd *adulator eſt qui apparet eſſe amicus, & non eſt.*

In quæſtione erunt duo articuli. In primo ponuntur notabilia. In ſecundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, Notandum eſt primò, quod in ſermonibus & actibus humanis tripliciter ſe poteſt habere homo. Primo modo, quia omnia

Primum notabile. facta ſua refert ad hoc quòd alteri placeat. Nec facit aliquid quod ſit indicativum

tem tristitiæ. Sed alii sunt qui omnia verba & facta quantum possunt convertunt in tristitiam, sic quòd nihil faciunt quod sit indicativum lætitiæ, & complacentiæ. Sed sunt alii homines qui faciunt delectabilia, quando, quomodo, ubi, & qualiter oportet. & tales vocantur Eutrapeli, & sunt homines virtuosi. Modo in proposito adulatores sunt in primo genere & non de secundo vel tertio.

Secundò notandum est, quod aliquis omnia dicta sua & facta potest referre ad complacentiam dupliciter. uno modo solùm sub intentione placendi, & talis homo vocatur placidus. alio modo ad placidum aliis & tandem ad aliquod lucrum consequendum, & talis propriè vocatur adulator. Unde adulator potest sic describi. Adulator est qui omnia dicta sua, & facta refert ad placendum illi cui adulatur, sive bona sint, sive mala, & hoc propter lucrum consequendum. Ex isto apparet, quod adulator est avarus, & malus. patet de se. *Secundum notabile.* *Quid adulator*

Tertiò notandum est, quòd adulator dupliciter capitur. uno modo pro quodam habitu quo quis eligit omnia quæ dicit, & quæ facit, operari & dicere alicui, cui adulatur propter commodum. secundo modo capitur pro actu procedente ex tali habitu. *Tertium, dupliciter capitur adulator.*

Quartò notandum est, quòd in adulatione triplex malum reperitur. & hoc secundum quod dicit Beatus Augustinus primo ex parte materiæ circa quam est adulatio, secundum malum est ex parte intentionis, quia intendit commodum consequendum. tertium est ex parte occasionis. primum patet, quia laudat falsum & alium in suo forefacto. Nam sicut virtus laudata crescit, ita vitium laudatum crescit. *Quartum. In adulatione triplex malum.*

Secundum malum ex parte intentionis, scilicet quòd intendit commodum consequendum, & sic ibi est avaritia, quæ est multum malum. Tertium est ex parte occasionis, quia præbet occasionem peccandi illi cui adulatur; scil. quòd superbiat, & capiat vanam gloriam.

Quintum notandum est, quòd aliquis potest aliquem laudare dupliciter. uno modo de bono opere. alio modo de malo. Sed de malo hoc est contra amicitiam & caritatem, quia fovet alium in malo. Si primo modo hoc potest esse dupliciter, aut ut laudatus perseveret, & proficiat; & hoc est bonum & virtuosum. alio modò quatenus ipsum de bono retrahat & perversat propter commodum obtinendum, & est injustum & vitiosum. *Quintum.*

Ex quo etiam sequitur quòd tunc circa laudem hominis etiam de bono contingit deficere vitiosè, & superabundare, & vitiosè agere. patet ex notabili.

Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio: sumendo adulationem pro tali habitu omnis adulatio est mala. probatur, quia omnis talis adulatio includit in se tria mala. igitur est illicita. consequentia est nota. & antecedens etiam. *Secundum articulum.* *Prima conclusio.*

Secundò sic: omnis habitus naturalis qui de se inclinat voluntatem ad actus illicitos, est vitiosus & malus. Sed adulatio est hujusmodi. igitur. consequentia est nota ex terminis. major patet ex quid nominis adulationis.

Secunda conclusio: sumendo adulationem pro actu procedente à tali habitu, omnis adulatio est mala & illicita. Probatur, quia omnis actus procedens ab habitu vitioso est malus, sed adulatio capta sic est hujusmodi. ergo est mala. pa- *Secunda conclusio.*

tet, quia actus dicitur bonus vel malus ſecundum quòd procedit ab habitu malo vel bono. Et minor nota eſt de ſe.

Secundò ſic: omnis ille actus eſt vitioſus & illicitus, quo anima proximi damnatur quantum eſt in eliciente actum illum; ſed adulatio eſt hujuſmodi. ergo eſt mala & illicita. major patet, quia inhumanum eſt aggravare animam proximi. Et minor probatur, quia in tali actu eſt triplex malum, ſicut dictum eſt.

Corollaria.

Ex iſta concluſione ſequitur corollariè, quòd ſi aliquis aliquem laudat de bono opere, ſolùm gratia placendi illi quem laudat, talis actus vocatur placidus & non adulatio. patet, quia ad adulationem adhuc oportet quòd laudaret propter aliquod lucrum conſequendum.

Secundò ſequitur, quòd affabilitas & patientia non ſunt actus adulatoris. patet, quia affabilitas ordinat & facit ad complacendum aliis ſolùm.

Tertiò ſequitur, quòd non eſt inconveniens duo extrema oppoſita eſſe illicita, & vitioſa.

Ad rationes

Tunc ad rationes. Ad primam conceditur illa de vera amicitia. Unde triplex eſt amicitia. Nam quædam eſt propter utile, & illa reperitur in adulatione.

Triplex eſt amicitia.

Secunda eſt propter bonum delectabile, & ſic illa eſt mala. Alia eſt propter bonum honeſtum quæ ſua virtute nos trahit, & ſua vi nos allicit.

Ad ſecundam negetur antecedens. & dicitur quòd hoc non ſufficit ad propriam rationem adulationis. immò oportet quòd fiat propter bonum inde conſequendum, & in laudando contingit deficere, & ſuperabundare, & medio modo ſe habere. ut dictum eſt.

Ad tertiam conceditur antecedens. & hoc ſi fiat cum debitis circumſtantiis, ut ſi ſciam quòd proximus meus ſit malus, & dicam illud vituperando eum in communitate, non bene facio, & contingat in medioſe habere.

Ad quartam negetur conſequentia, quia opponitur, & non eſt inconveniens quòd ambo oppoſita ſint mala, immo multotiens hoc reperitur in moralibus.

Ad quintam negetur minor. ad probationem conceditur, ſed hoc non facit cum debitis circumſtantiis, quia excedit in hoc quòd omnia dicta ſua & facta ordinentur ad placendum alteri. Et etiam quòd hic facit propter malum finem.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO V.

De mulierum contractibus.

QUæritur quintò. Utrùm expediat in civitate & politia mulieres contractus facere civiles.

Arguitur.

Arguitur primò quòd ſic. Nam mulieres participant de juſtitia. igitur &c. patet conſequentia, quia per habitum Juſtitiæ quis dirigitur in contractibus civilibus. Et antecedens patet per Philoſophum Quinto Ethicorum dicentem, quòd *inter virum & mulierem eſt jus conjugale.*

Secundò ſic, in mulieribus eſt injuſtitia, ergo & juſtitia. tenet conſequentia, quia

quia *opposita sunt circa idem*, & antecedens patet per Philosophum Quinto hujus dicentem, *mulieres frequenter patiuntur injustum*.

Tertiò sic, mulieres participant de prudentia. igitur. patet consequentia, quia *per actum prudentialem*, ut dicitur Sexto Ethicorum *quis dirigitur in agibilibus*. & antecedens est notum per experientiam.

Quartò sic, mulieres participant ratiocinationem. igitur. patet consequentia, quia prudentia est habitus ratiocinativus. & antecedens est notum.

Quintò sic, mulieres sunt viris æquales. igitur. patet consequentia. & antecedens ex secundo Oeconomicæ.

Sextò sic, vir & uxor sunt ejusdem speciei. ergo eorum sunt eædem operationes. tenet consequentia, quia quæ sunt ejusdem speciei debent participare eisdem operationibus. ut patet in naturalibus. Et antecedens est notum.

Septimò sic, mulieres participant Justitia Commutativa. igitur mulieres expedit facere contractus civiles. Antecedens patet, quia mulieres faciunt opera Justitiæ commutativæ.

Octavò sic, licitum est servis facere contractus civiles. ergo & mulieribus. patet consequentia per locum à majori, antecedens patet per experientiam, quia servi à natura mittuntur ad longinquas partes ad faciendum contractus civiles.

Oppositum est de intentione Philosophi dicentis, quòd *vir & mulier habent distincta officia*. modo Secundo Oeconomicæ dicitur, quod *viri opus est facere contractus civiles, & mulieris non*. hoc etiam dicit Albertus. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum primò notandum est quòd contractus civiles sic se habent, quòd habent consistere in emptionibus & venditionibus rerum pertinentium ad civitatem; quia civitas debet esse per se sufficiens, & ideo oportet quòd civitas constituatur ex pluribus dissimilibus; quia si non, tunc statim civitas non esset per se sufficiens. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd opinio aliquorum fuit, quòd licitum est mulieres contractus facere civiles. probatur, quia illud est licitum quo posito mulier non esset serva; quia magna servitus est quòd mulieres non possunt facere contractus civiles. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd contractus civiles maximè si sint notabiles, & intricati indigent magna prudentia, & magna præconsiliatione. ergo si facientes tales contractus non essent prudentes, & præconsiliati, frequenter deciperentur. & hoc esset in malum totius civitatis, & Reipublicæ. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd sicut dicitur primo hujus, *quamquam idem organum debet ordinari ad diversa officia, quorum unum est impeditivum alterius* & sic unum organum habet solum unum finem. *Quartum.*

Quintò sciendum est, quòd [contractus civiles mulieres facere] potest intelligi dupliciter. uno modo quòd faciant sine auctoritate & licentia viri sui. alio modo cum licentia viri, & consensu ejusdem. *Quintum.*

Sextò notandum est, quòd de ratione contractus civilis liciti est, quòd principaliter ordinetur ad bonum commune: licet de per accidens ordinetur ad bonum privatum. Et ideo dicit Philosophus quarto hujus divitiæ sunt una pars *Sextum.*

necessaria in civitate, quia civitas debet esse per se sufficiens.

Septimum notabile. Septimò notandum est, quod contractus civiles sunt duplices: quidam sunt magni & nobiles, alii sunt parvi, & debiles.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum Sit prima conclusio: in contractibus civilibus, facilibus, & remissis, quandoque expedit mulieres facere contractus civiles. Ista conclusio est de intentione Philosophi, & allorum de opinione recitata in secundo notabili; quia aliàs mulier esset totaliter serva. Etiam in casu, si vir non esset sufficiens & potens.

Prima conclusio.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: licitum est in civitate mulieres facere contractus magnos & notabiles, si fiant cum consensu viri. Patet, quia in casu mulier habet locum viri. Et ideo dicit Philosophus, *qui per alium facit per seipsum facere videtur*: & ideo vir dicitur illud facere; verum tamen vir in tali casu omnino assensum præbet, quia mulieres de facili decipiuntur. Et ideò dicit Philosophus primo Oeconomicæ; *Natura debilem fecit mulierem, tam ad motum corporis, quam ad motum rationis.*

Tertia conclusio Responsiva. Tertia conclusio & responsiva. Non expedit mulieri facere contractus civiles in civitate, ubi sunt notabiles intricati, maximè sine consensu viri.

Probatur ex quadruplici fundamento. Primum fundamentum est, quod vir & mulier habent distincta officia. Nam mulier debet vacare circa illa quæ sunt in domo facienda, & in signum hujus natura ordinavit, lac in muliere ad nutriendum pueros in domo. Vir autem aliud habet officium facere: scilicet contractus civiles, & hoc est officium viri, ut dicit Philosophus.

Secundum fundamentum, unum organum non debet ordinari in distincta opera, quorum unum est impeditivum alterius. Modo mulier est unum solum organum, & ordinatur ad nutriendum pueros, & ideo si ordinaretur ad contractus civiles, tunc non posset filios nutrire.

Tertium fundamentum est ex defectu prudentiæ mulieris: quia mulier habet consilium infirmum, & invalidum: ut dicit Philosophus Primo hujus.

Quartum fundamentum est ex fluctibilitate, & fragilitate mulieris: quia ipsa statim deciperetur, eo quod sunt multa consideranda in contractibus civilibus.

Primum corollarium. Ex ista conclusione sequitur, quod si mulier faceret contractus aliquos sine consensu viri, vir licitè potest revocare illos. Patet, quia non sunt firmi & rati.

Secundum. Secundò sequitur, quod princeps in politia non deberet admittere quod mulieres in politia faciant contractus civiles. Patet, quia periret regimen in domo, ubi mulier dominaretur, quod est inconveniens.

Tertium. Tertiò sequitur, quod si aliquis uxorem alliciat, ut det sibi bona domus auctoritate propria, talis est causa principalis furti; quia ibi est recipere rem alienam invito domino, quia mulier non habet dominium, nisi passivè. Ex isto sequitur, quod talis quicquid recipit ab illa muliere tenetur restituere.

Primum dubium. Sed dubitatur primò: ponatur quod vir sit idiota, & videat mulier verisimiliter quod nisi faciat contractus civiles, peribit res domus, quæritur quid in hoc mulier debet facere.

Responsio. Respondetur, quod si tales contractus sint leves mulier poterit exercere sine consensu viri.

Dicitur

Dicitur secundò, quod si sint contractus notabiles, & difficiles, debet mulier recurrere ad amicos viri, & consilium petere, & secundum eorum consilium operari.

Tertiò dicitur, quod hoc accidit, ut in paucioribus, quòd vir sit idiota, & mulier prudentior viro. modò sermones in moralibus intelligi debent, ut in pluribus.

Secundò dubitatur: posito quod vir sit absens, & videat mulier quod sit periculum, nisi faciat contractus civiles. quid habet facere mulier? *Secundum dubium.*

Dicitur, quod debet facere sicut prius dictum est, scil. accedere ad amicos viri sui, & secundum eorum consilium operari. *Responsio.*

Ad rationes. Ad primam negatur, quod participent justitia commutativa activè, sed solum passivè, ut viris suis complaceant, & etiam participant in justitia passivè eodem modo. *Ad rationes Quæstionis.*

Ad secundam negatur antecedens: sed potius debent dici astutæ, quia prudentia dicit firmitatem, & robur in consilio.

Ad tertiam negatur antecedens, quoad aliqua: scilicet quoad procreationem prolis: sed non quoad dominium.

Ad quartam conceditur consequentia: & antecedens loquendo de operationibus speciem consequentibus, ut quod ambo debent esse risibiles: sed non quoad operationes consequentes individuum, & earum dispositiones.

Ad quintam dicitur, quod illa ratio non concludit de commutationibus civilibus, & arduis; sed remissis & parvis.

Ad sextam dicitur, quod hoc non faciunt activè, sed solùm passivè; & hoc etiam licitum est mulieribus.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO VI.

De Politia Amore.

Quæritur sextò. Utrùm ad perfectionem principantis requiratur dilectio politiæ, & potentiæ?

Arguitur quòd non. dilectio politiæ in aliqua politia est mala. ergo ad perfectionem principatus non requiritur dilectio. Tenet consequentia, quia tum malum est eligendum. Et antecedens patet de politia tranquilla. *Arguitur.*

Secundò, Tyrannus est principans in Tyrannide, & tamen non diligit Tyrannidem, igitur. Patet consequentia, & major quia sicut rex principatur in regno: ita Tyrannus in Tyrannide. Et minor patet: quia quicquid facit illud facit ad bonum privatum, & ad nocumentum politiæ.

Deinde arguitur quod non requiratur potentia, quia illud non requiritur ad perfectionem principantis, per quod multa mala oriuntur, ut notum est. sed hoc est per potentiam principantis, quia per eam multæ oppressiones, & exactiones proveniunt ex potentia principis.

Secundò sic: si sic, hoc maximè esset de principatu nobilissimo. Consequens

est falsum, nam in regno non requiritur quod Rex sit potens & robustus in corpore: quia robur tollit rationem liberalitatis. Unde servus à natura est robustus corpore, & non mente providens, ut patet Primo hujus.

In oppositum. Oppositum vult Tertio hujus & Quarto Arist. ubi ipse innuit, quod ad principem esse perfectum requiritur, quod diligat politiam, & populum, & quod ipse sit potens.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur, utrum requiratur dilectio politiæ ad perfectionem principis. In secundo videbitur utrum requiratur potentia.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd duplex est politia: nam quædam est recta & bene ordinata. Alia est transgressa.

Primum notabile. Secundò notandum est, quòd duplex est principans: scil. supremus non habens potentiam limitatam, alius est inferior habens potentiam limitatam, scil. secundum leges.

Duplex est politia.

Secundum notabile. Tertiò notandum est, quòd ad perfectionem principantis requiritur rectus appetitus finis politiæ; ita quod princeps appetat politiam ordinare in debitum finem, sive politia sit recta, sive transgressa.

Tertium. Quartò notandum est, quod amor communiter est circa duo, scil. circa bonum quod aliquis alicui vult, & circa illum vel illos, cui vel quibus amans vult tale bonum.

Quartum.

Quintum. Quintò notandum est, quod existentia principum sive duratio in politia potest esse bona dupliciter. Uno modo simpliciter. Alio modo secundum quid. si sit bona principanti & habitantibus in ea ad finem ad quem ordinatur: sic duratio Tyrannidis est bona, quia per talem Tyrannus perseverat Tyrannidem ordinando ad finem suum.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio. Ad perfectionem principantis inferioris non requiritur dilectio politiæ. Patet, quia politia bene potest gubernari sine hoc quod principans inferior diligat eam, ergo dilectio ejus non requiritur. Consequentia est nota. Et antecedens probatur, quia principans inferior non regit politiam ex sua mera voluntate: sed ex certis legibus: ergo sive diligat, sive non diligat, sed odiat politiam, oportet quod regat secundum legem sibi impositam.

Secunda conclusio responsiva. Secunda conclusio & responsiva. Ad perfectionem supremi principantis requiritur dilectio politiæ. Patet, quia rectus appetitus talis politiæ requiritur ad perfectionem talis principantis: ergo &c. Consequentia est nota; & antecedens probatur, quia rectus appetitus alicujus non fertur, nisi in bonum. & antecedens notum est.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum notandum est, quod triplex reperitur potentia principantis: scil. naturalis, rationalis, & civilis. Naturalis est robur corporale, & talis non auget perfectionem, immò diminuit libertatem, ut patet de servo. Potentia rationalis attenditur penes prudentiam, & scientiam. Civilis attenditur penes amicos: ut quod princeps habeat plures amicos. & sit multum potens.

Primum notabile.

Triplex est potentia principantis.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quod possumus loqui in titulo quæstionis, vel de principatu militiæ, vel de principatu civili.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quod populus debet principanti promittere potentiam moderatam, & regulatam: & quod major sit potentia unius, & minor potentia totius populi.

Et

Et tunc sit prima conclusio responsiva, ad perfectionem principantis non requiritur potentia naturalis, ut patet; quia diminuit libertatem aliquo modo, ut dictum est. *Prima conclusio responsiva.*

Secunda conclusio. Ad perfectionem principantis requiritur potentia rationalis. Patet, quia requiritur prudentia, quæ est propria virtus principantis. Modò prudentia habet omnes alias virtutes sibi annexas. *Secunda.*

Tertia conclusio. Ad perfectionem principantis principatu militiæ requiritur potentia civilis. Patet, quia illud requiritur ad perfectionem ejus, sine quo non potest attingere finem principatus: sed sine potentia civili non potest hoc quantum ad bene esse, &c. igitur. *Tertia.*

Quarta conclusio. Ad perfectionem principantis supremi requiritur potentia civilis recta ratione regulata. Patet, quia in politia interdum sunt aliqui rebelles contra principem: ergo requiritur potentiam civilem sibi inesse ad reprimendum tales. Et dicitur recta ratione regulata, quia debet esse minor potentia respectu totius populi in politia ad evitandum exactiones, & multa hujusmodi mala quæ possunt sequi ex excellenti principis potentia, vel potestate. *Quarta.*

Ad rationes. Ad primam negatur consequentia, capiendo amorem prout est circa illos quibus vult circa bonum apparens uti: unde malus princeps debet amare politiam suam, sic quod debet eam ordinare ad finem; ad quem debet ordinari. *Ad rationes.*

Ad secundam negatur antecedens eodem modo quo dictum est.

Ad tertiam dicitur quod illa bene probat, quod non requiritur potentia civilis, & immoderata, ac excessiva ad perfectionem principantis, & hoc bene conceditur.

Ad quartam dicitur, quod bene probat, quod non requiritur ista potentia naturalis: & hoc est concessum.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO VII.

De Juramento.

QUæritur septimò, Utrum in contractu civili, vel alio præstitum juramentum sit semper obligatorium? id est, utrum juramentum semper obligat jurantem?

Arguitur quòd non: quia si sic, sequeretur quòd nullum juramentum esset de re impossibili. Consequens est falsum, quia frequenter homo jurat de futuro, & aliquando impeditur sic, quod non potest adimplere. Consequentia est nota, quia nunquam quis obligatur ad impossibile, quia nullum impossibile est obligativum. *Arguitur.*

Secundò, si sic, sequeretur quod in casu aliquis ad peccandum obligaretur. Consequens est falsum, quia tunc non esset peccatum. Et patet consequentia, quia si aliquis juravit quod mortaliter peccabit, puta quod interficiet patrem suum: tunc in isto casu obligaretur ad peccandum.

Tertiò sic, quandoque juramentum est violentum; sed tale non est obligativum: igitur. Patet major, quia aliquotiens visum est, quod aliqui cogebantur ad malum juramentum: & minor patet, quia coactio solvit obligationem.

Quartò sic, si sic, sequeretur quod in aliquo casu aliquis obligaretur ad oppositum. Consequens est falsum, & impossibile. Et patet consequentia, in casu quo intentio jurantis, & intentio illius, cui fit juramentum sunt oppositæ.

In oppositum. Oppositum patet, nam videret in civilibus, & politiis, quod inducuntur juramenta in contractibus civilibus, & politiis: & hoc non esset, nisi essent obligatoria. igitur. Major patet de se: & minor patet, quia alias frustrà fierent.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo movebuntur dubia.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, Primò notandum est: quod loquendo propriè de obligatione, obligatio est solum respectu illius quod est faciendum, vel dimittendum; ut respectu futuri. Ex quo patet, quod nulla obligatio est respectu præteriti: patet. ad præterium nulla est potentia, ut patet primo Cœli & Mundi.

Primum notabile. *Cujus sit obligatio.* Secundò notandum est, quòd juramentum debet esse de illis quæ sunt in nostra potestate, vel in potestate jurantis, & hoc si sit licitum.

Secundum notabile. Tertiò notandum est, quòd triplex est juramentum, quia quoddam sit de re præterita: aliud de re præsenti, aliud de re futura, vel possibili.

Tertium. *Triplex est juramentum.* Quartò notandum est quod inter istos duos modos juramentorum est differentia: quia juramentum quod est de re præterita, vel præsenti est respectu intentionis jurantis: sed juramentum quod est de re futura cadit supra rem, & non super intentionem: primo modo quis obligatur ad dicendum veritatem. Secundo modo aliquis obligatur ad faciendum aliquid, scil: rem de qua est juramentum.

Quartum. *Quintum.* Quintò notandum est: quod juramentum est obligatorium potest intelligi dupliciter: uno modo quòd tale juramentum obliget ad faciendum illud de quo est juramentum. alio modo quod obliget aliquo alio modo.

Sextum. Sextò notandum est, quod adhuc de juramento possumus loqui dupliciter: uno modo quòd fiat ab habente usum rationis. Secundo modo quòd fiat à non habente usum rationis: modo titulus intelligitur de habente usum rationis.

Prima conclusio: Sit ergo prima conclusio: juramentum non est semper obligatorium ad faciendum illud de quo est juramentum factum, vel ad omittendum illud. Patet, quia si homo juraverit, quòd occiderpatrem suum, non oportet, quod impleat juramentum suum. Propter quod dicit Hieronymus: quòd *in malè promisso rescindefidem, & in turpi voto mutadecretum.*

Secunda. Secunda conclusio: juramentum est aliquo modo obligatorium, loquendo de habente usum rationis: patet. Nam in omni juramento fit aliqualis promissio: vel ergo talis promissio est licita, & obligat; vel illicita, & tunc peccat: & si peccat, manifestum est quod obligaretur ad pœnam: ergo est aliqualiter obligatorium.

Primus articulus. Quantum ad secundum articulum dubitatur, utrum si juramentum sit de aliquo impossibili, jurans peccat.

Dubium Primum. *Notabile.* Pro cujus solutione est primò notandum, quòd illud de quo juratur dupli-

citer

citer potest esse impossibile: uno modo quòd tempore juramenti præstiti erat impossibile et hoc jurans sciebat, & in isto casu jurans peccat, & non excusatur de peccato. alio modo quod licet sit possibile tempore juramenti præstiti, tamen propter causam de novo emergentem post juramentum tale fit impossibile, & sic juram excusatur; & hoc si non fuerit in causa propter quam juramentum fit impossibile, & quòd faciat dilationem vel diligentiam quantum potest: ut si quis promitteret solvere decem francos infra certum tempus, & infra illud tempus omnia bona sua raperentur.

Sed si quis diceret, quòd hoc esset contra secundam conclusionem tertii capituli? Respondetur quòd non patet inspiciendo, quia ipsa intelligitur de habente usum rationis.

Secundum dubium. utrum juramentum quod veritur in eximm deteriorem sit obligatorium: hoc est utrùm si aliud de quo juratur sit malum, juramentum de illo ha obligatorium. *Secundum dubium.*

Pro quo notandum est, quod illud de quo juratur dupliciter potest dici malum. Uno modo de per se malum. Alio modo, quod non est de per se, sed bene posset fieri: & sit malum propter causam de novo emergentem post juramentum. *Notabile.*

Tunc dicitur, quod in primo casu juramentum non est obligatorium: scil. ad complendum: ut si quis juraret, quod interficiet patrem suum, non debet implere: sed ubi illud de quo juratur non est de se malum: in secundo casu potest dici, quod illud juramentum obligat ad faciendum completionem juramenti, maximè si jurans tempore juramenti nullum malum intendebat, nec fuit in causa propter quam illud juramentum fuerit malum, propter causam emergentem: & hoc probabiliter dicitur, tamen si fuerit magnum malum non oportet. *Responsio ad primum dubium.*

Tertium dubium. utrum juramentum per coactionem vel violentiam sit obligatorium, sic quod jurans obligetur ad faciendum illud, de quo est juramentum. *Tertium dubiũ.*

Respondetur quod duplex est obligatio. Una est qua jurans obligatur illi, cui aliquid promittitur. Alia est obligatio, qua obligatur Deo ad complendum illud, quod quis promisit per nomen ejus. Tunc dicitur loquendo primo modo de obligatione, obligatio violenta tollit rationem obligationis: sed loquendo de obligatione secundo modo dicta, obligatio violenta non tollit rationem obligationis. Patet, quia homo nullo modo habet, vel debet nomen Dei omittere propter perdere bona temporalia: quia semper debet habere nomen Dei in veneratione, & excellentia: quia si oppositum faceret, tunc præponeret bona temporalia nomini Dei, sive Divino. *Responsio duplex est obligatio.*

Ad rationes. Ad primam dicitur; quod nullum juramentum licitum est ad impossibile quod sciebat esse impossibile à jurante tempore juramenti præstiti. *Ad rationes.*

Ad secundam negatur consequentia: in casu quo id de quo juratur est de se malum, & ita juramentum non obligat ad complendum.

Ad tertiam negatur minor, quia obligatur obligatione qua aliquid promittit adimplere per nomen Dei: sed non primo modo.

Ad quartam dicitur, quod secundum veritatem juramentum non debet expi-

sec undum

ſecundum intentionem dantis juramentum, niſi in caſu intentiones jurantis, & recipientis fuerint ſimiles, & eædem.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO VIII.

De Divinationibus.

QUæritur octavò. Utrùm in bona politia bene recta, & bene ordinata divinatio ſit permittenda.

Arguitur. Arguitur primò ſic, illud quod eſt licitum, eſt permittendum in politia bene recta, & ordinata, & quod dictum eſt à Deo: ſed divinatio eſt hujuſmodi: igitur. Major patet, & minor probatur: quia divinatio dicitur à divino.

Secundò ſic, ſi ſic, ſequeretur quod Aſtrologi non eſſent permittendi in politia bene recta. Conſequens eſt falſum, & patet conſequentia, quia tales faciunt divinationes de futuris.

Tertiò ſi ſic, ſequeretur quod Philoſophi non eſſent in ſuis dictis recipiendi: igitur. Conſequens eſt falſum, & probatur conſequentia; quia in una parte Philoſophiæ determinatur de divinatione, ſcilicet in libro de ſomno & vigilia.

Quartò. illud eſt permittendum ad quod homines naturaliter inclinantur: ſed ſic eſt de divinatione. igitur. Major patet, quia divinatio non inclinat, niſi ad licitum, cum natura dirigatur ab agente infallibili. Et minor patet per experientiam: quia multi divinant de futuris *&c.*

In Oppoſitum. Oppoſitum arguitur. Nam omnis divinatio eſt prohibita: igitur. Patet conſequentia, quia in bona politia bene recta nullum prohibitum eſt permittendum. Antecedens probatur, quia videmus quod ſortilegi & divinatores puniuntur ab Eccleſia: & non eſt dicendum, quod Eccleſia errat.

In quæſtione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In ſecundo concluſiones.

primum articulum. Quantum ad primum articulum, Primò notandum eſt; quod hoc nomen [divinatio] videtur importare quandam prænunciationem futurorum, ita quod qui habet divinare habet prænunciare quædam futura.

Primum notabile.

Secundum notabile. Secundò notandum eſt: quod effectus futuri dupliciter poſſunt cognoſci. Uno modo in ſeipſis. Alio modo in ſuis cauſis: ſicut cauſæ præſciuntur ad quas ſunt nati ſequi tales effectus: ut Aſtrologus cognoſcit cauſas, ad quas ſequitur eclipſis lunæ.

Tertium notabile. Tertiò notandum eſt: quòd cauſæ futurorum effectuum tripliciter poſſunt ſe habere ad tales effectus. Uno modo, quia effectus tales ſemper, & de neceſſitate ſequuntur: ut ad interpoſitionem terræ inter ſolem & lunam ſequitur eclipſis de neceſſitate. Secundo, quia illi effectus ut in pluribus inſequuntur illas cauſas; ut Aſtrologi ſciunt ad talem conſtellationem communiter ſequitur pluvia, vel ventus; & ſic de aliis. Tertiò ſe habent cauſæ futurorum mere contingenter ad utrumlibet, ita quod tales cauſæ non ſunt plus determinatæ ad illos effectus, quàm ad oppoſitos: ut ad ire ſequitur quandoque repertio ali-

cujus

cujus hominis, vel inventio alicujus pecuniæ.

Quartò notandum est: quòd præcognoscere effectus futuros contingentes ad utrumlibet antequam fiant, est solius Dei proprium. Patet, quia ex quo talis effectus est contingens ad utrumlibet, & non habet determinatas causas, sequitur propositum. Ex quo sequitur, quod si aliquis præsumat se cognoscere tales effectus futuros contingentes ad utrumque, talis usurpat quod est solius Dei proprium, & hoc sibi Deo non revelante: & dicitur notanter. [quod si aliquis præsumat.] quia aliquis dicitur præsumere, quando affert sibi aliquid ignotum. *Quartum notabile.*

Quantum ad secundum articulum, Sit ergo prima conclusio: prænunciare, præcognoscere illa quæ possunt cognosci humana cognitione, non est divinare. Patet, quia si homo sciat illud sive illa quæ potest cognoscere per humanas rationes, talia prænunciando non peccat: igitur. Consequentia patet, quia divinare est usurpare illud quod est Dei proprium. Et antecedens notum est. *Secundum articulum. Prima conclusio. Divinare quid.*

Ex quo sequitur, quod prænunciare futura quæ semper, vel ut in pluribus eveniunt per causas à nobis cognitas humanitus, non est divinare. Patet consequentia, quia talia possunt cognosci humana cognitione.

Secundò sequitur; quòd Astrologus prænuncians eclipsim lunæ non peccat, nec divinat. Patet, quia est per rationem naturalem, sive humanam.

Tertiò sequitur, quòd pluvias per conjecturas prænunciando non præsumendo non divinat. Patet, quia ut in pluribus ad tales constellationes sequitur pluvia, vel ventus, & sic de aliis.

Secunda conclusio: prænunciare, seu præcognoscere effectus futuros, contingentes ad utrumlibet non est divinare, & hoc Deo revelante. Patet, quia talis illa qui prænunciat non cognoscit de se: sed hoc habet à Deo. Item aliàs Philosophi essent divinatores, quod est falsum. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio: prænunciare effectus futuros contingentes ad utrumlibet, ex propriis viribus, & Deo non revelante est divinare. Patet, quia in tali casu potest usurpare illud quod est Dei proprium. & hoc maximè si talis prænunciatio fiat cum præsumptione, & quadam certificatione. *Tertia conclusio.*

Ex quo sequitur quod divinatio est respectu effectuum contingentium ad utrumlibet.

Secundò sequitur, antequam prænunciatio futuri sit divinatio requiruntur tres conditiones. Prima est quòd sit futuri contingentis, Secunda, quòd prænunciatio sit cum quadam præscriptione prænunciantis: scilicet quòd ille qui prænunciat præsumat hoc facere, & cognoscere ex propriis viribus. Tertia conditio, quòd tale futurum contingens non sit à Deo revelatum. *Ad divinationem tria requiruntur.*

Quarta conclusio principalis: omnis divinatio est vitiosa & illicita. Patet, quia in qualibet divinatione usurpatur illud quod est Dei proprium à quadam humana præsumptione: ergo est illicita. Consequentia est nota, & antecedens etiam ex dictis. Item quælibet divinatio est pars cujusdam superstitionis. *Quarta conclusio.*

Quinta conclusio. In nulla politia debita, & recte ordinata est licite divinatio permittenda. Patet, quia illud non est permittendum quod est simpliciter vitiosum. Ex quo sequitur, quòd sortilegi & sortilegæ sunt de jure à politia *Quinta conclusio.*

ejiciendi. Patet ex dictis.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam negatur minor. Ad probationem negatur, quod divinatio dicatur à Deo: quia non est prænunciatio futuri effectus Deo revelante: sed magis dicitur à quadam usurpatione illius, quod est solius Dei proprium.

Ad secundam negatur consequentia, & dicitur quòd Astrologi non sunt divinatores, ut dictum est.

Ad tertiam negatur; quia illi non sunt divinatores qui pronunciant effectus futuros qui proveniunt ut in pluribus à talibus causis.

Ad quartam negatur minor: sed sumus naturaliter inclinati ad præcognitionem futurorum eo modo quo est possibile rationibus naturalibus & nostris sensibus.

QUÆSTIO IX.

De servis vitiosis.

QUæritur nonò. Utrum in politia bene recta licitum sit servos otiosos nutrire?

Arguitur. Et arguitur quòd sic. Nam si sic, sequeretur quòd in politia bene recta non deberent histriones & tales hujusmodi sustineri. consequens est falsum ut notum est, & patet consequentia. quia tales histriones sunt otiosi, & communiter sine labore.

Secundò sic: in politia bene recta vir politicus, debet dare victum subditis suis: sed servi sunt subditi respectu legislatoris: igitur. major patet de se, & minor patet. quia in politia bene recta servi sunt subditi Principi.

Tertiò sic: si illud quod minus videtur inesse inest, & illud quod magis: sed minus videtur quòd bruta otiosa debent nutriri in politia bene recta; & tamen nutriuntur. ergo multò magis servi. Major patet per maximum. minor patet per experientiam, de canibus, avibus, & catis.

Quartò sic: illud est licitum in politia bene recta, quod pertinet ad liberalitatem: sed servis dare victum pertinet ad liberalitatem. Patet major de se, & minor similiter.

In oppositum. Oppositum arguitur sic. Nam in regimine Oeconomico servis otiosis paterfamilias non debet victum: igitur. Patet consequentia, quia sicut dicitur primo hujus domus est sicut una parva politia. & antecedens est Philosophi Secundo Rhetoricæ & Primo, ubi maximè dicitur, quòd *Oeconomicus non debet dare servis otiosis victum sine labore.*

Primus articulus. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum, Notandum est, quòd sicut in primo hujus triplex est servus, quidam est à natura, & est ille qui non potest mente providere, & tamen est robustus corpore. i. e. qui non utitur parte consiliativa prudentiæ, scit tamen bene exequi illa quæ sibi præcipiuntur à domino suo. Et oppositio

Triplex ossa servi.

modo

modo dicitur Princeps à natura. Alius est servus vi & violentia, & est ille qui quamvis ratione vigeat, tamen per quandam violentiam & coactionem compellitur ad opera servilia. Tertius servus est electione; quia quamvis vigeat ratione, & non compellatur, tamen eligit pro certo tempore servire propter lucrum. Modo dicitur quòd Quæstio intelligitur de servis à natura: quia de aliis verisimile est quòd non sunt otiosi.

Secundò notandum est, quòd servus à natura ut patet ex dictis naturaliter inclinatur & ordinatur ad opera servilia & grossa, & ut adimpleat præcepta injuncta, & ideo dicit Philosophus, quòd natura ordinavit differentiam inter dominium & servum ex parte corporis. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd vir politicus in politia bene recta debet laborare posse. sic quòd removeat omnes casus malignandi à suis subditis. patet per Philosophum Primo hujus dicentem, quòd hoc est opus Principis, & non subditi. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd opera servilia sunt duplicia, nam quædam sunt vilia multum: quorum operum exercitatores dicuntur banausi quæ non possunt exercere sine corporis maculatione. alia sunt quæ non sunt omnino vilia: sed tamen necessaria in politia bene recta, & secundum hoc duplices sunt servi. *Quartum.*

Quantum ad secundum articulum, sit conclusio responsalis, non est licitum in politia bene recta servis otiosis victum administrare, & intelligitur de servis à natura. probatur. illud non est licitum per quod apud quos hoc fieret promoverentur ad superbiam, & rebellionem, & inobedientiam: sed hoc contingit servis otiosis. igitur. Major patet, quia *propter dissentionem politia destruitur*, ut dicit Albertus. Et minor patet clarè, quia postquam non attingunt rationem sunt brutales, & sine ratione vigentes, quæ semper deprecatur ad optima. *Secundus articulus.* *Prima conclusio.* *Responsiva.*

Secundò: illud omnino est illicitum, quod omnino est contra Justitiam & quod est inæquale & injustum: sed dare victum talibus est contra Justitiam, & contra æquitatem, quia unicuique tribuendum est secundum Justitiam Distributivam, secundum quòd merita sua extendunt se, modò tales non habent merita.

Tertiò: illud est illicitum quod est contra naturam: sed dare victum talibus est contra naturam. ergo illicitum. major patet, quia natura ab agente infallibili dirigitur. & minor patet: quia tales servi sunt naturaliter ordinati ad opera servilia, & ideo differunt à liberis in robore corporali.

Quartò sic: Princeps in politia bene recta se habet ad illam politiam sicut Deus ad totum universum: sed Deus in toto universo non permitteret aliquid quod esset simpliciter frustrà, quia *Deus & natura non deficiunt in necessariis, nec habundant in superfluis*: Primo Cœli & Mundi.

Ad rationes. Ad primam conceditur consequentia. & dicitur quòd tales non sunt omnino otiosi, immo aliquid operantur: licet non sint multum utiles. *Ad rationes*

Ad secundam conceditur major. si tales sint subditi secundum dictamen rectæ rationis, & debito modo. & sic negatur minor. quia tales non sunt debito modo subditi, quia non faciunt aliquid ad quod sunt ordinati.

Ad tertiam negatur minor; quia talia bruta in debitum finem sunt ordinata; scilicet ad delectationem: ut canes, & aves, ad venandum.

Ad quartam negatur minor, & quando dicitur dare sine spe remunerationis est actus liberalitatis; Negatur illa: sed dare sine spe remunerationis ubi, quando, quomodo, & qualiter pertinet ad liberalitatem, & sic non est in proposito. Non enim est dandum talibus servis otiosis inutilibus.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO X.

De Juramento præstando.

QUæritur decimò. Utrum in regimine bonæ politiæ licitum sit juramentum præstare?

Arguitur. Arguitur primò quòd non. Nam illud est simpliciter illicitum quod est divina lege prohibitum, sed tale juramentum est hujusmodi. igitur. Major patet, quia supponitur, quòd lex divina nihil prohibet nisi injustum. minor patet per discursum Sacræ Scripturæ.

Secundò sic: Illud est illicitum per quod damnatur anima exercentis talem actum: sed hoc est per jurare. igitur. Major patet ex terminis, minor patet. Nam videmus propter peticula quæ causantur in juramentum sunt homines perjuri.

Tertiò sic: Jurare non est nisi Deum in testem sumere: ergo sequitur quòd in regimine politiæ bonæ non est licitum jurare, vel juramentum præstare. major patet ex quid nominis. Et minor patet, quia quandoque juramentum versatur circa materiam vilem. Modò quando circa materiam vilem Deus in testem assumitur est illicitum. ergo &c.

In Oppositum. Oppositum arguitur. Nam si sic, sequeretur quòd multæ politiæ errarent. Consequens est falsum, & non est dicendum. Et patet consequentia, quia videmus quòd in multis politiis fiant juramenta.

Primum articulum. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum. primò notandum est, quòd juramentum ordinatur ad confirmationem alicujus. Unde cum facta periculosa & particularia non possint confirmari ab homine, rationabile est quòd confirmentur per alium modum quatenus cessent objurgationes, & fiat Justitia.

Secundum. Secundò notandum est, quòd juramentum duplici de causa est introductum. *quare sit juramentum introductum.* primo modo propter defectum humanæ cognitionis. secundò propter defectum humanæ volitionis.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd jurare non est aliud quam Deum in testem sumere. Unde juramentum dicitur à jure introductum; ut illud quod sub voce nominis Dei dicitur pro vero habeatur. Ex quo sequitur, quòd non est licitum per creaturam jurare, nisi attendat divinitatem Dei in creatura relucere.

Quartum. Quartò notandum est, quòd quandoque adducitur juramentum per Deum ad assentiendum præsentibus, & præteritis; & tale vocatur assertorium alio modo ad futura, & sic vocatur juramentum promissorium.

Quintò

Quintò notandum est, quòd nunquam juramentum debet præstari respectu impossibilium, & necessariorum, & impossibilium aliter se habere. patet, quia hoc esset ridiculum. *Quintum.*

Sextò notandum est, quòd ad juramentum tria requiruntur: scilicet veritas, judicium, & justitia. primò requiritur judicium. quia homo non debet jurare nisi propter arduam causam, & sic indiget judicio rationis & discretionis: quatenus distribuere queat & discernere. Ex hoc sequitur, quòd pueri ante annos pubertatis non sunt apti ad jurandum. Secundo sequitur quod amentes & ebrii non debent præstare juramentum. *Sextum. tria requiruntur ad juramentum. mentum.*

Secundo requiritur veritas: quia oportet quod illud circa quod juramentum versatur sit verum. Ex quo sequitur, quòd ille qui jurat dubium pro vero committit perjurium.

Tertio requiritur justitia. Patet, quia per justitiam redditur unicuique quod suum est, & sic oportet quod illud juramentum sit justum. Ex quo sequitur. quod si aliquis juret de aliquo illicito non tenetur adimplere juramentum, & sic non est juramentum, sed perjuramentum: quia ibi deficit justitia, & ille qui jurat est graviter puniendus.

Septimò notandum est, quod non est inconveniens secundum se aliquid esse bonum, & tamen vergit in detrimentum illius qui eo utitur, & recipit, ut patet de Eucharistia. quia receptio illius est licita; & si recipiens illius sit in peccato mortali, tunc recipiens peccat, & damnat animam suam. *Septimum.*

Octavò notandum est, quod non est inconveniens aliquid esse licitum secundum se, quod tamen redditur illicitum propter aliquam circumstantiam. Patet de dare eleemosynam. *Octavum.*

Nonò notandum est, quod radix & origo juramenti recti est quod jurans credit Deum habere infallibilitatem, veritatem, & omnium rerum infallibilem cognitionem, & ideo assumit eum in testem: & finis propter quem juramentum licet est concordia hominum & justificatio, ut finiantur jurgia, dissentiones, & lites propter ipsum. Ex quo sequitur quod tam radix à qua procedit juramentum, quam finis ad quem ordinatur juramentum licita sunt satis. Patet ex dictis. *Nonum.*

Quantum ad secundum articulum, sit ista prima conclusio. Juramentum secundum se est licitum. Probatur, quia juramentum naturaliter procedit ex licita radice: & finaliter ordinatur ad bonum finem: ergo est licitum. Consequentia patet. & antecedens patet ex quinto notabili. *Secundus articulus. Prima conclusio.*

Secunda conclusio & principalis: Juramentum de per accidens & propter malas circumstantias redditur illicitum & malum. Ista propositio satis patet, quia si aliquis juret per creaturam, ibi sistendo juramentum est illicitum. Et enim tria requiruntur ad juramentum rectum: si ergo aliquod illorum deficiat, redditur illicitum. *Secunda conclusio principalis.*

Sit ergo conclusio responsiva: quòd in regimine politiæ licitum est juramentum præstare. Ista conclusio sequitur ex prædictis: tamen si inspiciamus radicem bene est licitum, & etiam respiciendo finem bene est licitum. Ex quo sequitur, quod causa propter quam juramentum eligitur est dubietas, quam habet ille qui petit juramentum ex verbis prædictis perficientibus juramentum. Ex quo sequitur quòd quodammodo exigens juramentum ab alio honorem *Conclusio responsiva.*

illius hominis deprimis, patet, quia est signum quod modicum in ipso confidit, & quod dubitat an sit verus homo, vel non.

Tertiò sequitur, quod irrationabiliter ab hominibus bonis & virtuosis petitur juramentum. & ideo presbyteri, nisi pro multum arduis, non debent facere juramenta.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam conceditur major, vel de per se, vel de per accidens, ad minorem dicitur, quod juramentum à lege divina non est prohibitum si sit debitè circumstantionatum, scilicet à bona radice, & ad bonum finem.

Ad secundam negetur minor, & hoc de se; scilicet si juramentum sit debitè circumstantionatum.

Ad tertiam dicitur, quòd homo non debet jurare, nisi pro causa ardua, & notabili, & etiam de rebus mundialibus. nisi in casu necessitatis. Et sic bene arguit ratio, quòd non in omnibus debet esse juramentum: & si est, debet esse veritas, justitia, & judicium, quibus Deus licitè potest sumi in testem, si necesse fuerit.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XI.

De ambitionis vitio.

QUæritur undecimò. Utrum in politia bene recta sit ambitio permittenda?

Arguitur. Arguitur quòd sic, illud est permittendum in politia bene recta quod est circa bonum. sed ambitio est hujusmodi. ergo est permittenda: quoniam est circa bona exteriora optima. major patet de se, quoniam admittendum est bonum, immo eligendum. minor patet, quia ambitio importat appetitum honoris: modo honor importat quod est quid optimum inter bona exteriora. & ideo dicitur, quòd solùm honesti sunt honorandi.

Secundò sic, illud est permittendum quod licitè homo potest habere. sed licitè homo potest habere ambitionem. igitur, major patet de se, & minor probatur, quoniam virtuosus debet appetere honorem; quoniam solus virtuosus honore est dignus.

Tertiò sic, illud est permittendum per quod homines boni provocantur ad hoc quod fiant meliores, & per quod mali retrahuntur à sua malitia. sed hoc est per ambitionem. ergo est licita, & permittenda. major patet, & minor probatur, quia per ambitionem virtuosus fit melior, quando videt quòd talis sic honoratur, & consimiliter facit vir malus. quare &c.

In oppositum. Oppositum arguitur sic. viri ambitiosi sunt mali in politia. igitur ambitio non debet permitti in politia bene recta. consequentia patet ex terminis. antecedens probatur, quia sicut dicitur Quarto hujus, *Princeps debet esse vir politicus, communicativus: & debet esse favorabilis & virtuosus.* sed per oppositum est de ambitioso.

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum

Quantum ad primum articulum, Notandum est primò, quòd honor importat quandam excellentiam sive reverentiam alicui exhibitam in signum virtutis. à hoc patet ex ejus descriptione. *Primum articulum.*

Primum notabile.

Sit quo sequitur, quòd nullus vitiosus ut sic est honorandus, seu dignus honore, nec etiam principatu. Patet ex ejus descriptione.

Secundò sequitur, quòd secundum veritatem iste qui aliis principatur, & super alios habet dominium non est dignus honore, nec etiam principatu, quamdiu est vitiosus, apparet ex dictis.

Secundò notandum est, quòd circa excellentiam honoris sunt duo considerada. Primum est, quòd talis non habet talem excellentiam in qua excellit *Secundum notabile.*
dus à se, sed à Deo secundum quod illud in quo excellit non est sibi collatum, nisi in quantum potest aliis prodesse, per hoc scilicet alios à malo removere, & movere ad bonum, & facere ipsos virtuosos.

Tertiò notandum est, quòd appetitus honoris potest tripliciter esse inordinatus uno modo quando aliquis cupit sibi honorē referri pro aliqua excellentia, *Tertium.*
quam tamen non habet licet illam habere videatur. Secundo modo est inordinatus si aliquis cupit sibi honorem referri, non tamen referendo illum in Deum. Ex *Appetitus honorum est tripliciter inordinatus.*
quo videtur multis, quod sunt honorandi propter se, seu propter se digni honore. Tertio modo acceptando honorem, & non referendo honorem ad utilitatem proximi sui & aliorum, nec ut scilicet alii fiant virtuosi, & sic ut possent honorari. si igitur referat honorem ad se, peccat.

Quartò notandum est, quòd ad hoc quod bonum appetatur rectè requiritur *Quartum.*
quod talis appetitus reguletur ratione, quia homo potest abundare & deficere circa se, & tenere medium. Ex quo patet, quòd bonum potest appeti malè & vitiosè.

Quintò notandum est, quòd honorem esse præmium virtutis, potest intelligi *Quintum.*
dupliciter: primo modo quoad virtuosos, sic scilicet quod sit sufficiens præmium virtuoso quoad salutem, & sic non est verum quia honor non est præmium virtutis, sed virtutis fœlicitas est sic præmium.

Secundo modo quantum est ex parte illorum qui honorem faciunt, quia illi dant hominibus maximum bonum quod inter bona exteriora possunt dare, & sic verum est quòd honor est præmium virtutis. Non primo modo, quia honor non est eligibilis propter se; quia contingit homines malè uti honore, quod non contingit de fine ultimato.

Sextò notandum est, quòd differentia est inter magnanimum, præsumptuosum, & ambitiosum. Nam magnanimus tendit ad maximum sive in facto, sive *Sextum.*
in honore, & secundum proportionem suæ propriæ facultatis; ita scilicet quòd *differunt magnanimus, præsumptuosus, & ambitiosus.*
licet ad maximum tendat, tamen illud non habet excedere suam facultatem. Sed præsumptuosus est ille, qui attentis maximum bonum quod excellit proportionem suæ facultatis. imo aliqua assumit quæ excedunt vires suas proprias, sed ambitiosus dicitur ille, qui habet appetitum inordinatum circa honores. scil. qui non ordinat honorem suum ad Deum: vel quia assumit honorem quo dignus non est; vel quia non refert honorem suum ad utilitatem proximi sui. Ex quo sequitur, quòd magnanimitas est virtus moralis. *Secundus articulus.*

Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio: appetitus honoris est licitus. Probatur, nam secundum appetitum honoris contingit aliquem se bene *Prima conclusio.*

bene habere cum debitis circumſtantiis, ut patet. igitur eſt licitus. patet conſequentia. & antecedens eſt notum. Etiam probatur, quia circa materiam circa quam contingit ſe habere malè, contingit etiam ſe habere benè & virtuoſè.

Secundò ſic: ille appetitus eſt debitus qui eſt pro re debita alicui pro ſua virtute. ſed ſic eſt de appetitu honoris, quia rationabiliter virtuoſus debet honorem appetere.

Secunda concluſio. Secunda concluſio. Omnis ambitio eſt mala, & illicita. Probatur, quia ambitio eſt appetitus honoris inordinatus. igitur eſt illicita. tenet conſequentia, & antecedens probatur per differentiam poſitam inter magnanimum & ambitioſum.

Tertia. Tertia concluſio: in politia bene ordinata non eſt ambitio permittenda. probatur, quia eſt illicita, ut dicit concluſio præcedens.

Sed tunc aliquis diceret quòd aliquod illicitum de ſe eſt permittendum, ut patet de mulieribus communibus, ribaldis, & gentibus infamibus.

Notabile. aliquid dicitur illicitum tripliciter. Pro iſto nota, quòd aliquid poteſt dici illicitum tripliciter, uno modo abſolutè, & ſic non contingit tale bene fieri; & tale nullo modo eſt permittendum: alio modo reſpectivè, quia licet ſit licitum de ſe, tamen non ordinatur ad bonum Reipublicæ; ut ſolitudo eſt bona ſecundum ſe, & licita, & in ordine ad bonum commune eſt illicita. Et ideo dicitur quòd heremita nec eſt bonus, neque eſt malus in politia. Et iſto modo poteſt dici quòd nullum illicitum eſt permittendum in politia. patet, quia non eſt ad utilitatem Reipublicæ. Tertio modo unaquæque ſimul; & de tali adhuc aliquod illicitum iſto modo eſt permittendum ſecundum quid, ne majus malum inde ſequatur. Sed ex propria ratione ambitio eſt appetitus honoris inordinatus; modo omnis inordinatio eſt reſecanda in politia.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam conceditur, ſi ſit circa bonum debitè & bene appetitum, & ordinatum. Sed ſic negetur minor, quia ille appetitus non eſt debitè circumſtantionatus.

Ad ſecundam dicitur conſimiliter, quòd honor debet appeti ſecundum rectam rationem, & ſecundum debitas circumſtantias.

Ad tertiam dicitur concedendo illam, & dicitur quòd non concludit eò quòd tunc eſt appetitus rectus honoris, & ſic non eſt ambitio, ut dictum eſt.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO XII.

De gratiarum actione.

QUæritur duodecimò. Utrum in bono regimine politiæ homo cuilibet homini bene facienti gratias agere teneatur.

Arguitur. Arguitur quòd non; quia homo poteſt ſibi benefacere, & non poteſt ſibi gratias agere. ergo. &c. patet conſequentia. & major patet, quia homo poteſt ſibi nocere, igitur & benefacere. & non poteſt gratias ſibi agere. minor patet, quia gratiarum actio eſt de uno ad alterum.

Secundò

Secundò sic, nulli debetur gratiarum actio per eo quod sibi procurat utilitatem, sed multi dando aliis beneficia procurant sibi utilitatem. ergo non tenentur gratias agere benefactori. igitur. major patet de se, & minor patet per experientiam, quia multi dant beneficia, & non nisi ad suam utilitatem.

Tertiò sic, servo non potest fieri gratiarum actio à domino, & tamen potest benefacere domino. igitur. major patet, quia servus est domini servus, & minor patet in casu quo servus faceret domino suo ultra id ad quod tenetur de jure facere.

Quartò sic, homo non tenetur facere illud quod non potest honestè & utiliter facere, sed homo non potest in multis casibus gratias agere benefacienti honestè, & utiliter. igitur. major patet de se. quia nemo tenetur nisi ad honestum, & licitum. minor probatur in casu in quo benefactor est promotus ad maximum statum. Secundò, si beneficiatus post beneficium fieret vitiosus. Tertiò si beneficiatus depauperaretur.

Quintò sic, homo non tenetur facere pro altero id quod ei nocet, & sibi non prodest. sed aliquando noceret beneficiatori reddere gratias suo benefactori. ergo est illicitum. consequentia est nota; & major. sed minor probatur in casu in quo beneficiator superbiret ex eo quod sibi tributuntur gratiæ. igitur non est licitum.

Oppositum patet ratione. Et arguitur sic; in regimine bonæ politiæ homo tenetur facere illud in quo servatur tranquilitas & concordia civium. sed hoc est in tribuendo gratias benefactori. igitur est licitum. Probatur, quia nisi sic talis esset ingratus quod est vitium maximum in politia. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo ponuntur notabilia, & conclusiones. In secundo erit una dubitatio. utrum homo teneatur statim ad regratiandum sibi benefacienti.

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quod propriè loquendo nullus potest sibi ipsi benefacere. Ista suppositio est Senecæ in libro de beneficiis: homo non est liberalis si ipse det, nec clemens si se nescit, sed aliòs. quia nemo potest sibi ipsi benefacere. *Primum articulus.* *Primum notabile.*

Et dicebatur notanter [propriè loquendo] quia Metaphoricè loquendo potest concedi, quòd homo potest sibi ipsi benefacere comparando partes hominis adinvicem, ut partem rationalem ad partem sensitivam.

Secundò notandum est, quod in beneficio sunt duo notanda, & consideranda, scil. materia & forma. Materia beneficii est res, quæ datur, modo recipiens, beneficium secundum omnes Philosophos morales non debet attendere ad materiam beneficii, sed formam. Forma autem est modus, quo talis res datur. Ideò dicit Seneca, non respicies ad illud quod est datum, sed ad affectum dantis. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd secundum veritatem quilibet effectus aliquo modo suæ causæ obligatur, probatur, quia quælibet res obligatur illi à quo dependet. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd beneficians alterum est causa beneficiati quodam modo: patet, quia est causa ipsius, ut habeat tale bonum, quia beneficiatus in esse tali dependet à beneficiante. Corrollarium est, quòd nullum beneficium potest impendi Deo. Secundò sequitur quòd inferior ut sic, non potest *Quartum.*

suo superiori beneficium conferre, quia tunc oporteret quòd inferior esset superior.

Prima conclusio. Istis notatis sit prima conclusio. Homo cuilibet homini sibi benefacienti tenetur gratias agere, probatur, nam homo, cuilibet homini sibi benefacienti est aliquo modo obligatus. igitur, sequitur, quòd debet sibi aliquid retribuere: sed non potest aliquid melius retribuere, quàm gratias agendo: igitur, &c. major patet de se. Et minor apparet, quia in multis non expediret quòd retribueret bonum utile, quia forsan benefactor illo non indiget. Ista conclusio est de intentione Senecæ dicentis; *ingratus quidem est, qui beneficium acceptum negat se accepisse.*

Secunda. Secunda conclusio: in regimine bonæ politiæ homo tenetur benefacere illi qui sibi benefacit. probatur per conclusionem præcedentem: & etiam per rationem post oppositum informa.

Secundus articulus. Arguitur. Quantum ad secundum articulum arguitur ad partem affirmativam dubii. Nam quilibet tenetur illud facere statim, ad quod homo obligatur sine termino præfixo, sed sic est in proposito, igitur. Major patet, quia aliàs homo se exponit periculo, & minor probatur, quia minor, quia ibi non est terminus præfixus, ut prius ponitur, & est obligatus ad tunc retribuendum.

Secundò sic: beneficiatus tenetur benefactori beneficium recompensare pro tempore pro quo fervor est major retribuentis: sed hoc est statim post collationem beneficii: & non expectando: igitur. major & minor notæ sunt de se.

Tertiò sic, quia dicit Seneca secundo de beneficiis: proprium est beneficiatori libenter & citò facere, & retribuere. Modò recompensatio debet beneficium proportionare.

In Oppositum. Oppositum est de intentione Senecæ in libro de beneficiis, dicentis, *qui festinat reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris magis.*

Primum notabile. Pro solutione primo notandum est, quod duplex est debitum: quoddam est morale, aliud est legale, legale debet statim persolvi: si non sit terminus præfixus, & ad hoc potest quis compelli jure scripto. Si autem est debitum morale, non tenetur quis statim ad retribuendum, nec potest compelli scripto.

Secundum. Secundò notandum est, quod in recompensatione beneficii sunt duo considerranda: scilicet affectus & effectus. Et sic potest intelligi dupliciter. Uno modo quoad effectum. Alio modo quoad affectum.

Prima conclusio. Sit igitur prima conclusio: beneficiatus quoad affectum benefacienti tenetur statim ad retribuendum sibi quando, ubi, quomodo, & qualiter oportet.

Secunda. Secunda conclusio: quoad effectum beneficiatus non tenetur statim recompensare beneficium. Patet, quia tunc homo non haberet animum grati hominis, sed potius debitoris: ut vult Seneca in libro prius allegato.

Et tunc ad rationes dubii.

Ad rationes dubii. Ad primam conceditur illa: & hoc quoad effectum, vel quoad affectum. Modò verum est, quoad effectum.

Ad secundam conceditur, si sit fervor bene circumstantionatus: & nihil plus arguit ratio illa.

Ad tertiam conceditur dictum Senecæ, & hoc quoad effectum, vel affectum: sed sufficit quod velit sibi benefacere quoad affectum, & retribuere.

Ad

Ad rationes, Ad primam negetur major: nisi Metaphoricè loquendo, comparando partes hominis ad invicem, & hoc dictum est in uno notabili. *Ad rationes quæstionis.*

Ad secundam dicitur, quod homo debet aspicere ad effectum & modum dandi: igitur si beneficiatus sciret quòd benefactor dat ei beneficium sub spe remunerationis: tunc non tenetur ad gratiarum actiones: sed ad faciendum quod in se est.

Ad tertiam conceditur, quod servus sic non debetur gratiarum actio: & ideo dicitur quòd servus faciendo domino suo, quod debet non facit beneficium domino suo, sed si faciat ultra debitum suum non sub spe remunerationis ut sic, non est servus domini sui; sed tenet locum superioris.

Ad quartam conceditur major. Sed negetur minor: & hoc loquendo quoad effectum, licet non quoad effectum, nec oportet.

Ad quintam conceditur major tur ulterius dicitur; quod beneficiatus debet facere illud quod in se est, & retribuere benefacienti; & licet quandoque hoc noceat benefacienti, hoc tamen est per accidens: & hoc non obstat, similiter esset de scientia, quia aliquando de per accidens nocet habentis Ratio posti oppositum est pro doctis.

QUÆSTIO XIII.

De Politia Democratica.

QUæritur tredecimò. Utrum Democratia ubi totus populus principatur secundum propriam intentionem, & non secundum leges, est politia simpliciter.

Arguitur quòd sic: Politiæ pessimæ, sc. Oligarchia & Tyrannis sunt politiæ simpliciter: ergo & Democratia. Patet consequentia, quia politia non est nisi ordo principantium. Consequens est Philosophi. *Arguitur.*

Secundo sic: in tali politia est ordo principantium. igitur. patet consequentia, quia politia non est aliud, quàm ordo principantium. Et Antecedens patet, quia manifestum est, quòd ubi homines principantur secundum propriam intentionem & scientiam: ibi est ordo.

Tertiò sic: omnis Democratia est politia simpliciter. igitur. Patet consequentia, quia politia dividitur in Democratiam tanquam in unam ejus speciem; & antecedens notum est.

Quartò sic: nisi sic, hoc maximè esset ex eo quòd ad politiam requiruntur leges: consequens est falsum, quia Monarchia regalis est optima politia, & tamen ibi non principantur secundum leges: quia rex principatur secundum proprium judicium, eò quòd non subjicitur legibus, igitur.

Oppositum est de intentione Philosophi quarto hujus. *In Oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo respondebitur ad quæsitum. In secundo videbitur, utrum ad bonam politiam requirantur leges secundum quas regulentur.

Quantum ad primum articulum, Notandum est, quòd in unoquoque genere debet *Primum articulum.*

Primum notabile. debet esse aliquod supremum quod sit metrum & mensura omnium aliorum de illo genere, patet suppositio per Philosophum secundo Metaphysicæ.

Ex isto sequitur, quòd in genere Politiarum est una quæ est perfectissima politia, à qua omnes aliæ politiæ habent perfectionem, & vocatur politia regalis, ubi unus solus principatur secundum propriam scientiam seu sententiam: liberè subditus ordinans principaliter omnes actus suos ad utilitatem reipublicæ.

Secundum. Secundò notandum est, quòd quanta aliqua politia plus accedit ad primam politiam, tanto est perfectior, & quanto plus distat tanto est deterior: hoc etiam videmus in universa, quia quanto entia plus conveniunt cum Deo, tanto sunt perfectiora.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd iste terminus [politia] priùs dicitur de politia recta: cujusmodi est Regalis & Aristocratia: & minus principaliter dicitur de politia transgressa & viciosa.

Corollariè sequitur, quòd nunquam iste terminus [politia] sine addito verificatur nisi de politia recta, patet ex Logica.

Quartum. Quatuor sunt species Democratiæ. Quartò notandum est, quòd quatuor sunt modi seu species Democratiæ. Prima, ubi multi principantur, & hoc propter aliquas eorum dignitates, seu divitias, vel amicos; & hoc secundum leges.

Secunda est, ubi omnes homines qui ratione ducuntur principantur secundum legem.

Tertia, ubi tota multitudo principatur secundum leges.

Quarta, ubi tota multitudo secundum propriam sententiam & intentionem principatur, & non secundum leges.

Quintum. Quintò notandum est, quòd ad rectam politiam si debeat servari in sua rectitudine requiritur aliqua regula quæ est principium vivendi, & ordinandi actus & operationes ad debitum finem illius politiæ, & talis regula dicitur lex. unde lex est enuntiatio universalis ostendens modum ordinandi actus suos, & modum vivendi. Ex ista suppositione sequitur corollariè, quòd securius est regere politiam lege, quam voce principis; maximè ubi multi principantur: patet, quia voluntas hominis non est securus canon, sed lex est perpetua & firma.

Prima conclusio. Sit igitur prima conclusio: nulla politia transgressa est simpliciter politia: patet ex dictis, quia politia principaliter supponit pro politia recta.

Secunda. Secunda conclusio: modus Democratiæ ubi totus populus principatur secundum intentionem suam & sententiam, & non secundum leges, non est politia simpliciter. Probatur, quia talis vocata politia non habet certam regulam ostendentem modum vivendi, & ordinandi actus & operationes ad debitum finem politiæ: igitur non est politia simpliciter. Antecedens est notum.

Secundò, talis vocata politia, in nullo participat cum prima & optima politia, puta cum Regali, igitur non est politia: consequentia est nota ex terminis: antecedens patet, quia dictum est, quòd ad primam politiam tria requiruntur.

Primum est, quòd ibi sit solum unus princeps. Secundum est, quòd subditi voluntariè sibi subjiciantur. Tertium est, quòd princeps ordinet omnes actus in debitum finem totius politiæ, modo nullum istorum est in politia illa igitur, &c.

Secundus articulus. Quantum ad secundum est dubium. Utrum ad rectam politiam requirantur leges, secundum quas reguletur. Et arguitur quòd non, quia ad politiam

regalem

regalem non requiritur lex; ergo, &c. patet consequentia, quia illa est politia optima. Et antecedens est probatum.

Oppositum arguitur per prædicta prius; quia in recta politia requiritur regula vivendi, & ordinandi omnes actus suos in debitum finem, *In oppositum.*

Pro quo notandum est, quod duplex est lex; nam quædam est scripta, & est enunciatio universalis ostendens modum vivendi, & modum ordinandi omnes actus suos in debitum finem politiæ, quæ enuntiatio est redacta in scriptis. Alia est lex mentalis, & est debita intentio cum prudentia & recta ratiocinatione principantis circa subditos: scilicet quando princeps habet debitam prudentiam sufficit ad regimen bonæ politiæ. *Primum notabile.* *Duplex est lex.*

Secundò notandum est, quod quanto est major unio in politia, tanto est melior concordia, & sic princeps potest melius præcipere necessaria populo. *Secundum.*

Tertio notandum est, quod quanto est major discordia, tanto est pejor politia, patet consequentia per locum ab oppositis. *Tertium.*

Corollariè sequitur, quod quanto princeps est virtuosior, tanto est politia melior.

Sit ergo prima conclusio, ad politiam rectam si debeat servari, requiruntur leges vel scriptæ, vel mentales: patet satis per primum articulum.

Et tunc ad rationes, ad primam negetur antecedens. sed sunt politiæ transgressæ, ut dictum est in primo articulo. *Ad rationes*

Ad secundam quando dicitur [in tali &c. negetur hoc. quia ordo denotat, quòd ibi sit recta habitudo & debita circumstantia seu proportio in illum finem debitum illius politiæ ad invicem.

Ad tertiam negetur antecedens. ad probationem dicitur, quòd ibi est divisio analogi in significata sua; modo in tali divisione non oportet quòd divisum verificetur de quolibet membro dividentium.

Ad quartam conceditur consequens. Ad improbationem dicitur, quòd non est lex scripta, quantum ad Principem: sed est lex mentalis, quia ibi est debita intentio cum prudentia & ratiocinatione recta: & si oppositum sit, non est regalis, sed Tyrannis.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XIV.

De unanimitate nuptiali.

Quæritur decimoquartò. Utrùm in Principatu nuptiali vir & uxor debeant esse unanimes.

Et arguitur quòd non. quia vir & uxor in tali Principatu habent diversas voluntates. ergo non sunt unanimes. tenet consequentia; quia non dicuntur unanimes, nisi quorum mens est eadem. antecedens patet, quia sicut vir & uxor sunt diversa suppositа, etiam habent diversas voluntates. *Arguitur.*

Secundò, si sic esset, sequeretur, quòd vir vellet facere omnia pertinentia ad uxorem, & è contra. consequens est falsum, quia viri & uxoris sunt duo diversa

versa opera. patet consequentia, quia ex quo sunt unanimes sunt ejusdem voluntatis.

Tertiò, in principam nuptiali bene ordinato vir viget ratione, & mulier non. igitur. Consequentia patet, quia voluntas sequitur rationem, & non fertur in incognitum. Et antecedens patet per Philosophum in principio hujus dicentem, quod vir ratione viget, & mulier non: & ideo dicitur quod consilium mulieris est invalidum & infirmum.

Quartò sic, viri & uxores diversæ sunt complexionis. igitur. &c. Patet consequentia, quia voluntas consequitur complexionem: & per consequens si sint diversæ complexiones, erunt diversæ voluntates. Sed quod voluntas consequitur complexionem patet per Empedoclem hoc dicentem. antecedens est notum.

Quintò sic, viri & mulieres sunt distincta opera. igitur, &c. Patet consequentia ex eo quod opus ad extra est signum voluntatis. Et antecedens patet ex dictis in Primo Oeconomicæ.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi Secundo Oeconomicæ dicentis, & patet per expositores in isto Quarto, & per Albertum maximè.

Primus articulus. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quod voluntas capitur dupliciter. Uno modo pro potentia volitiva. Secundo pro actu volendi, seu volitionis. Si primo modo capiatur, concedetur quod voluntas est libera, & sic anima intellectiva dicitur voluntas respectu actuum volendi & nolendi. Et dicitur intellectus respectu actuum intelligibilium, & in proposito capitur voluntas secundo modo, scilicet pro actu volendi.

Voluntas capitur dupliciter.

Secundum. Secundò notandum est, quod virum & uxorem esse unanimes potest intelligi dupliciter: Uno modo quod actus eorum sint eædem volitiones omnino, & æquales respectu ejusdem actus: Alio modo quod eorum volitiones sint concordes, & proportionabiles.

Virum & uxorem esse unanimes dupliciter capitur.

Tertium. Tertiò notandum est, quod principatus nuptialis est quo vir in communicatione Oeconomica principatur uxori.

Quartum. Quartò notandum est, quod voluntas principantis ut sic, debet ad majora tendere, quàm voluntas servi, vel subditi. Et sic patet, quod voluntas inferioris ut sic, debet ordinari à voluntate principantis, & superioris.

Quintum. Quintò notandum est, quòd voluntatem sequi complexionem potest intelligi duobus modis. Uno modo quod sequatur de per se & necessariò, sic quod varietatem complexionum de per se & necessariò sequitur diversitas voluntatum: & sic est falsum, quia voluntas de se libera est, & de se non potest necessitari. Alio modo potest intelligi, quod voluntas sequitur complexiones naturales de per accidens. sic scilicet, quod secundum diversitatem complexionum sequitur diversitas voluntatum aliquo modo: non tamen inducendo necessitatem, sed inclinationem quæ tollit libertatem.

Ista suppositio quoad tertiam partem patet: quia diversi diversimodè inclinantur, & aliquando est voluntas recta, & aliquando non. Nam certum est, quod voluntas sequitur judicium rationis, sive ratio sit perversa, sive sit recta: quia voluntas non fertur in incognitum. Modò ratio indiget juvamine sensuum exteriorum

exteriorum in judicando, secundum quod sensus sunt magis & minus vivaces: & secundum hoc etiam ratio aliter regitur, & disponitur ad volendum; quia tunc ratio indiget sensibus exteriotibus, quia necesse est quemcunque intelligibilem fantasmata speculari, Tertio de anima.

Sextò notandum est, quod universaliter in quocunque principatu sive politico, sive servili, vel Despotico, vel nuptiali, sive paterno; requiritur, quod semper prompte, liberè, & debito modo subditus obediat superiori, ad hoc quòd talis principatus remaneat in suo vigore. Ista suppositio patet per Albertum in multis locis. *Sextum.*

Quantum ad secundum articulum, sit prima conclusio: capiendo virum & uxorem esse unanimes primo modo in principatu nuptiali bene ordinato, vir & mulier non debent esse unanimes. Patet, quia illo modo unanimitas viri & uxoris esset: si haberent voluntates æquales, & consimiles. Modò hoc non debet esse in principatu nuptiali, in quo vir dominatur uxori, modò voluntas principantis ut sic, debet intendere ad magis ardua, quam voluntas subditi ut sic & sub distat: & per consequens sequitur, quod volitio viri debet esse nobilior, & perfectior quoad objectum, quam voluntas uxoris. *Secundum articulum. Prima conclusio:*

Secunda conclusio, loquendo de unanimitate viri & uxoris secundo modo, in principatu nuptiali bene ordinato, vir & mulier debent esse unanimes. Probatur, quia si voluntas uxoris debet esse concors in principatu tali, & debito modo proportionata voluntati viri. igitur debent esse unanimes. Patet consequentia ex terminis. Antecedens patet ex dictis in una suppositione, quia oportet, quòd subditus liberè & prompte obediat principanti, modo hoc non potest esse, nisi sit concordia: & intelligitur conclusio de unanimitate quoad virtuosos, justos, & honestos actus, & non vitiosos. Unde concordia propriè non est nisi respectu objecti boni, vel apparentis boni. Patet, quia quamdiu objectum est bonum, vel apparens bonum, concordia nutritur, & permanet; & si oppositio modo, concordia perit, & non permanet: & isto modo intellexit Albertus istam conclusionem. *Secunda.*

Ad rationes, ad primam conceditur antecedens, loquendo de voluntate, proutcipitur voluntas pro potentia volitiva, & quod illorum sint diversæ volitiones in numero, sed tamen illæ debent esse concordes secundum proportionem. *Ad rationes*

Ad secundam conceditur consequentia, si vir & uxor sunt unanimes primo modo, sed hoc non oportet, & ideo nihil concludit ratio.

Ad tertiam conceditur, quod mulier non tanta ratione viget. & sic ratio bene arguit, quod vir & mulier non debent habere voluntates omnino æquales, sed sunt æquales secundo modo. Et etiam dicitur, quòd consequentia non valet, ut dictum est in primo articulo; quia voluntas de per accidens sequitur complexionem, vel diversitatem complexionum.

Ad quartam conceditur antecedens, & etiam consequens sic: scilicet quod non habent voluntates omnino æquales, sed bene habent concordes & proportionabiles, & hoc sufficit.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO

QUÆSTIO XV.

De Vitio Ebrietatis.

Quæritur decimo quintò. Utrum omnis ebrietas ſit vitium?

Arguitur. Arguitur quòd non: ebrietas non habet vitium ſibi oppoſitum. Cum omnis virtus ſit inter duas malitias. Et antecedens patet, quia à nullis Philoſophis poſitum eſt tale vitium.

Secundò ſic: ebrietas eſt involuntaria, ergò non eſt vitium. Patet, quia omne vitium eſt voluntarium; quia homo non peccat faciendo illud quod non poteſt evitare. Antecedens patet, quia ebrius in ebrietate perdit uſum rationis modò nullus voluntariè perdit uſum rationis, igitur.

Tertiò: nam ſi ſic, ſequeretur, quòd qui alium invitaret ad convivium peccaret: conſequens eſt falſum, & patet conſequentia; quia convivium eſt cauſa talis peccati. Antecedens patet, quia quicunque eſt cauſa peccati peccat.

In Oppoſitum. Oppoſitum arguitur, quia ebrio debentur duplices increpationes. igitur ebrietas eſt vitium. Patet conſequentia, quia nulli actui debentur increpationes, niſi ſit vitioſus actus: & antecedens patet per Philoſophum Tertio Ethicorum, ubi dicit, quòd ebriis debentur duplices increpationes. igitur ebrietas eſt vitium.

In quæſtione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæſito, In ſecundo, utrum ebrietas excuſet peccatum?

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, Primò notandum eſt, quòd ebrietas capitur duobus modis. Uno modo pro defectu pœnali conſequente ex culpa, ſcil. prout ebrietas eſt carentia uſus ipſius rationis; quæ carentia ſequitur ad actum ex quo talis inebriabatur. Secundo modo capitur pro actu illo per quem incidebat in talem defectum pœnalem, ſcilicet quòd homo incidebat in carentiam uſus rationis.

Primum notabile.

Ebrietas dupliciter capitur.

Secundum. Secundò notandum eſt, quòd dupliciter aliquis poteſt cadere in talem defectum pœnalem. Uno modo ex vini fortitudine præter opinionem ſuam. Alio modo ex actu potandi, & hoc ex nimia concupiſcentia & gula vini. primo modo dicitur, quòd Loth inebriatus fuit, quando commiſcuit ſe filiæ ſuæ.

Tertium. Tertiò notandum eſt, quòd cum aliquod vitium non reperitur in hominibus, nisi in pluribus: ſed ut in paucioribus tali vitio non eſt nomen impoſitum, niſi per quandam circumlocutionem.

Iſta ſuppoſitio patet per Philoſophum Tertio Ethicorum, quòd ibi loquitur de ſenſualitate, quia raro reperitur homo, qui non moveatur ſecundum appetitum ſenſus. ergo non valet conſequentia, [a] non eſt nomen impoſitum: ergo [a] non eſt vitium.

Prima concluſio. Sit ergo prima concluſio: ſumendo ebrietatem primo modo, ſcilicet pro defectu pœnali conſequente ex culpa non eſt vitium: probatur, nam iſta eſt minima pœna. & certum eſt, quòd talis defectus pœnalis non eſt voluntarius: quia talis defectus eſt pœna, quæ conſequitur ad culpam, & talis non eſt culpa.

Secunda

Secunda conclusio: sumendo ebrietatem pro actu illo per quem homo incidit in statum, in quo non habet usum rationis; si hoc sit ex ignorantia bibentis, & ex nimia fortitudine vini, & ex ignorantia invincibili, ebrietas non est vitium. Probatur, quia ille actus non est voluntarius. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio: sumendo ebrietatem pro actu in quo homo cadit in statum per quem caret usu rationis; & hoc maximè ex nimia cupiditate, concupiscentia, & usu vini; ebrietas est vitium, seu peccatum. patet, quia ebrietas in isto casu est voluntaria, saltem antecedenter. ergo conclusio vera. *Tertia.*

Quantum ad secundum articulum, videndum est, utrum ebrietas excuset à peccato, ita scilicet, si unus in politia tempore ebrietatis aliquem lædat. Utrum ebrietas eum excuset. *Secundum articulum. Dubium.*

Arguitur quòd non, auctoritate Philosophi Secundo Ethicorum dicentis, quod ebrio debentur duplices increpationes. *Arguitur.*

Secundò sic. Ebrietas est vitium: igitur. Tenet consequentia, quia vitium vini non excusat à peccato: immo potius aggravat. Antecedens patet ex dictis.

Tertiò. concupiscentia non excusat à peccato: ergo nec ebrietas. Patet consequentia, quia sicut dicitur Secundo Ethicorum, quod sicut per concupiscentiam ratio ligatur, ita per ebrietatem, & è contrà. Et antecedens notum est: nam dicitur, quod concupiscentia furata est animum spissè sapientis Septimo Ethicorum.

Pro isto notandum est, quod duplex est ebrietas: quædam est quæ facit omnino carere usu rationis. alia est quæ non totaliter obfuscat: sed habet usum rationis multùm perturbare. Modò dicitur, quod dupliciter intelligitur de prima ebrietate: quia de secunda non est dubium. *Primum notabile. Duplex est ebrietas.*

Secundò notandum est, quòd quando aliquis liberè & voluntariè facit aliquem actum ad quem de per se, velut in pluribus, sequitur carentia usus rationis: si pro tempore quo caret usu rationis faciat actum de genere mali, talis peccat: quia talis actus aliquo modo fit voluntariè. Patet, quia homo offerebat se voluntariè ad talem actum antecedentem, & per consequens ad actum consequentem. *Secundum.*

Tertiò notandum est principaliter, quòd aliquis potest esse ebrius dupliciter. Uno modo, quia sine peccato: i. vitio ad illum actum & statum devenit: scil. vel quia moderatè potavit: sed vinum erat nimis sibi forte. Alio modo cum peccato suo. i. cum gula & concupiscentia. *Tertium. Quo potest fieri ebrius dupliciter.*

Tunc sit prima conclusio. Loquendo de ebrietate ad quam homo non devenit ex vitio suo, ebrietas excusat à peccato. Patet, quia si aliquod malum fuit tempore ebrietatis, hoc est involuntarium. Patet consequentia, quia peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium non est peccatum. Antecedens patet, quia non antecedenter: quia si sciviſſet ipse non fuit ebrius, ut supponitur quod modicè potavit de vino, nec etiam communiter, ut notum est, & de illa ebrietate fuit Loth ebrius. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio, de ebrietate ad quam homo ex culpa sua devenit, ebrietas non excusat ipsum à peccato. Probatur, quia si tempore ebrietatis talis ebrius committat aliquod turpe, hoc est voluntarium. igitur. Patet consequentia, & antecedens patet etiam, quia licet actus non sit malus formaliter antecedenter: *Secunda.*

cedenter: tamen bene consequenter; quia commisit actum voluntarie ad quem sequitur talis actus, ut patet ex una suppositione.

Ad rationes dubii. Et tunc ad rationes dubii. Ad primam; ad auctoritatem Philosophi dicitur, quòd intelligitur de ebrietate ad quam homo devenit ex culpa sua: scil. quando homo non habet usum rationis.

Ad secundam conceditur consequens, & consequentia: & hoc quando ebrietas provenit ex culpa viri ebriosi.

Ad tertiam dicitur, quod non est simile de concupiscentia & ebrietate. Patet, quia ebrietas offuscat totaliter usum rationis: concupiscentia autem non, si tamen esset ita quod concupiscentia offuscaret usum rationis, bene concederetur.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes quæstionis. Ad primam negatur antecedens, quia nomen illi vitio non est impositum; ut dictum est.

Ad secundam dicitur, quod ebrietas non est voluntaria. Conceditur, quando non provenit ex culpa: sed quando provenit ex culpa, tunc fit voluntariè.

Ad tertiam dicitur, quod in casu in quo invitans sciret invitatum esse malæ complexionis, & quod libenter se inebriaret, & quod avidè poteret, & propinaret sibi forte vinum, talis peccaret: sed si non esset aliqua istarum circumstantiarum, tunc non peccaret: igitur in talibus oportet respicere ad diversas circumstantias; & sic difficile est ponere universales, eò quod actus hominum sunt singulares, & diversimodè provenientes, scilicet ex diversis intentionibus.

QUÆSTIO XVI.

De vi coerciva Regis.

Arguitur. QUæritur decimo sextò. Utrùm in regimine politico seu civili, solus rex, vel princeps habeat vim legis coercivam?

Et arguitur quod non: quia pater respectu filiorum suorum in regimine Oeconomico habet vim legis coercivam. igitur. Tenet consequentia, quia multi sunt patres qui non sunt reges, vel principes. Antecedens patet Nono Ethicorum, ubi dicitur quod sicut se habet rex ad subditos suos, ita se habet pater ad filios.

Secundò, in principatu Timocratico quilibet de populo habet vim coercivam legis: non ergo rex solus. Patet consequentia ex terminis, quia non quilibet in principatu Timocratico est rex: & antecedens patet, quia Timocratia est principatus, ubi multitudo populi dominatur & principaliter propter bonum commune.

Tertiò sic, rex nullo modo habet vim coercivam legis ad suos subditos: igitur. Patet consequentia, quia quæstio hoc supponit. Consequentia patet, quia ubicunque est coactio, ibi est violentia & involuntarium; ut videtur, modò in regimine regali non debet esse violentia: quia subditi debent promptè & libere firmiter obedire principi. Unde inter omnes principatus regalis est magis voluntarius.

Oppositum

Oppositum est de intentione Philosophi Decimo Ethicorum, & patet per expositores multis in locis, seu passibus istius libri. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo, unum sermones ad virtutum acquisitionem multùm conferant.

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quod lex potest sic describi. Lex est enuntiatio universalis de agibilibus, facta ex ratione & voluntate, procedens. *Primum articulum.*

Primum notabile.

Corollariè sequitur, quod si aliquis cogatur ad aliquam enuntiationem universalem factam de agibilibus humanis, talis enuntiatio respectu illius non est lex. Patet, quia dicitur ex voluntate procedens. *Descriptio legis*

Secundò sequitur, quod omnis enuntiatio universalis facta ex rebus agibilibus extra dictamen rectæ rationis est transgressio legis. Patet ex descriptione, quia dicitur, [ex ratione procedens.]

Tertiò sequitur, quòd in Tyrannide ut sic, non est aliqua lex respectu subditorum. Patet, quia ibi est violentia: ita quòd violenter obediunt subditi, tunc quia illa justitia est contra dictamen rectæ rationis.

Secundò notandum est, quòd ille dicitur habere vim coercivam legis: scil. qui potest compellere virtute legum operantes contra tales leges habentes vim coercivam. Patet, quia non potest cogere, nisi virtute legum, igitur. *&c.* *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd aliquis potest habere dupliciter vim legis coercitivam. Uno modo principaliter, & illimitatè. Alio modo minus principaliter, & limitatè. *Tertium.* *Duplex vis coërciva legis.*

Quartò notandum est, quòd ille principaliter dicitur habere vim legis coercivam, cujus est leges vel legem interpretari, vel leges applicare ad actus & casus particulares de novo emergentes. Ista suppositio non est dubia. *Quartum.*

Sit ergo prima conclusio: solus rex vel princeps principaliter & illimitatè habet vim coercivam legis. Probatur, quia solius regis vel principis est legem condere, ergo. Consequentia est nota. Et antecedens probatur, quia solus rex habet potentiam illimitatam, vel principaliter: ergo solus rex habet potentiam illimitatè, & principaliter: ergo solus potest legem condere. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: loquendo de habere vim legis coercivam limitatè, & minus principaliter, non solum rex vel princeps habet vim coercivam legis. Patet propositio, quia multi sunt subordinati regi, vel principi, qui minus principaliter habent regere, & dirigere, errantes contra legem puniendo secundum debitas circumstantias, ac etiam præmiando. *Secunda.*

Quantum ad secundum articulum. Videndum est, utrum sermones multùm conferunt ad virtutum acquisitionem & operationem. *Secundus articulus.*

Et arguitur quòd non, solùm operationes faciunt ad virtutum acquisitionem, sed sermones non sunt operationes. igitur. Patet consequentia, & major Septimo Ethicorum, quia actus faciunt ad habitus acquirendum; vel quia multi multa dicunt, & pauca faciunt. *Dubium.* *Arguitur.*

Secundò sic, si sic, sequeretur, quòd æqualiter sermones omnibus proficerent ad virtutum generationem. Consequens est falsum; quia aliqui sunt & fiunt boni per verba, & aliqui mala. Et patet consequentia, quia sermo inest homini à tota specie. Et ideo sermones similes debent habere effectus & sic similiter omnibus hominibus proficerent, cum objecta sunt similia;

quia omnes homines sunt ejusdem speciei.

In oppositum. Oppositum arguitur; quia nisi sic, sequeretur, quòd in politia bene recta & ordinata fierent frustra castigationes verbales, & persuasiones. Consequens est falsum. igitur. Patet consequentia, quia ex quo tales persuasiones nihil ad virtutum generationem faciunt, videtur quòd frustrà fierent.

Primum notabile. Triplex differentia hominum. Pro isto sciendum est, quòd homines sunt in triplici differentia; quia quidam sunt ratione ducibiles, & castigabiles, seu corrigibiles, & persuasibiles. alii sunt homines qui sunt vitiosi: ita quòd tales non corriguntur à principe, nisi per pœnas & punitiones citra exterminium. alii sunt ita indurati & firmati in malitiis, quòd non possunt corrigi, nec castigari per pœnas & punitiones citra exterminium: sed oportet eos ultra modicum ire: & istorum primi vocantur à Philosopho bene nati. Secundi vero vocantur malefactores. Tertii autem indurati & pessimi.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd licet complexio de per se non facit ad acquisitionem virtutum, & bonitatem; tamen multùm facit inclinativè, quia secundum diversitatem complexionum de facili vel difficili, aliqui sunt virtuosi.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd in bono principatu quicunque sit ille ad principantem pertinet auferre omne illud quod obviat debito fini ad quem talis politia ordinatur. Patet, quia talis princeps debet subditos suos ordinare, & eligere ad finem, ad quem ordinatur politia, & etiam dirigere. Ista suppositio est de intentione Philosophi Quarto hujus, quia subditi debent dirigi à principe, tanquam à regula.

Conclusio responsiva. Sit ergo prima conclusio. Sermones multùm faciunt ad acquisitionem virtutis, quoad illos qui sunt corrigibiles & ducibiles. Probatur per rationem, nunc factam: quia frustra essent tales persuasiones in politia & rationes. Item per sermonem homo manifestat alteri, quanti præmii & dignitatis sunt virtutes. Unde homo ducibilis, qui est utens ratione statim inclinatur ad acquisitionem virtutum; modò tales inclinationes sunt causa virtutum: quia circa operationes justi fiunt homines. Sed apud alios non sufficiunt sermones, seditiones, & pœnæ, & hoc citra exterminum: sed apud immoderatos & induratos totaliter non sufficiunt sermones, punitiones, & pœnæ: sed requiritur exterminium. Ex istis patet, quomodo utile est uti persuasionibus in politia.

Rationes dubii sunt solutæ satis ex dictis.

Ad rationes Quæstionis. Ad rationes, ad primam negatur antecedens: scilicet, quòd pater super filios habeat vim coercivam legis, quia si filius esset nequam, quòd peccaret contra rempub. pater non habet vim ipsum puniendi, sed bene potest habere vim coercivam legis paternæ: & causa est, quia propter naturalem generationem; pater non habet cor ita durum & ita malum, quòd ipse propria manu filium suum interficeret.

Ad secundam, negatur consequentia, quia totus populus ille in politia reputatur pro uno rege, vel pro uno principe.

Ad tertiam dicitur, quòd rex nunquam dicitur habere vim coercivam legis nisi contra rebelles, & malos, quia non est lex posita justos & ideò tales rebelles debent corrigi per violentiam, ut bene faciant, & apud tales licita est coactio,

& violentia quæ est respectu rebellium & inobedientium. Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XVII.

De Amicitia.

Quæritur decimo septimò, Utrum amicitia sit causa pacis in regimine politico.

Arguitur primò quòd non. Inimicitia non est causa dissentionis in politia: igitur. Patet consequentia, quia pax & dissentio opponuntur. Et Antecedens probatur, quia dissensio est causa inimicitiæ: igitur non est causa pacis. Consequentia patet, quia pax & dissentio sunt effectus oppositi. Antecedens patet: quia dissensio generat inimicitiam. *Arguitur.*

Secundò arguitur. Amicitia est aliquando causa dissentionis: ergò non est causa pacis. Consequentia tenet, quia pax & dissentio sunt effectus oppositi. Modò nulla est causa naturalis eadem oppositorum. Antecedens patet ex eo quòd alter diligit alium in actibus malis, & vitiosis; habet dissentionem talem amicitiam; quia non vult sibi assentire.

Tertiò, si sic, sequeretur, quod in aliquo genere causæ esset tunc amicitia causa pacis: sed non potest assignari genus; quia si sic, maximè esset in genere causæ efficientis, ut notum est, quoniam non videtur aliud genus. Modò hoc est falsum: quoniam amicitia non facit pacem, imò voluntates hominum faciunt pacem.

Quartò sic, si sic, sequeretur quòd quanto politia esset magis una, tanto esset melior: consequens est falsum: quia ut habetur. Secundo hujus, quanto politia est magis una, tanto magis accedit ad primam politiam.

Oppositum est de intentione Philosophi in isto quarto: quia unio civium in politia est causa pacis. Patet, quia unio non est nisi amicitia & concordia. Et Antecedens patet, pax consistit in unione civium. *In Oppositum.*

Pro intellectu conclusionis est notandum, quòd sicut patet Octavo & Nono Ethicorum. Triplex est Amicitia propter bonum utile, amicitia propter bonum delectabile, & amicitia propter bonum honestum: quæ est amicitia simpliciter: sed duæ primæ amicitiæ non sunt veræ amicitiæ: quia illæ reperiuntur in vitiosis: sed tertia amicitia est simpliciter virtus. Et ideo dicit Philosophus, quòd amicitia est virtus, vel non est sine virtute. *Primum notabile.* *Triplex amicitia.*

Secundo notandum est, quod pax est quietatio civium in debitum finem politiæ civitatis, & principantis. *Secundum notabile.*

Tertio notandum est, quod ad talem quietationem multa requiruntur, primum est, quod cives sic se habeant, quod quilibet attendat ad bonum commune. Secundum est, quod tales non sunt nimis divites, nec etiam multùm egentes, seu pauperes: sed mediocres, quia si essent nimis divites, aliis contemnerent, & si essent nimis pauperes, aliis invidierent. Modò amicitia & quietatio non stat cum contemptu & invidia. *Tertium.*

Tertium est, quod tales cives sint virtuosi, patet, quia oportet quod obediant

rationi modo solùm virtuosi obediunt rationi. Ideo dicitur primo Ethicorum, quod omnia consonant rationi in virtuosis. Quartum est, quod in politia reperiantur omnia illa quæ sunt necessaria ad vitam humanam ducendam, patet, quia civitas debet esse per se sufficiens; patet, quia aliàs non esset quietatio civium: imo quilibet tenderet ad propriam utilitatem.

Quartum notabile.

Quarto notandum est, quod nullum est inconveniens dissentionem esse causam inimicitiæ: & è contra, quia hoc est in diversis generibus causarum, vel saltem diversimodè: quia in eodem genere tunc benè dissensio est effectus inimicitiæ, & è contra, & ideo dicitur Secundo Physicorum, causa sunt sibi invicem causæ.

Quintum notabile.

Quinto notandum est, quod civitatem esse maximè unam potest intelligi dupliciter: uno modo quoad similitudinem statuum hominum habitantium in illa politia. Secundo modo quoad tranquillitatem, & concordiam, & quietationem civium. Et sano hoc intuitu, quare dicit Philosophus Secundo hujus, quod politia quanto magis accedit ad unitatem, tanto magis recedit à ratione politiæ. Dicitur quod Philosophus intellexit de civitate quod esset una primo modo, & non secundo modo.

Prima conclusio.

Et sunt sit prima conclusio amicitia propter bonum utile non semper est causa pacis: patet, quia talis amicitia stat bene cum vitio inter vitiosos, & cum illis

Secunda.

difficiliter stat amicitia, quia cessante tali bono cessat amicitia.

Tertia.

Secunda conclusio. Amicitia propter bonum delectabile frequenter est causa dissensionis. Intelligitur de delectabili quoad sensum, & non quoad rationem. Conclusio satis est notata.

Tertia conclusio est ponitur. Amicitia propter bonum honestum est causa pacis: patet, quia talis amicitia non est sine virtute, & inter solos bonos & virtuosos: ergo est causa pacis: consequentia patet, & antecedens est Philosophi,

Dubium.

& capitur hic causa satis large, nam posita amicitia ponitur pax, & è contra.

Sed tunc dubitatur, quia dictum est, quod amicitia est causa pacis, & hoc secundum bonum honestum, unum pax stet inter aliquos cum vitio, sc. cum culpa?

Arguitur.

Et arguitur quod non. Quia si sic, eadem ratione amicitia stabit cum vitio.

Consequens est falsum, & patet consequentia, quia pacifici sunt communiter amici: & consequentia manifesta est de se.

In Oppositum.

Oppositum arguitur, quia si sic, sequeretur quod innocentes ebriosi usu rationis carentes generaliter inter se non haberent pacem ad invicem. Consequens est falsum, & patet consequentia; quia tales non sunt virtuosi.

Primum notabile.

Pro solutione notandum est, quod pax capitur dupliciter. Uno modo pro unione voluntatum, sive secundum dictamen rectæ rationis, & ad debitum finem cum debitis circumstantiis, & sic capitur communiter. Alio modo capitur pro unione voluntatum, sive sit secundum dictamen rectæ rationis, sive non: & sic capitur improprie.

Pax dupliciter capitur.

Secundum.

Secundò notandum est, quòd aliqui possunt dici dupliciter virtuosi. Uno modo formaliter & in esse completo. Alio modo accidentaliter, & inesse incompleto. Formaliter dicuntur virtuosi, quia habent habitus morales ipsos inclinantes quomodo oportet agere, & qualiter, & quando, & sic de aliis: secundò virtualiter, sicut qui non habent tales habitus: sed sunt benè dispositi ad tales habitus acquirendos, ut sunt juvenes benè nati, & alii. Et hoc dicit Philosophus

losophus Secundo Ethicorum, ubi dicit, quòd virtus ineſt à natura hominibus initiativè.

Sit igitur prima concluſio. ſumendo pacem primo modo, & propriè inter vitioſos eſt ſolùm pax. patet, quia inter ſolos virtuoſos eſt unio voluntatum ſecundum dictamen rectæ rationis; quia omnis malus eſt ignorans, & ignorat circumſtantias ad bene agere requiſitas. *Prima conclu-ſio.*

Secunda concluſio: ſumendo pacem ſecundo modo, inter vitioſos reperitur pax patet, quia inter vitioſos reperitur unio voluntatum, ſive ſit cum recta ratione, ſive non, ergo &c. Conſequentia eſt nota, & antecedens ſimiliter. *Secunda.*

Ad rationes. Ad primam negatur antecedens. Ad probationem negatur conſequentia, quia non eſt inconveniens, quod diſſentio ſit cauſa inimicitiæ, & è contrà, & hoc diverſimodè. *Ad rationes.*

Ad ſecundam, quando dicitur [amicitia &c. negatur hoc. Ad probationem dicitur, quod illa diſſentio non eſt actus inimicitiæ, ſed actus malefactorum.

Ad tertiam dicitur, quòd poteſt eſſe in genere cauſæ efficientis. Ad probationem negatur antecedens: nec hoc apparet.

Ad quartam conceditur conſequens, & conſequentia, de unitate concordiæ, amicitiæ, pacis, & tranquillitatis; ſed non de unitate ſimilitudinis ſtatuum hominum habitantium in ea.

QUÆSTIO XVIII.

De Interpretatione Dubiorum in Judicio.

Quæritur decimo octavo. Utrum in judicio dubia ſunt ſemper in meliorem partem interpretanda.

Arguitur quod non, judicium humanum debet eſſe in illis quæ ut in pluribus accidunt; ſed homines ut in pluribus ſunt malis igitur &c. Major patet, quia homo aliàs judicaret caſualiter. Minor patet, quia à nativitate ſumus prompti ad malum. *Arguitur.*

Secundo ſic: ille non eſt integer extimator ad rem, qui alteram partem declinat; ſed ſic facit ille qui interpretatur dubia ad meliorem partem: igitur &c. Major patet per Auguſt. dicentem, quòd ad unam partem non debet magis inclinare, quam ad aliam. Minor nota eſt.

Tertiò ſic, homo ſuos proprios actus in ſuo judicio debet ad partem deteriorem judicare, vel interpretari; ergo etiam actus alienos, ubi eſt dubium, debet ſic interpretari. Conſequentia eſt nota, quia debet proximum ſuum diligere ſicut ſeipſum. Antecedens patet. quia homo non debet tantum de ſe præſumere quòd actus ſuos laudet.

Quartò ſic, illud non eſt faciendum quod non poteſt ſine ſcandalo fieri; ſed homo non poteſt dubia interpretari ad partem meliorem ſine ſcandalo: ergò non eſt licitum. Conſequentia eſt nota. Et major etiam, quia quilibet tenetur non facere illud quod eſt fugiendum. Minor patet. quia ſic interpretando præſumeret de alio, quod eſt peccatum, & eſt occaſio peccati, quia laudaret aliquem de

de actibus ſuis, & alium vituperaret. In oppoſitum eſt communis ſententia.

In Oppoſitum.

In quæſtione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæſito. In ſecundo utrum in quodam caſu ſcandalum ſit vitandum.

Primus articulus.

Quantum ad primum Articulum primò notandum eſt, quòd ſcandalum ſic deſcribitur. eſt dictum vel factum minus rectum præbens aliis occaſionem peccandi, ſeu ruinæ, vel delinquendi; quod idem eſt. Homo enim dicitur alium ſcandalizare, quando dat illi occaſionem peccandi per facta vel dicta.

Primum notabile.

Deſcriptio ſcandali.

Ex quo ſequitur corollariè, quod nunquam ſcandalum generaliter eſt ſine aliqua difformitate ſeu vitio. patet, quia dicitur, quòd ſcandalum eſt dictum vel factum minus rectum.

Secundum.

Secundò notandum eſt, quòd duplex eſt ſcandalum. Quoddam eſt activum, aliud eſt paſſivum. Scandalum activum ſe tenet ex parte illius qui facit opera, vel etiam dicit verba, quæ ſunt de ſe mala, vel ſaltem ſpeciem mali habent, ut alium trahant ad ruinam, vel ad peccandum, & talis multùm peccat: quis quantum eſt de ſe depravat animam proximi ſui. Scandalum paſſivum ſe tenet ex parte illius, qui ex dictis alterius capit occaſionem peccandi, & ruinæ. Et quo patet, quòd ſcandalum activum poſſibile eſt eſſe ſine ſcandalo paſſivo, & è contrà. Patet. quia eſto, quòd unus malus homo dicat vel faciat mala, ut quòd ducat alterum, et trahat ad peccandum; tamen poterit eſſe quod alter erit talis ſic quòd non peccabit. Similiter eſt poſſibile, quòd unus homo bonus dicat verba bona, ut alium non trahat ad peccatum, & tamen unus malus eliciet occaſionem peccandi juſtè.

Duplex eſt ſcandalum.

Tertium.

Tertiò notandum eſt, quod quotienſcunque aliquis malam habet præſumptionem de aliquo ſine motivo ſufficienti, talis facit injuriam alteri: & maximè, ſi talis provulget opinionem ſuam. Patet, quia ex quo habet ſufficiens motivum malè judicat, patet, quia errat & peccat mortaliter.

Quartum.

Quartò notandum eſt, quod aliud eſt judicare de hominibus, & aliud de aliis rebus. Nam judicare de aliis rebus fit ab hominibus ſic, quòd eſt bonum judicium vel malum non attenditur ex parte rerum, ſed ex parte judicantis; & ſi ſit malum judicium, tunc eſt imperfectio ipſius intellectus judicantis. ſi bonum, tunc eſt perfectio intellectus, ſed in judicio facto de homine bonum vel malum attenditur ex parte illius de quo eſt judicium. Nam ſi talis eſt malus, tunc talis redditur deſpectibilis: ſi bonus, tunc redditur honorabilis.

Quintum.

Quintò notandum eſt, quòd judicantes de aliis rebus ab hominibus debent ſemper judicare prout ſunt. Patet, quia in hoc conſiſtit perfectio ſui intellectus. ſed judicando de hominibus debent niti, ut non judicent aliquo modo ſine motivo ſufficienti, quia aliter crimen injuſtè dicerent.

Sextum notabile.

Sextò notandum eſt, quòd judicare ad partem meliorem vel pejorem dupliciter intelligitur. uno modo ſuppoſitivè, alio modo definitivè. Si ſuppoſitivè: ut ſi aliquando eſſet licitum, quòd interpretaretur proprios actus & alienos, ut inde fiat bonum remedium. Sed definitivè debet videre, ut nullum malum inferatur inde.

Septimum. Aliquid dicitur dubium dupliciter.

Septimò notandum eſt, quòd aliquid dicitur dubium alicui dupliciter. Uno modo ſimpliciter. quia una pars non eſt magis ſibi nota, quam alia. Alio modo, quia licet non habeat motiva ſibi concludentia ad unam partem vel aliam, habet tamen argumenta veriſimilia.

Et

Et tunc sit prima conclusio. ubi aliquid est dubium, non tamen simpliciter, sed secundo modo, tunc dubia essent interpretanda in partem deteriorem, etiam judicando de homine. Probatur, quia si homo non habeat motiva sufficientia, licet verisimilia, licitè potest interpretari ad deteriorem partem ad finem, ut talis melioretur. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio, ubi aliquid esset dubium simpliciter judicando de homine, dubia sunt semper interpretanda in meliorem partem. Probatur, quia oppositum facere esset malum, & culpam alteri inferre, sic quòd inde fieret despectibilis, & etiam haberet falsum de alio opinionem sine motivo sufficienti: ergo facit alteri injuriam. *Secunda.*

Quantum ad secundum articulum. Dubitatur. Utrum omne scandalum sit peccatum? *Secundus articulus.*

Arguitur quòd non. Nam illud non est peccatum quod advenit de necessitate: sed scandalum est hujusmodi: ergo. Consequentia est nota, & major, quia peccatum debet esse voluntarium. & minor patet. quia dicit Christus, *necesse est ut veniant scandala.* *Dubium.*

Secundò sic. si sic, sequeretur quòd non esset in potestate hominis, quin faceret peccatum. Consequens est falsum, quia talis tunc non peccaret. Probatur consequentia, quia scandalum est dictum, vel factum minùs rectum, præbens aliis occasionem peccandi. Modò non est aliquis actus quin ex illo aliquis possit dicere occasionem peccandi, & talis non est in potestate facientis, vel dicentis.

Tertiò sic. si sic, vel esset speciale peccatum distinctum contra alia: vel non. Non primum, quia scandalum est dictum, vel factum minùs rectum. Modò omne peccatum est hujusmodi. Nec potest dici secundum. quia speciali virtuti opponitur scandalum: scilicet fraternæ correctioni.

Oppositum arguitur sic. Nam scandalum est semper cum aliqua difformitate vitiosa, & impura, igitur. Consequentia patet. Et antecedens probatur ex dictis, & ex ejus definitione, quia est dictum, vel factum minùs rectum. *In oppositum.*

Secundò sic. nisi sic, sequeretur quòd in politia frustra punirentur qui scandalose agunt, & qui scandalizant alios. Consequens est falsum. Et patet consequentia, quia non est aliquis puniendus in politia, nisi faciat aliquid quod secundum rectam rationem est vitandum.

Pro solutione dubii resumendum est, quòd scandalum est dictum, vel factum minus rectum. Et est duplex scandalum, scilicet activum, & passivum: ut dictum est priùs.

Sit ergo prima conclusio: scandalum passivum est peccatum & vitium, in illo cui est scandalum. Probatur, quoniam in omni scandalo ille qui scandalizatur deficit in rectitudine, & aliquo modo se habet vitiosè: igitur. patet consequentia & antecedens patet ex quid nominis scandali passivi. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. scandalum passivum potest esse sine vitio illius ex cujus dicto vel facto alius scandalizatur. Probatur, quia possibile est, quòd aliquis cum recta ratione & intentione & debitis circumstantiis faciat bona opera vel dicat verba bona, & quòd aliquis ex eis propter malitiam propriam trahatur ad occasionem peccandi. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio: omne scandalum activum est peccatum, in illo qui scandalizat *Tertia.*

lizat, quia omnis talis vel facit opera de se mala, vel dicit bona de se, vel non facit cum debitis circumstantiis: sed quomodocunque dicatur talis homo peccat. Patet consequentia ex sufficienti divisione. Minor probatur, quoniam qualitercunque ipse faciat, peccat, & facit contra amicitiam fraternalem dando alteri ruinam.

Quarta. Quarta conclusio: scandalum activum potest esse sine peccato illius qui scandalizatur. Probatur, & ponatur casus quòd unus dicat malè, & faciat ut aliquis scandalizetur, & tamen alter sit ita prudens, quòd non capiat occasionem peccandi ex illis dictis; tunc in illo casu manifestè patet, quòd talis non peccat.

Quinta Conclusio responsiva. Quinta conclusio: Omne scandalum sive activum sive passivum est peccatum. Patet ex conclusionibus præcedentibus. Ex quibus sequitur conclusio responsalis, quod in quocunque casu peccatum est vitandum. Probatur, quia melius est omnia mala pati, quàm aliquod turpe committere.

Dubium. Sed tunc dubitatur de illo qui est perplexus inter duo mala quæ æqualiter ponderant, & de ista perplexitate videbitur postea. Et fortè diceretur, quòd hoc non esset possibile, quòd aliquis sit perplexus inter duo mala æqualia: quia tunc homo necessitaretur ad peccandum. Sed de isto videbitur postea, ut dictum est.

Dubium. Sed tunc est dubium circa tertium articulum primi dubii: scilicet utrum scandalum sit peccatum speciale vel non.

Primum notabile. duplex scandalum activum. Pro quo notandum est, quòd scandalum activum est duplex. quoddam est per accidens, & est quando aliquis facit opera, vel dicit verba, ex quibus verbis vel factis alter accipit occasionem peccandi, vel ruinæ: dum tamen ille dicens illa, hoc modo non intendebat, sed ut faciat faceret suæ voluntati. Aliud est scandalum activum de per se, & est quando quis dicit vel facit opera cum tali operatione & intentione; ut alius capiat occasionem peccandi.

Prima conclusio. Sit igitur prima conclusio. Scandalum passivum non est peccatum speciale contra alia distinctum. Probatur, quia scandalum passivum est, quando quis capit occasionem peccandi ex dictis, vel factis alterius, & quoniam hoc potest fieri secundum quodlibet genus peccati, ideo non est speciale peccatum.

Secunda. Secunda conclusio. scandalum de per accidens activum non est peccatum speciale. Patet ex dictis.

Tertia. Tertia conclusio. scandalum activum de per se est speciale peccatum: quia hoc sit, quando aliquis ex intentione dicit malum, vel facit facta scandalosa: Modò hoc est contra dilectionem fraternam.

Et tunc ad rationes dubii.

Ad rationes dubii. Ad primam negatur minor. Ad probationem dicitur, quod ibi capitur necesse pro utili, id est: utile quòd eveniant scandala, ut honesti viri approbentur, & fiant manifesti.

Aliter dicitur, quòd necesse est, ut eveniant scandala, & hoc secundum conditiones hominum, si non mutent suam conversionem. Et ponit exemplum, si medicus infirmum capiat, ut videat quòd talis nimis voluptuosè vivat, Dicitur, quod necesse est, quod iste infirmetur, & ita dicitur in proposito.

Ad secundam negatur consequentia. Ad probationem conceditur, quòd ibi non est scandalum activum, & in hoc ille dicens verba, vel faciens facta non peccat.

De tertia autem ratione dictum est satis in uno dubio.

Ad rationes quæstionis. Ad primam dicitur, quòd est verum de judicio definitivo, & determinativo, ideo conceditur quòd interpretando aliqua dubia in partem meliorem frequentius deciperetur, quàm ad partem oppositam, quia multo melius est habere opinionem bonam de homine malo, & quòd rariùs deciperetur, quàm habere malam opinionem de homine bono. probatur, quia in habendo bonam opinionem nullam facit injuriam, & in secundo casu facit injuriam. *Ad rationes quæstionis.*

Ad secundam conceditur illa loquendo de aliis rebus ab homine.

Ad tertiam dicitur, quòd interpretari potest intelligi dupliciter. Uno modo ex suspicione: scilicet, si malum debet remediare, debet semper in pejorem partem interpretari. Aliud est interpretare definitivè, & sic debet in meliorem partem interpretari.

Ad quartam negatur minor, & hoc loquendo de interpretatione passiva.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XIX.

De recompensatione.

QUæritur decimonono. Utrum in politia bene recta beneficiatus debet magis recompensare benefactori, quam amico, vel è contrà.

Et arguitur quòd magis benefactori, & hoc sic, quia beneficiatus illi debet magis recompensare, cui necessarium est recompensare, quam illi cui gratuitum est recompensare: sed beneficiatus habet necessario recompensare benefactori, & amico gratuitè. igitur. major patet de se. & minor probatur, quia dicit Philosophus Nono Ethicorum, quòd beneficians se habet ad beneficiatum, sicut mutuans ad illum cui mutuatur: modò ille, qui recipit mutuatum ab alio tenetur mutuanti recompensare: quia alias per judicem compelletur. *Arguitur.*

Secundò sic, beneficiatus debet magis illi recompensare apud quem plura vitia committeret, si non recompensaret, quàm alteri apud quem non committeret tot vitia: sed si non recompensaret beneficianti plura vitia committeret, quam si non recompensaret amico: igitur. Major est nota. Et minor probatur. quoniam si non recompensaret beneficianti incurreret injustiam & ingratitudinem, quia dicit Seneca, quòd *ingratus est qui non reddit*: sed si non redderet amico, solùm incurrit vitium impietatis.

Tertio modo sic: quilibet tenetur magis recompensare virtuoso, quam amico. Modò stat quòd benefactor sit virtuosus, & possibile est quòd amicus sit vitiosus, quia benefactor ut sic, semper est virtuosus. Major patet, quia non tenetur retribuere vitioso, minor probatur, quia quandoque est amicus propter bonum utile, & nullus est vitiosus qui ut sic sit benefactor.

Oppositum arguitur auctoritate Philosophi Nono Ethicorum, & probatur ratione, quia illud est faciendum in politia, sine quo politia non bene staret: sed sic est in proposito: quia si beneficiatus non bene recompensaret amico, statim *In oppositum.*

inter eos oriretur dissensio. Confirmatur: beneficiatus tenetur magis recompensare patri, quam benefactori. igitur. patet: Consequentia, & Antecedens probatur, quia beneficiatus recipit esse à patre suo. & ideo dicitur Nono Ethicorum, quod *pars est filii*. & beneficiatus à beneficiante recipit esse tale, vel tantùm bene esse.

Primus articulus. In quæstione primo erunt notabilia: deinde conclusiones.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum primo notandum est, quòd duplex est amicus: quidam est propter bonum honestum; & nullus est talis nisi virtuosus sit, quoniam talis amicitia est virtus, vel non sine virtute. Alius est amicus non propter bonum honestum, & talis bene est vitiosus.

Duplex est amicus.

Secundum. Secundò notandum est, quòd beneficiantes sunt duplices, quidam sunt boni, alii sunt mali.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd si benefactor sit virtuosus, adhuc potest se habere dupliciter. Primò, ut virtuosus scil. ut sic; Secundo modo non ut virtuosus.

Quartum. Quartò notandum est, quod in nullo casu aliquis debet dare alicui occasionem peccandi ut fiat deterior, hoc patet, quia esset simpliciter inhumanum, & injustum.

Quintum. Quintò supponitur secundum Albertum, quòd quanto mali, & vitiosi plura bona fortunæ habent, tantò sunt pejores, patet, quia eis malè utuntur. eòquòd *omnis malus est ignorans.* Ex isto infert Albertus, quòd bona fortunæ non sunt bona simpliciter: patet, nam bonum simpliciter non contingit malè uti.

Sextum. Sextò notandum est, quòd beneficiatum teneri benefactori duobus modis potest intelligi: uno modo quòd teneatur sibi de jure positivo, sive civili. Alio modo quòd sibi teneatur de jure moris & gratitudinis, modò manifestum est, quòd si non fuerit aliquis contractus inter beneficiatum, & beneficiantem, beneficiatus non tenetur de jure positivo recompensare benefactoris patet. quia si sic, tunc benefactor posset per judicem compellere beneficiatum ad recompensandum.

Ex isto datur differentia inter mutuantem, & beneficiantem.

Secundò sequitur corollariè, quod quando Philosophus Nono Ethicorum dicit, quòd *sicut se habet mutuatus ad mutuantem eum, sic beneficiatus ad beneficiantem*: hoc est verum quoad aliqua, sed quoad aliqua non est vera. Est enim similitudo ejus in hoc, quod sicut benefactor est benefaciens beneficiato: ita mutuans mutuato. Sed est differentia, quia beneficiatus non tenetur reddere beneficium: sicquòd possit compelli per Judicem, sed sic non est de mutuante & mutuato. ideò non est similitudo quoad omnia.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio, si benefactor & amicus sint æqualiter virtuosi, beneficiatus magis tenetur recompensare amico, quam benefactori, probatur, quia beneficiatus in tali casu pluribus modis obligatur amico, quam benefactori. igitur patet consequentia. Et antecedens patet, quia beneficiatus est obligatus amico tam propter beneficium, quam propter virtutem; et etiam propter vinculum amicitiæ plus valet multò, quam beneficium, quia est causa quare beneficium est collatum.

Prima conclusio.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. Si benefactor sit malus et vitiosus, et amicus sit virtuosus, beneficiatus magis debet recompensare amico, quam benefactori, probatur, quia nisi sic, sequeretur quod ipse potius deberet occasionem peccandi benefactori, quia haberet plura bona fortunæ.

Tertia

Tertia conclusio, in casu quo amicus sit vitiosus et benefactor virtuosus, beneficiatus plus debet recompensare benefactori quam amico, probatur, quia talis non est amicus propter bonum honestum. Secundò, quia daret sibi occasionem peccandi. *Tertia conclusio.*

Prima dubitatio. Si aliquis beneficiatus habeat amicum virtuosum, sic tamen quòd suus benefactor sit magis virtuosus, quem istorum debet ipse præferre in recompensando? Dicitur cum distinctione, quia vel benefactor excedit amicum multùm in virtute, vel modicum. Si primo modo, debet beneficiatus magis recompensare benefactori, quam amico; quia propter beneficium, & propter excellentiam virtutis magis tenetur ei. Si secundo modo, tunc magis debet recompensare amico: probatur, quia postquam talis non multum excedit, verum est, quòd vinculum amicitiæ est multùm magnum. *Primum dubium.*

Secundum dubium ponitò quòd tales, puta benefactor & amicus, sint æqualiter virtuosi, sic tamen quod benefactor habuit pactum cum beneficiato ad recompensandum: quæritur cui magis debet recompensare, an benefactori, vel amico? respondetur, quòd benefactori, & hoc de jure civili, & positivo. Patet, quia nisi recompensaret posset compelli per judicem, dicendo secundò, quòd loquendo de jure morali, & gratitudinis talis debet magis recompensare amico. patet, quia filius in comparatione ad patrem per nullam recompensationem mundi habet tanto obligari patri quoad obligationem moralem, licet bene quoad obligationem politicam. *Secundum dubium.*

Tertium dubium. Si pater & benefactor sunt in necessitate constituti, tunc quæritur cui filius beneficiatus debet prius recompensare, aut patri, aut benefactori. Responsio patet ex dictis, quia si contractus non fuerit factus inter benefactorem & filium, tenetur magis patri: sed si fuerit factus contractus inter eos, tunc dicitur, quòd prius debet recompensare benefactori, quàm patri. Et hoc de jure civili: Dico tertiò, quòd simpliciter in tali casu quoad mores, non obstante etiam secunda proportione, filius beneficiatus debet magis recompensare patri, quàm benefactori. *Tertium Dubium.*

Sed dubitatur ulteriùs cui magis tenetur aliquis succurrere in necessitate, vel amico, vel virtuoso. Dicitur sub distinctione, vel talis est amicus propter bonum honestum, vel propter bonum utile, vel delectabile. Si primo modo, tunc magis tenetur recompensare amico, nisi in casu in quo benefactor multùm excederet amicum in virtute, scil. in tali bono honesto. Dicitur secundò, quòd in casu in quo quis non esset amicus propter bonum honestum, sed propter bonum utile, tunc magis tenetur recompensare benefactori virtuoso, quàm amico: apparet satis ex dictis. *Dubium.* *Distinctio pro responsione.*

Ad rationes, ad primam dicitur concedendo majorem, & negando minorem: ad probationem per Philosophum Nono Ethicorum visum est, quomodo illa auctoritas est intelligenda, quia dictum est, quòd dictum Philosophi est verum, quoad aliqua, & quoad aliqua non. *Ad rationes.*

Ad secundam negetur minor, in casu in quo benefactor & amicus essent æqualiter virtuosi.

Ad tertiam conceditur major, scil. quod magis tenetur recompensare virtuoso quam amico propter bonum utile vel delectabile, cum hoc tamen stat, quod magis tenetur amico virtuoso, quam amico propter bonum utile, vel delectabile,

cum hoc tamen stat, quod magis teneatur amico virtuoso propter bonum honestum, quam benefactori. Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO XX.

De Ingratitudinis Vitio.

Arguitur.

Quæritur vicesimò. Utrum ingratitudo sit vitium toti politiæ nocivum. Arguitur primò quòd non: ingratitudo non semper est in potestate hominis, igitur non est vitium. Consequentia tenet, quia non est vitium nisi voluntarium, & antecedens probatur, quia dicit Seneca, ingratus est qui non reddit, & per consequens, ingratitudo est quod aliquis non reddit, seu non suo benefactori, modo manifestum est, quòd illud non est in potestate hominis, quòd semper sit memor beneficii, quia quandoque deficit, igitur.

Secundò sic non est in potestate hominis, quòd semper sit memor beneficii: ergo quilibet potest dici ingratus, tenet consequentia, quia ingratus est qui est oblitus beneficii sibi collati. Unde dicit Seneca, Tertio de Beneficiis, *Ingratus est qui dissimulat, ingratus est qui non reddit, sed ingratissimus est qui oblitus est beneficii accepti.* Antecedens patet, quoniam memoria est virtus naturalis quæ non est semper in potestate hominis.

Tertiò sic, in aliquo casu beneficiatus non tenetur benefactori recompensare: igitur: consequentia patet: & antecedens apparet, primò in casu, quia si beneficiatus esset in tanta paupertate quòd nesciret, nec haberet unde recompensare posset, illo in casu non haberet nisi illud quod debet, retribuere non teneretur; immò in casu quo illa retribueret præberet occasionem peccandi vel ruinæ benefactori.

Quartò sic: si sic esset, aut esset vitium generale, aut speciale: sed nullum illorum potest dici. igitur. Major patet sufficienti ratione. Primò, non potest dici quòd sit generale, quia opponitur speciali, scilicet gratitudini. Nec speciale, quia dicit Seneca: *Ingratus est qui dissimulat.* Modo illud non spectat ad vitium speciale.

In oppositum.

Quintò arguitur, quòd non sit nociva, quia si sic, sequeretur, quòd bonus legislator non deberet ingratos in sua politia sustinere. Consequens est falsum, ut patet per experientiam: & consequentia manifesta est de se: igitur sequitur.

Oppositum est de intentione Senecæ dicentis, quòd *Ingrati sunt mali & odiosi omnibus*: & hoc non esset, nisi ingratitudo esset vitium. Et quòd sit nociva patet, quia est contra dictamen rectæ rationis.

In quæstione primo respondebitur ad quæsitum. Secundò, utrum ingrato deberat beneficium subtrahi.

Primus articulus.

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quòd oblivio innotescit duobus modis constare. scilicet ex læsione virtutis memorativæ, vel fantasiæ, sicut visum est, & videbitur de multis, qui sunt læsi in capite. Alio modo ex non considerare non illud, quòd homo teneatur considerare, Prima ob-

Primum notabile.

Oblivio capitur duobus modis.

livio

litio non est nobis imputabilis, ut vitium, nisi in casu quo talis esset causa læsionis: sed secunda est nobis imputabilis, ut vitium.

Secundò notandum est, quòd beneficium recompensari benefactori potest intelligi dupliciter: uno modo in actu interiori, quia vult, & libenter vellet in casu quo posset. Secundò in actu exteriori, quia non recompensat sibi in muneribus: Unde in primo casu nullus homo excusatur de vitio, nisi recompenset. Secundo modo excusatur. *Secundum notabile.*

Tertiò notandum est, quòd gratitudinis tres sunt gradus. Primus gradus consistit in recognoscendo, scilicet quando homò recognoscit quod ab alio multa bona recepit. Secundus gradus consistit in laudando, quia ipsum laudat propter beneficium acceptum. Tertius gradus in recompensando beneficium, secundum statum suum. *Tertium: Tres sunt gradus gratitudinis.*

Quartò notandum est, quòd per oppositum triplex est gradus ingratitudinis. Primus consistit in hoc, quòd beneficiatus non recognoscit beneficium quod recipit. Secundus, quando beneficiatus dissimulat, & non regratiatur. Tertium, quando beneficiatus non recompensat, ubi, quando, & qualiter oportet. Istis gradus tanguntur in auctoritate Senecæ, in libro de beneficiis: ubi ipse dicit, *ingratus est qui non reddit, ingratus est qui dissimulat, ingratissimus omnium est qui oblitus est beneficii susceptæ.* *Quartum. Tres gradus ingratitudinis.*

Quintò notandum est, quòd aliquis beneficiatus potest dici dupliciter ingratus. Uno modo per oblivionem: scil. quòd ipse omittit gradus requisitos ad gratitudinem, quia nec reddit, nec regratiatur. Alio modo non solùm omittendo, sed etiam faciendo contra benefactorem aliqua quæ sunt contra gradus gratitudinis, & cum hoc imponit sibi malum. *Quintum. Dupliciter dicitur ingratus beneficiatus.*

Sextò notandum est, quòd generaliter omne illud est vitium & culpabile, quod est contra dictamen rectæ rationis; & quod est contra judicium proprium intellectus rectè dictantis, seu ratiocinantis. *Sextum.*

Septimò notandum est, quòd secundum dictamen rectæ rationis beneficiatus est obligatus benefactori suo non solùm obligatione morali, immo etiam obligatione legali: & hoc ubi est contractus factus inter benefactorem & beneficiatum. *Septimum.*

Istis positis sit prima conclusio. Ingratitudo est vitium. Probatur, quia est contra dictamen rectæ rationis. igitur, Consequentia est nota. Et antecedens patet, quia quilibet obligatur recompensare benefactori. Apparet, quia ingratus facit contra tres gradus gratitudinis. Patet, quia non recompensat, nec regratiatur. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: ingratitudo importat in politia magnam difformitatem. Probatur, quoniam per ingratitudinem omnes cives ad invicem sunt disfigati, & sic fit dissolutio amicitiæ, ad quam sequitur divisio & dissensio; modò illud est simpliciter nocivum. *Secunda.*

Ex quibus conclusionibus sequitur, quòd ingratitudo est vitium toti politiæ nocivum. Patet ex dictis priùs. Et si dicatur, quòd homines in politia ingrati non puniuntur, potest dici quòd post quam non est contractus inter beneficiatum & beneficiantem, ideo non est obligatio legalis de recompensando; & per consequens, licet talis facit contra legem moralem, quia tamen judex & politia non puniunt, nisi facientes contra legem. Ideo non puniunt ingratum.

Quantum

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, est videndum. Utrum ingrato sit beneficium substrahendum.

Dubium.

Arguitur. Arguitur quòd sic, quia nisi sic, sequeretur quòd aliquis licitè potest alium sustinere, & nutrire in sua malitia. Consequens est falsum: ut patet, quia nullus debet dare aliis occasionem peccandi. Probatur consequentia, quia ingratus continuè recipiendo beneficia sumit occasionem ingratitudinis: immo in suo servitio erit ingratus.

Secundò nisi sic, sequeretur, quòd aliquis peccans contra beneficium non esset beneficio privandus, consequens est falsum: quia secundum communem maximam, in quo quis peccat per illud castigatur. & consequentia est nota, quoniam talis peccaret contra beneficiatum ipsi beneficiatum auferendo.

Tertiò sic, ingratus meretur beneficiorum substractionem. igitur. Patet consequentia, quia aliàs non esset actus justitiæ, nec etiam tribueretur unicuique quod suum est: Antecedens est notum,

Quartò sic, nam scribitur Sapientiæ Sexto: *ingrati species quasi hiemalis glaciei tabescit.* Modo notum est quòd species non tabescit, nisi ingrato esset beneficium substrahendum.

In Oppositum. Oppositum arguitur, secundum dictamen rectæ rationis, quilibet debet voluntatem suam voluntati divinæ conformare. Modò sic est, quòd Deus non vult beneficia ingratis removeri. igitur. Consequentia est nota, & major patet pro tanto, quia divina voluntas est regula per quam omnes debent regulari, & minor patent de multis ingratis, quibus Deus concessit beneficia.

Primum notabile. Pro dubio est notandum primò, quòd circa ingratum sunt duo consideranda. Primò, quòd consideremus quibus vel quo ingratus est dignus pati propter suam ingratitudinem. Secundò, quòd oportet beneficiantem facere circa beneficia, qui est ingratus.

Secundum.

Circa ingratitudinem duæ conditiones. Secundò notandum est, quòd beneficiatus circa ingratitudinem debet habere duas considerationes vel conditiones. Prima est, quòd non de facili judicet aliquem esse ingratum. Patet, quoniam manifestum est, quòd si ad talem ingratitudinem ingratus sit pronus, sæpe decipitur, quoniam dicit Seneca de beneficiis, quòd *non omnis est ingratus qui non reddit*; quia non omnes habent. Secunda conditio est, quòd laborat quantum poterit, ut de ingrato possit facere gratum. Apparet, quoniam beneficiato eveniunt bona à beneficiante ex amore.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd quando quæritur, utrum sint beneficia ingrato substrahenda, potest intelligi dupliciter, uno modo, utrum ingrati mereantur, & sunt digni, quòd beneficia eis substrahentur? alio modo, utrum beneficians ingrato debeat statim beneficium substrahere?

Prima conclusio. Sit igitur prima conclusio: quoad primum sensum quæstionis, seu dubitationis ingratis sunt beneficia substrahenda: id est ingrati sunt digni, quod patiantur beneficiorum substractionem. Patet satis per auctoritatem ante oppositum allegatam, ubi dicitur, quòd *ingrati species quasi hiemalis glacies.* Etiam patet per rationes ante oppositum factas, quoniam tunc non est dubium; quoniam tunc talis mutaretur in suis malitiis. Similiter omnis ingratus est vitiosus, modò vitioso non sunt beneficia promittenda: sed solùm bonis, quoniam talibus beneficia sibi mutuata mutuantur, Tertio Ethicorum.

Hujus dubii.

Secunda

Secunda conclusio: juxta secundum modum ingratitudinis non sunt statim beneficia subtrahenda. Apparet, quoniam licet talis sit ingratus, tamen ipse debet laborare, ita quòd de ingrato, seu de ingratis faciat gratos, & ut dictum est, non debet statim credere ipsum fore ingratum. *Secunda.*

Tertia conclusio: si beneficiatus propter multitudinem beneficiorum nesciret de ingrato facere gratum. Tali sunt beneficia subtrahenda, patet, quoniam alis ut notum est, est induratus, & non potest desistere: & obstinatus in malitia. Modò talis non est dignus aliquo bono. *Tertia.*

Sed tunc est dubium: utrum vitiosus debet recompensare illi, qui auxiliatus est ei in peccando. *Aliud dubium.*

Arguitur quòd sic, quoniam aliàs talis est ingratus modò ingratitudo maximè est detestabilis. Probatur secundò, quia homo in dubio semper debet facere quod primo est melius. Modò dubium est illi beneficiato, utrum alter assistebat sibi sub bono, vel malo. *Arguitur.*

Oppositum arguitur, non est dubium; quin talis vitiosus non potest recompensare sine peccato. *In oppositum.*

Pro quo sciendum est, quòd qui alteri auxiliatur in peccando, potest dupliciter se habere. Uno modo quòd talis purè voluntariè auxilietur alteri ut peccet. Alio modo præter intentionem. *Primum notabile. Hujus dubii.*

Secundò notandum est, quòd ex intentione dare alteri occasionem peccandi non est sibi beneficium aliquod conferre. Patet, quia beneficium consurgit ex recta amicitia, modo ibi non est amicitia. *Secundum.*

Sit ergo prima propositio: in casu in quo ille qui auxiliatur alteri in peccando esset vitiosus, non tenetur eum recompensare, si ipse fecerit cum intentione. Patet, quia illa non est, nec fuit ab alio beneficiatus. *Prima conclusio.*

Secunda propositio, in casu quo talis qui alteri auxiliatur non intendebat, aliũ retrahere ad peccandũ: nec sibi dare occasionẽ peccandi, si illud constat vitioso, debet sibi recompensare, sed verũ est quod talis vitiosus non tenetur sibi recompensare per aliquod vitium, sed per justum pactum, & nullo modo de suis vitiis. *Secunda.*

Ad rationes dubii principales. Ad primam negatur consequens, & consequentia. Ad probationem, quia talis beneficiatus &c. dicitur quod hoc provenit ex malitia sua, & non ex malitia beneficiantis. Unde clarum est, quod si aliquis tribuat alteri bonum, & alter male utatur, ille non est causa justificans, sed ipse qui est male utens. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam dicitur, quòd ratio bene arguit, quod talis ingratus est dignus pati talem subtractionem beneficiorum.

Ad tertiam dicitur, primò quod est dignus quod privetur, sed tamen benefactor non debet eum privare; nisi ad sensum dictum. Ad auctoritatem quæ est ingrati species, &c. dicitur, quod ipsa bene arguit, quod quando aliquis est ingratus, tunc ipse est dignus, quod omnia bona sibi subtrahantur, qui perdidit totum dominium. Ratio post oppositum bene arguit, quod beneficiatus non debet conferre beneficium ingratis, quantum est ex parte illius.

Ad rationes principales quæstionis. Ad primam negetur antecedens, & dicendo quod in potestate hominis est quoad actus interiores, quia ut dictum est, aliquis dupliciter est ingratus. *Ad rationes quæstionis.*

Ad secundam negetur major, & dicitur, quod oblivio dupliciter potest evenire. *Dupliciter provenit oblivio.*

nire. Uno modo propter læsionem virtutis memorativæ, & talis oblivio hominem à peccato excusat, si ipse non sit causa læsionis. Alio modo propter defectum considerationis, & sic est vitiosus.

Ad tertiam negetur illa, & dicitur quod in omni casu tenetur quoad certam differentiam temporis; & cum debitis circumstantiis retribuere, & hoc quoad actus interiores.

Dupliciter ingratitudo consideratur.

Ad quartam, cum quæritur quomodo est vitium generale vel speciale. Solet dici quod ingratitudo dupliciter consideratur: Uno modo quantum ad esse materiale, & tunc non esset inconveniens, quod reperiatur in multis vitiis. Alio modo loquendo de esse formali, & tunc opponitur gratitudini, & sic est vitium speciale.

Ad ultimam dicitur quod non oportet, quod puniatur, vel privetur in tali casu in quo non esset factus contractus.

Aliud dubium.

Quartum dubium est, utrum ebrietas esset mala posito quod non esset prohibita ab aliqua lege, & videtur quod non, quia ebrietas, ut sic non est mala.

Arguitur.

In oppositum.

Item in oppositum videtur, quod ut sic est peccatum: igitur est de se mala.

Primum notabile. Duplex est ebrietas.

Pro intellectu notandum est, quòd duplex est ebrietas. Nam quædam est quæ totaliter tollit rationem & usum rationis, de qua intelligitur dubitatio. Alia est, quæ non totaliter tollit usum rationis.

Secundum. Duplicia mala.

Secundò notandum est, quòd duplicia sunt mala: quædam sunt quæ non sunt mala, nisi quia prohibita, alia sunt prohibita, quia sunt mala.

Primus conclusio.

Sit ergo prima conclusio: ebrietas quæ totaliter tollit usum rationis est illicita & mala. Probatur primo, quia ponit hominem in statu, in quo non habet liberum arbitrium, seu usum rationis, igitur. Secundo, quia recedit à medio; quod consistit in assumendo vinum, secundum dictamen rectæ rationis. Tertio, nam per illud redditur vituperabilis, & ideo dicitur Tertio Ethicorum, quod ebrio debentur duplices increpationes. Quarto, per hoc homo exit statum humanum, & assumit statum bestialem, cum per ebrietatem privatur usura rationis.

Secunda.

Secunda conclusio: concedendum est quod aliquis in aliquo casu inebriando se non agit vitiosè. Patet de illo, qui non est expertus virtutem vini, & qui ex appetitu naturali instigatus, comederet & biberet ad sobrietatem ex parte vini cupiti, licet esset defectus in sua complexione, propter quam non ex sua culpa, seu malitia caderet in ebrietatem.

Alia conclusio responsiva.

Sit ergo conclusio responsiva. Ebrietas adhuc esset mala & illicita potatio, quamvis nulla esset lex humana de hoc. probatur: nam posito quod nulla esset lex humana illicitum est animam & corpus suum destruere, sed hoc per ebrietatem faceret: igitur. Et sic patet, quid sit dicendum ad dubitationem.

QUÆSTIO XXI.

De amicorum expedientia.

QUæritur vicesimo primò. Utrum homini civiliter viventi expediat habere plures amicos?

Arguitur.

Et arguitur quòd sic, illud est expediens homini civiliter viventi per bona

bona utilia sua conservantur melius, sed hoc sit per congregationem & pluralitatem amicorum. Major patet se, & minor patet; quia illi qui sunt amici ad invicem quoad bonum utile tribuunt sibi bona utilia.

Secundò sic, illud est expediens homini viventi civiliter per quod homo habet plures delectationes, sed hoc est propter habere plures amicos, igitur major patet, & minor apparet, quia homo habet multas tristitias & contra illas indiget delectationibus.

Tertiò sic, similitudo est causa amicitiæ Nono Ethicorum, modò conveniens est, quòd homo habeat plures sibi similes, igitur, patet consequentia de se, & antecedens patet pro prima parte ex dictis; Etiam pro secunda parte patet; quia quanto sunt plures virtuosi, tanto politia est melior.

Quartò sic, illud est expediens per quod bonum politiæ augmentatur & conservatur. sed hoc est propter habere plures amicos, igitur. major patet de se. & minor patet, quia quanto sunt plures amici, tanto est unio, vel concordia in politia.

Oppositum arguitur sic. quia non est expediens homini plures habere amicos, igitur, patet consequentia, & antecedens patet Quarto hujus, & Nono Ethicorum, & per expositorem dicentem, quod propter amorem eandem frequenter patet eligit in Principem filium. In quæstione primò erunt notabilia. Secundò conclusiones. *In oppositum.*

Quantum ad primum articulum, Notandum est primò, quod triplex est amicitia, scilicet utilis, quæ est propter bonum utile. alia delectabilis, quæ est propter bonum delectabile, & honesta, quæ est propter bonum honestum. *Primus articulus.* *Primum nota.*

Secundò notandum. quod loquendo de amicitia utili, oportet amicum pro bono utili bonum utile recompensare, patet, quia finis amicitiæ est ut unus alteri faciat utilitatem. *bile.* *triplex amicitia.*

Tertiò notandum est, quod in amicitia delectabili oportet unum amicum alteri pro delectatione bonum delectabile recompensare. Et causa est, quia finis hujusmodi est delectatio, & sine acceptione illius finis amicitia non potest diu durare. *Secundum.* *Tertium.*

Quartò notandum est, quod secundum diversitatem complexionum hominum diversa sunt delectabilia, quia quod est uni delectabile est alteri tristabile, & è contra. & hoc non provenit nisi ex causa jam dicta. *Quartum.*

Quintò notandum est, quod amicitiæ propter bonum honestum virtus non est sola sufficiens causa; sed conjunctio amicorum delectabilis adinvicem; & communicatio bonorum suorum adinvicem inter se, ita scilicet, quod cum omnibus istis sit virtus. quia per virtutem sit moderamen cujuslibet. *Quintum.*

Sextò notandum est, quod quando quæritur, utrum conveniens sit homini viventi civiliter; hoc potest intelligi dupliciter. uno modo de magno numero amicorum. alio modo de parvo numero. *Sextum.*

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio; non est conveniens homini viventi civiliter habere plures amicos propter bonum utile. patet, quia illud non est expediens per quod ultra modum homo esset solicitus circa amicos, sed, hoc esset propter plures amicos habere propter bonum utile, ita quod tantum esset solicitus circa amicos quod non curaret de se. Et intelligitur conclusio de magno numero amicorum ad invicem. *Secundus articulus.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio, non est conveniens homini viventi civiliter habere plures *Secunda,*

amicos propter bonum delectabile, probatur; quia illud non est expediens per quod homo obligatur ad illud quod est sibi valde difficile. sed hoc est propter plures amicos habere propter bonum delectabile, quia diversa sunt delectabilia secundum eorum complexiones: Modo non esset possibile omnibus illis delectationes facere.

Tertia. Tertia conclusio non est conveniens homini viventi civiliter habere plures amicos propter bonum honestum, & hoc loquendo de magno numero amicorum, probatur, quia cum voluntas sit variabilis in illo casu quo amicus laborat & omnibus benefaceret, unde non esset possibile quod permaneret in eodem proposito quin se exponeret dissentioni & divisioni bonorum.

Objectio. Sed si dicatur quod expediens est omnes homines de politia esse virtuosos, igitur.

Solutio. Respondetur quando bene esset conveniens, si posset cum securitate illius & bono proposito, tum etiam amicitia alicujus esset nimis diffusa, & circa unum hominem non esset amicitia magna. Item non obstantibus omnibus istis dicit Illustratius super Nono Ethicorum quod Philosophus non posuit certum numerum amicorum. dicitur respondendo ad hoc, quod certus numerus amicorum propter bonum honestum debet esse ad quaternarium numerum, qui est primus numerus crescens non quoad unum, quia amicitia esset nimis intensa, nec quoad duos, quia est satis intensa, nec quoad tres, quia tunc numerus excresceret.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam dicitur, quod pro bono utili tenetur bonum utile recompensare. & sic consumeretur substantia alicujus.

Ad secundam dicitur concedendo minorem, sic hoc sit possibile, modò non est bene possibile, quod sic habeat plures amicos.

Ad tertiam consimiliter: & dicitur, quod oritur per hoc dissentio & discordia inter multos.

Ad quartam negetur minor. ad probationem dicitur quod non, quia nec ad bonum delectabile, nec ad bonum utile, & sic de aliis.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XXII.

De conjugio viduarum & virginum.

QUæritur vicesimosecundò, Utrum in politia vir debet magis viduam ducere quam virginem, & è contra.

Arguitur. Et arguitur primò, quod vir debet magis illam ducere in uxorem quæ melius scit regere domum. & illa quæ ad domum pertinent; Sed vidua multùm magis scit talem rem, quàm virgo, major patet, quia ad talem politiam multum valet tale regimen. & minor patet, quia vidua est experta, virgo autem non.

Secundò sic, vir illam magis debet ducere in uxorem, quæ de ipso plus curat: sed vidua plus curat de ipso, quam virgo, igitur. major patet, quia per hoc conservatur paterfamilias. minor patet, quia postquam est vidua magis scit quomodo debeat gubernare, quam virgo.

Tertiò

Tertiò sic, illam vir magis debet ducere in uxorem quæ melius potest ducere & generare perfectos filios, sed vidua est hujusmodi. igitur major patet, quia proles est maximum bonum in regimine politico & Oeconomico. minor patet, quia vidua est magis apta & idonea ad procreandum filios perfectos, quàm virgo.

Quartò sic, vir politicus debet eam eligere in uxorem, quæ est prudentior. sed vidua est hujusmodi, igitur. major patet, & minor apparet, quia vidua est magis experta in regimine Oeconomico quam virgo, modò dicitur Sexto Ethicorum, *quòd experientia facit prudentiam.*

Quintò sic, vir politicus magis debet eam ducere quam scit aptam ad prolificandum, quàm illam de qua dubitat. sed viduam scit aptam & virginem non, immo de ipsa dubitat, igitur. major patet, quia majus bonum est Oeconomico prolificatio. Et minor nota est, quia dubium est de virgine; utrum sit sterilis, vel non.

Sextò sic, si vir deberet ducere in uxorem magis virginem quam viduam, hoc esset ex eo quod virgo esset aptior, promptior, & habilior ad bonos mores. sed hoc non. igitur. major patet per Philosophum Secundo Oeconomicæ, qui assignat illam causam, & minor nota est, quia cum virgo sit ejusdem sexus cum vidua, non videtur quod aptior esset ad bonos mores, quam vidua.

Oppositum est de intentione Philosophi Primo Oeconomicæ dicentis, quòd in bono regimine Oeconomico seu politico vir debet magis virginem in uxorem ducere, quam viduam. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones. *In Oppositum.*

Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quod vir rationabilior potest, & debet magis illam ducere in uxorem quam facilius ducere potest insuos mores. patet, quia ex illo erunt concordes & unanimes, & ex illo oritur totum bonum politiæ. *Primum articulum. Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod cæteris paribus virgo facilius ducitur in mores viri quam vidua. ut verisimile est quæ habuit virum vel viros adhuc mores priorum retinet: & sic faciliter non potest ad mores trahi sequentis. unde Philosophus dicit, *quanto aliquod passum est magis inconforme, tanto minus recipit dispositionem agentium applicatorum. & è contra, quanto passum est magis conforme quod magis recipit dispositionem agentium applicatorum: modò mens virginis est magis conformis cum mente viri, quam mens vidua.* *Secundum.*

Tertiò notandum est, quod dupliciter possumus loqui de vidua. vel quia vidua illa est faciliter trahibilis ad mores posterioris viri. alio modo quod non est faciliter trahibilis. *Tertium.*

Quartò notandum est, quod in moralibus in his quæ sæpissime eveniunt, & quorum oppositа raro eveniunt, loquitur Philosophus universaliter. Et causa est, quia difficile esset casus particulares & casus particulares prævidere, quia lex est enunciatio universalis. *Quartum.*

Quintò notandum est, quod viri & uxoris in regimine Oeconomico sunt realiter diversa officia. unde mulier debet considerare in domo de his quæ pertinent ad corpus in ordine ad virum & filios & pueros; & hoc adhuc in parvis operibus quæ non requirunt magnam prudentiam. Si vero requirant magnam prudentiam quoad rem puerorum in ordine ad habitus intellectuales; periculosum est mulierem regere & informare quoad animam. Et causa est, quia con- *Quintum.*

filium mulieris est infirmum & invalidum.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, sit prima propositio. In casu quo vidua haberet mores conformes moribus viri, vel quòd faciliter esset trahibilis ad

Prima propositio. mores ipsius, in bono regimine politico vir debet magis ducere uxorem viduam quam virginem. patet propositio per rationes ante oppositum factas. quia est aptior ad regendum domum, & magis curat, tum quia est prudentior, tum quia aptior ad prolificandum.

Secunda. Secunda conclusio ut in pluribus vir debet magis virginem in uxorem ducere quam viduam. Probatur, quia melius debet illam in uxorem ducere quæ facilius trahitur ad suos mores; sed sic est de virgine respectu viduæ, ut patet in una suppositione.

Tertia. Tertia conclusio: loquendo simpliciter, sicut Aristoteles loqui consuevit in suis moralibus, vir debet magis in uxorem ducere virginem quam viduam, patet, quia accidit raro quòd vidua sit faciliter ducibilis ad mores viri posteriores, vel quia retinet mores prioris viri, vel quia est informata fortiter suis moribus, & inveterata in eis, ergo universaliter vir ducere potest. &c. patet consequentia ex dictis in una suppositione. & ista est determinatio Philosophi in Primo Oeconomicæ.

Ad rationes Quæstionis. Ad rationes, ad primam negetur minor, ut in pluribus; ad probationem [vidua magis. &c. conceditur tamen quod cum hoc stat quod sic non faceret.

Ad secundam conceditur major, & ad minorem dicitur, quod rarissime evenit. tum quia habet mores prioris viri. tum quia vult regere, gubernare, & dominari.

Ad tertiam conceditur major, si posset perfectiores filios producere quoad mores & quoad corpus. nam licet vidua bene produceret perfectos filios quoad corpus; non tamen produceret quoad mores conformes viri posterioris.

Ad quartam negetur. ad probationem dicitur, quod ibi capitur prudentia largè, prout se extendit ad astutiam.

Ad quintam dicitur, quòd in casu aliquo quo vidua haberet mores conformes moribus viri vel faciliter ducibiles, vir debet magis ducere viduam in uxorem quam virginem, & hoc rarissime evenit.

Ad sextam conceditur major, sed negetur minor; ad probationem dicitur, quòd licet sint ejusdem speciei essentialis, tamen sunt diversarum dispositionum, specierum accidentalium, & complexionum, ex quibus diversis complexionibus faciliter vel difficulter est quis informabilis. quia molles carne aptos mente dicimus Secundo de Anima. ideo dicit Philosophus primo hujus, quòd *natura posuit differentiam inter servum à natura, & dominum seu liberum à natura.*

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆST.

QUÆSTIO XXIII.

De Civium maledictione.

QUæritur vicesimo tertio, Utrum in humana communicatione unus homo possit alteri maledicere?

Arguitur primò quod non, quia unus homo in communicatione humana non potest licitè malum de alio referre, igitur, patet consequentia; quia maledicere non est aliud quam malum de alio referre. Et Antecedens patet, quia hoc pertinet ad detractionem, modò omnis detractio est illicita, ut notum est. *Arguitur.*

Secundò sic, in tali communicatione homo non potest malum pœnæ vel culpæ licitè alteri optare: igitur. patet consequentia, quia maledicere alteri est sibi malum optare. Antecedens patet; quia maledicere alteri est contra amicitiam quæ semper debet servari ad proximum.

Tertiò sic, in humana communicatione nullus potest alteri imperare malum & infligere.

Quartò sic, in humana communicatione homo non potest alteri licitè facere quod sibi fieri non vellet ab alio. sed nullus vult maledici ab alio, igitur. Major patet de se; quia hoc est contra justitiam. Et minor patet ex terminis.

Oppositum arguitur: quia nisi sic, sequeretur, quod in tali communicatione humana non permitterentur humanæ maledictiones. Consequentia est falsa, quia permittuntur Judices Ecclesiastici, qui anathematizant, & maledicunt: ergo. Patet consequentia de se. *In Oppositum.*

In quæstione, In primo erunt notabilia. Deinde conclusiones.

Quantum ad primum articulum, Notandum est, quòd maledicere accipitur dupliciter, uno modo largè, & sic idem est quod malum dicere de alio, alio modo propriissime, & sic est malum dicere, cum circumstantiis reddentibus actum vitiosum. *Primum articulum. Primum notabile.*

Secundo notandum est, quod dicere habet se ad illud quod dicitur tripliciter. uno modo per simplicis viam enunciationis: scilicet sicut aliquid enunciatur modo indicativo, & ad hoc sunt reperta verba indicativa, & sic maledicere non est aliud quam malum referre, sicut, si unus homo malum de alio narraret: Secundo modo se habet per modum causæ & est quando tale malum dicere movet hominem vel homines ad faciendum aliquid vel aliqua facienda, & sic dicitur quod tale dicere sit modo imperativo; & sic sunt verba imperativa reperta, & sic maledicere nihil aliud est quam alteri imperare pœnam, vel eidem aliquod malum infligi, ut quando Judex præcipit quod aliquis decapitetur, tertio modo se habet quasi quædam expressio affectus designantis quod verbo exprimitur; & hoc fit per verbum optativi modi: & sic maledicere est alicui malum optare culpæ vel pœnæ. *Maledicere dupliciter accipitur.*

Tertio notandum est, quòd in proposito ly [maledicere] capitur primo modo scilicet prout est malum dicere, & hoc prout contingit primo modo vel secundo, aut tertio modo. Et causa est, quia si capiatur maledicere propriissime, tunc omne maledicere esset vitium & peccatum. *Tertium notabile.*

Quartò

Quartum. Dupliciter imperando quis alteri maledicit.

Quarto notandum est, quòd aliquis imperando alteri potest maledicere dupliciter: uno modo sub ratione mali, & sub mala intentione, alio modo sub ratione boni; & si quis præciperet commodum suum alteri maledicendo.

Quintum.

Quintò notandum est, quòd imperando alteri maledicere sub ratione boni contingit dupliciter; uno modo sub ratione boni justi: alio modo sub ratione utilis; ut si aliquis oret Deum, ut talis infirmetur ad hunc finem, ut emendet vitam suam, tunc infirmatio utilis est sibi.

Sextum notabile. Velle & facere in moralibus se invicem consequuntur.

Sextò notandum est, quod in moralibus velle & facere se invicem consequuntur & concomitantur se invicem in bonitate, & malitia: ita quòd si velle est bonum, similiter facere est bonum; & si velle malefacere est malum, & facere est malum; ut velle dare eleemosynam est bonum, & velle dare alapam est malum. Et causa est, quia velle pertinet ad actum imperantem, & facere ad actum imperatum. Modò actus imperati non habent bonitatem vel malitiam, nisi ratione actuum imperantium eorum.

Secundum articulus. Prima conclusio.

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio, capiendo maledicere primo modo, ut est de alio malum referre in humana communicatione; homo non potest alteri licite maledicere, & hoc maxime, nisi hoc fieret per ordinationem juris: verbi gratiâ, si unus esset vocatus per judicem, ut perhibeat testimonium, tunc si referret de alio malum, hoc non est malum secundum ordinationem juris. Probatur conclusio sic; in humana communicatione nullus potest licitè alium diffamare, ergo. Major & minor patent de se.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio, capiendo maledicere duobus ultimis modis sub ratione mali, nullus potest licite alteri maledicere in humana communicatione. Patet conclusio quoad secundum, quia secundus modus maledictionis est, quando unus imperat alteri pœnam infligi. Modo clarum est, quòd si hoc faciat sub ratione mali male fit. Patet conclusio etiam quoad tertium modum, qui est quando unus optat alteri malum fieri, & quando hoc fit sub ratione mali male fit.

Tertia.

Tertia conclusio, capiendo maledicere in illis duobus modis in humana communicatione, unus potest alteri maledicere, & hoc ratione boni justi vel utilis: Patet quoad secundum modum, quia judex maledicit illi cui præcipit, propter bonum justi infligi pœnam, & si quis optet injurioso & vitioso pœnam & infirmitatem, ut non malefaceat; sed ut vitam emendet: tunc maledicere est licitum, nec politiæ est detrimentum. Similiter potest probari quoad tertium modum. Istis non obstantibus verum est in casu quo unus optet alteri malum infligi; & hoc propter bonum utile non debet dici maledictio, nisi valde largè.

Ad rationes.

Ad rationes, ad primam in humana &c. conceditur hoc, nisi fiat secundum ordinationem juris, immò alii casus pertinent ad detractionem.

Ad secundam nullus &c. verum est ad istum sensum: quod nullus debet vel potest alteri malum optare licite sub ratione mali: sed bene sub ratione boni & justi, vel boni utilis.

Ad tertiam conceditur illa, & hoc sub ratione mali, quia sub ratione boni non oportet.

Ad quartam conceditur major, & negatur minor, & hoc si fiat juxta secundum modum, vel tertium modum maledictionis, & hoc si talis faciat secundum dictamen rectæ rationis, quòd alius roget pro eo, ut sibi pœna, vel malum infligatur,

gatur, & hoc ut vitam emendet; & hoc debet sustinere patienter. Ideo dicit Cajo, *quod merito pateris, patienter ferre memento.* Ratio post oppositum est predictis in quæstione.

QUÆSTIO XXIV.

De illicitè acquisitis.

Quæritur vicesimo quarto. Utrum aliquis de illicite acquisitis possit alicui licite subvenire?

Arguitur primo quod sic, de divitiis illicite acquisitis licitè potest quis aliis subvenire, igitur. Consequentia patet de se. Et antecedens probatur, quia habetur Luc 16. dicit Salvator, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, & per hoc intelliguntur divitiæ: & sic sensus est; facite vobis de pecuniis male acquisitis amicos. *Arguitur.*

Secundo sic; turpe lucrum est illicite acquisitum: sed sic est, quod de turpi lucro potest quis licite alteri subvenire, igitur. Major patet de se. Primò de meretricio, secundo de simonia, tertio de pecunia acquisita per ludum taxillorum. In omnibus istis est turpe lucrum, & tamen de istis bene fit eleemosyna, ut videtur.

Tertiò sic; nisi sic, sequeretur, quod quis licite potest incurrere homicidium in casu aliquo. Consequens est falsum: quia homicidium est de se malum. Et probatur consequentia, quia si quis habens divitias male acquisitas videat proximum suum in necessitate præ nimia paupertate; vel ergo talis subvenire potest licite, & sic habetur propositum; vel non, & sic debebit expectare mortem alterius, & sic erit homicida.

Oppositum patet, & arguitur sic. nullus potest alteri subvenire nisi de proprio; sed illud quod est licite acquisitum non est sui, igitur. major patet, quia in moralibus nihil debet fieri boni, nisi in proprio. Et minor nota est ex terminis. *In oppositum;*

In quæstione erunt duo articuli. In primo, respondebitur ad quæstium. In secundo, videbitur utrum ille qui est sub alterius potestate possit licite facere eleemosynam.

Quantum ad primum articulum, primo notandum est, quòd divitiæ possunt dici iniquè acquiri tripliciter. Uno modo iniquè, quia sunt iniquitatis vel iniquitatis. Secundo modo apud illos qui scilicet suam spem in divitiis ponunt. Tertio modo dicuntur iniquæ, ex eo quod hæredes habent divitias præcessorum suorum qui male & illicite illas divitias acquisiverunt, & de omnibus illis divitiis potest intelligi dictum salvatoris. *Primum articulum.* *Primum notandum.* *Divitiæ tripliciter iniquæ accipiuntur.*

Secundo notandum est quod aliquid potest dici male acquisitum tripliciter. Uno modo sic, quod ille qui male acquisivit illud non potest licite retinere, immo tenetur restituere, ut acquisitum per furtum, vel rapinam; & tenetur restituere illi à quo acquisivit, & nulli alteri. Secundo quia est acquisitum contra justitiam, & etiam datum est ab illo qui acquisivit contra justitiam, ita quod nec ille potest retinere, *Secundum.* *Aliquid dicitur male acquisitum tripliciter,*

retinere nec licitè potest restituere illi à quo acquisivit: ut acquisitum per simoniam, tertio modo licet acquisitio in se sit licita; tamen illud per quod acquirebatur est illicitum, ut acquisitio pecuniæ per meretricium.

Conclusio prima. Tunc sit prima conclusio: de illicitè acquisitis juxta primum modum nullus licitè alteri subvenire potest, nisi habeat licentiam ab illo à quo erat acquisitum. Probatur, quia illud sic erat acquisitum licitè quod ipsemet non poterat retinere: immò tenetur restituere illi à quo acquisivit.

Secunda. Secunda conclusio: de illicitè acquisitis juxta modum secundum licitè potest quis alteri subvenire, imo tenetur. probatur, quia per casum ille qui acquisivit illa non potest retinere nec restituere illi a quo acquisivit; & sic dare de illis eleemosynam licite potest.

Tertia. Tertia conclusio: de illicitè acquisitis juxta tertium modum licitè potest quis subvenire alteri. probatur, quia ista acquisitio de se erat licita: sed modus per quem acquirebatur erat illicitus licet de illo non possit fieri oblatio, ut dicitur in Theologia propter scandalum: & hoc propter verba mala.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum Arguitur ad partem affirmativam: nam viri religiosi sub aliis sunt constituti, & tamen possunt facere eleemosynam, quia nisi sic, reportaret damnum de statu religionis.

Arguitur. Secundo sic: uxor est constituta sub viri potestate, & tamen licite potest facere eleemosynam: ut legitur de Sancta Lucia, &c.

Tertio sic; pueri sunt sub potestate patris, & tamen possunt facere eleemosynam licite, quia bonorum parentum sunt boni filii.

In oppositum. Oppositum arguitur: quia eleemosyna debet fieri de proprio. Pro intellectu dubii notandum est, quòd ille qui est sub potestate alterius, debet se regere & gubernare seu regulare secundum regulas ipsius: patet, quia naturale est, quod inferiora reguntur à superioribus. Secundo notandum est quod aliquem existentem sub potestate alterius facere eleemosynam potest intelligi dupliciter: uno modo quod faciat eleemosynam de re, secundum quam est alteri subditus: alio modo per oppositum, scil. de re de qua non est subditus.

Primum notabile.

Secundum.

Prima conclusio. Sit igitur prima conclusio, qui est sub potestate alterius non potest licite facere eleemosynam de re secundum quam est alteri subditus. Probatur, quia non habet talem rem sub dominio.

Nota restrictionem primæ conclusionis. Ista conclusio non intelligitur in tribus casibus: Primus casus est, quando talis subjectus haberet licentiam à suo superiori. Secundus casus est, nisi talis subditus haberet verisimilem opinionem, seu conjecturationem, quòd domino suo placeret. Tertius casus est in necessitatis articulo, quia in necessitate omnia bona sunt communia, & sic potest recipere & dare.

Secunda. Secunda conclusio: ille qui est sub potestate alterius constitutus potest licitè facere eleemosynam de re secundum quam non est subditus, & hoc si haberet proprium. Probatur, quia potest facere eleemosynam de proprio.

Ad rationes dubii. Et tunc ad rationes dubii. Ad primam negatur minor in tribus casibus dictis: & quando dicitur quod reportant damnum, Dicitur quòd non: quia forte essent pauperiores si non essent religiosi.

Ad secundam dicitur similiter, nisi de illis rebus secundum quas est subjecta mulier viro, & nisi in illis tribus casibus.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes principales quæstionis. Ad primam quando dicitur [divitiis acquisitis

quisitis;] negatur antecedens, juxta primum modum acquirendi rem illicitè: tamen juxta alios duos modos conceditur. Et ad dictum salvatoris potest dici, quòd intelligitur de divitiis iniquitatis, i. inæqualitatis: vel si filio non constat, quomodo parentes acquisiverunt.

Ad secundam conceditur quicquid ratio concludit.

Ad tertiam negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quòd licitè possit sibi subvenire, & non dicuntur malè acquisitæ respectu illius existentis in necessitate. Etiam tunc omnia sunt communia, & ideo ratio nihil concludit.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XXV.

De Virginitatis Virtute.

QUæritur vicesimo quintò, & ultimo. Utrum in politia bene recta virginitas sit licita?

Arguitur. Arguitur quòd non, quia illud non est licitum quod est contra præceptum naturæ: sed virginitas est hujusmodi, igitur. Major patet de se, quia præceptum legis naturæ est de se licitum: quia *natura dirigitur ab agente infallibili*, ut dicit Commentator duodecimo Metaphysicæ. Et minor patet, quia lex naturæ præcepit, quòd conservetur quodlibet ens in permanentia: hoc autem esse non potest cum virginitate.

Secundò sic: nam virginitas à medio virtutis recedit, ergo in quolibet casu non est licita. Patet consequentia, quia omne tale est vitiosum; & antecedens patet, quia per virginitatem homo abstinet se ab omni delectatione. Modò vitiosum est ab omnibus delectationibus se abstinere: quia talis est agrestis & insensibilis.

Tertiò sic: illud est illicitum, cui licitè pœna debetur: sed virginitati de se pœna debetur, igitur. Major patet de se, quia nunquam infligitur pœna justè & licitè; nisi pro illicito. Minor patet, nam apud antiquos pœna virginibus infligebatur: ut patet in antiquis historiis.

Quartò sic: illud est illicitum per quod tota politia periret, sed in casu per virginitatem tota politia periret: igitur. Major patet de se, & minor probatur, in casu quo princeps eligeret virginitatem, & quòd politia postea deberet pervenire ad Tyrannos pervertentes politiam tunc periret.

In oppositum. Oppositum arguitur: nam omne illud est licitum, quod cadit sub consilio: sed virginitas est hujusmodi, igitur. Major patet de se, quia nullum malum cadit sub consilio: & minor patet de se.

In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia, & conclusiones. In secundo dubitationes.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, primò supponendum est, quòd in actibus humanis ille est simpliciter malus & vitiosus, qui sit contra rectam rationem, *culus*, Apparet, quia dicitur Secundo Ethicorum, quòd *nullus actus dicitur virtuosus, nisi sit recta ratione regulatus.* *Primum notabile.*

Secundum. Secundò supponitur, quòd quilibet uti debet secundum rectam rationem illis, qui sunt ad finem secundum illam rationem, & mensuram; qua congruit illis taliter, vel taliter uti: scil. quòd utatur secundum exigentiam ad finem. Patet, quia si aliquis aliter utatur ille non utitur, sed magis abutitur: quia non utitur illis ad finem secundum quem ordinatè sunt utendæ. sic etiam ille qui menticur dicitur abuti voce sua.

Tertium. Hominis tria sunt bona. Tertiò notandum est, & supponitur, quòd hominis tria sunt bona, scilicet exteriora; ut divitiæ & amici. alia sunt bona naturæ & corporis, ut sanitas, alia sunt bona animæ; ut scientiæ & virtutes: & alia sunt simpliciter bona.

Quartum. Quartò notandum est, quòd secundum rectum ordinem bona exteriora ordinantur in bona corporis, & illa ulterius in bona animæ: sic quòd semper deterius est gratia melioris.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio: quilibet secundum rectum ordinem debet uti bonis exterioribus eo modo quo congruit frui illorum & bonis corporis, prout congruit bonis animæ. Probatur conclusio. Ex dictis corollariè sequitur, quòd licitè potest quis se abstinere à bonis exterioribus, si congruat corpori: & à bonis corporis, si congruat bonis animæ. Patet corollarium ex quæstione præcedenti.

Secundum corollarium: simpliciter virginitas est licita. Patet, quia virginitas consistit in illo, in quo quis licitè potest se abstinere: si congruit animæ. Modò liberius corpus potest servire animæ per virginitatem.

Secunda. Secunda conclusio: licet virginitas per se sit licita, tamen in casu stare; quod virginitas esset illicita, scil. in casu quo omnes homines abstinerent à delectatione carnali. Probatur prima pars ex corollario præcedenti. Secunda patet ex quarta ratione ante oppositum.

Secundum articulum. Primum dubium. Tria dubia. Quantum ad secundum articulum, Sit prima dubitatio. Utrum in aliquo casu aliquis potest facere contrarium ipsius, quod est sub præcepto?

Secunda dubitatio. In quo consistit vera virginitas.

Tertiò, utrum per delectationem veneris corrumpatur vera virginitas.

Ad primum arguitur. Quantum ad primam dubitationem. Arguitur ad partem affirmativam, quia cadit sub præcepto capere potum & cibum. & tamen aliquis potest se abstinere ab illis, scil. jejunando.

Primum notabile. Oppositum patet de se. Pro intellectu hujus dubitationis est notandum; quòd omne illud quod cadit sub præcepto debito est debitum. Patet, quia omne præceptum tam affirmativum quam negativum est obligatorium.

Secundum. Secundò notandum est, quòd præceptum est duplex: quoddam est quod ab uno debet impleri, aliud quod debet impleti per totam multitudinem.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio: loquendo de debito quo unus obligatur nullus potest facere licitè oppositum illius quod sub præcepto cadit, & hoc simpliciter. Patet, quia si sic, sequeretur, quòd aliquis posset simpliciter à cibo abstinere. Consequens est falsum.

Secunda. Secunda conclusio: loquendo de debito præcepto, quatenus impletur à tota multitudine, non tamen à quolibet illius, quis potest facere oppositum illius, quod sub consilio cadit; patet, quia postquam uni soli non est præceptum impositum, sequitur quòd non tenetur adimplere, licet tota multitudo obligetur ad hoc; quòd fiat commixtio seminalis, ut conservetur species humana, & etiam

nibus præceptum est, ut adimpleantur præcepta Dei, ut castitatem servare, &c.

Secunda dubitatio est. In quo consistit vera virginitas.

Secundum dubium.

Pro quo notandum est, quod in commixtione venerea sunt tria consideranda: primum est corruptio signaculi virginalis. secundum, delectatio corporis in emissione seminis. tertium, ex parte mentis propositp deveniendi ad talem delectationem.

Primum notabile.

Tria sunt consideranda in commixtione venerea.

Secundò notandum est, quod in virginitate tria sunt consideranda: primum est integritas carnis. secundum, immunitas delectationis in seminis emissione. tertium est perpetuum propositum abstinendi à tali delectatione venerea.

Secundum. Tria in virginitate considerandi.

Sit ergo prima conclusio: virginitas non consistit in carnis integritate. Probatur, quia virginitas fiat cum carnis corruptione, igitur. Patet consequentia, & antecedens: quia si mulier aliqua corrumperetur cum violentia, & ipsa invicta magis esset ad suam gloriam.

Prima conclusio

Secunda conclusio: vera virginitas consistit in vero proposito abstinendi se à delectatione venerea. Patet ex dictis. Ex quo patet, quòd per solum consensum ad corruptionem carnis, vel ad delectationem veneream corrumpitur virginitas.

Secunda.

Tertium dubium est: utrum per delectationem in seminis emissione corrumpatur virginitas.

Tertium Dubium.

Pro cujus solutione notandum est: quod talis delectatio potest fieri dupliciter. Uno modo sine consensu mentis contra propositum ejus: ut ex naturæ fragilitate: vel ex infirmitate. Alio modo cum proposito mentis.

Primum notabile.

Sit ergo prima propositio: si talis delectatio fiat cum consensu mentis, & cum proposito, tunc corrumpitur virginitas. Conclusio ista patet de se. Nam virginitas consistit in proposito perpetuo abstinendi se ab actu venereo.

Prima conclusio.

Secunda propositio: si talis delectatio fiat sine consensu mentis, tunc non corrumpitur virginitas. Patet conclusio de se.

Secunda.

Ad rationes. Ad primam, non est licitum &c. conceditur illa, si sit præceptum & debitum: quatenus ab uno solo impleatur sigillatim. Modò præceptum de commixtione viri non est positum, ut impleatur ab unoquoque sigillatim.

Ad rationes.

Ad probationem negatur illa, quia mens multò habet nobiliores operationes & delectationes quàm sit carnis delectatio, quia delectatur in vita sua speculativa, & in multis aliis.

Ad tertium dicitur, quòd leges ordinant pœnas pro illis, quæ ut in pluribus eveniunt. Modò forsan ita fuit antiquitùs, quòd multi voluerunt servare virginitatem, ut possent liberius aliis malis vacare, & dicitur quod propriè illa non est virginitas, quia abstinuerunt se, sed quia ita erant dediti aliis erroribus & vitiis, quòd sic non poterant virginitatem corrumpere. & talis intentio est mala.

Ad quartam dicitur, quod bene concludit, quod virginitas de per accidens potest reddi illicita: sed hoc est per aliquam circumstantiam, ut ratio arguebat.

Ratio post oppositum est pro dictis.

Et hæc dicta sunt de omnibus quæstionibus quarti libri Politicorum.

LIBER QVINTVS POLITICORVM.

QVÆSTIO I.

De Seditione.

Circa judicium Quinti libri Politicorum Aristotelis, Quæritur, Utrum omnis seditio sit vitiosa?

Arguitur. Et arguitur quod non. Aliqua seditio est licita, igitur. Patet consequentia, quia nullum vitiosum est licitum. Antecedens patet, quia seditio importat quendam tumultum ad pugnandum seu pugnam. Modò aliqua pugna est licita: quoniam aliàs fortis peccaret exercendo actũ fortitudinis. Secundò sic. Non omnis discordia est vitiosa, igitur. Consequentia patet, & antecedens etiam, quia in bello pro republica est discordia, & tamen clarum est, quòd ista discordia est licita.

Tertiò sic, illi laudantur qui liberant populum à Tyrannica potestate, & hoc difficulter potest fieri sine seditione: igitur seditio est laudanda, & ex consequenti sequitur, quòd non omnis seditio est vitiosa. Major patet Quinto hujus, quia qui interficiunt tyrannum sunt laudandi. Minor nota est.

Quartò sic. Non omnis rixa est vitiosa: igitur. Patet consequentia ex terminis, quia seditio est quædam rixa. Et antecedens patet, quia rixa denotat quandam contentionem inter partes, modo omnis contentio est vitiosa.

Quinto sic: non omne bellum est vitiosum, igitur. Patet consequentia. Et antecedens probatur: quia bellum pro bono publico est licitum, aliàs fortis moraliter non posset exercere actum fortitudinis sine vitio.

Oppositum tamen arguitur: seditio est causa corruptionis politiæ, ergo. Consequentia patet ex terminis, & Antecedens est Philosophi Secundo hujus capitulo primo.

In Oppositum.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito principali.

In

in secundo videbitur, utrum rixa sit vitiosa.

Quantum ad primum articulum primò notandum, quòd rixa bellum & seditio quodammodo conveniunt, & quodammodo differunt. Conveniunt in hoc, quod quodlibet eorum nominum importat seu significat quandam contradictionem & repugnantiam & rebellionem. Sed duobus modis differunt inter se: primo differunt, quia rixa & bellum important quandam repugnantiam mutuam in actu: sed seditio importat non talem mutuam repugnantiam actualem: sed quandam dispositionem præviam, & dispositionem ad talem pugnam. secundo differunt, quia bellum est inter duas multitudines ad invicem extraneas, sed rixa est unius vel paucorum ad unum vel ad paucos: sed seditio est unius partis multitudinis ad aliam partem multitudinis ejusdem. ex quo sequitur quod omnis seditio opponitur unitati populi. patet ex quid nominis de [seditio.

Primus articulus.

Primum notabile.

differunt & conveniunt rixa bellum & seditio.

Secundò notandum est, quod omnis cœtus multitudinis est populus, sed populus propriè est cœtus uno consensu sociatus & consensu utilitatis communis. Ut sic duæ conditiones requiruntur, prima, quòd ibi sit justitia & concordia, secunda est, quòd illa multitudo intendat utilitatem communem. & hoc est de intentione Augustini Decimo de civitate Dei dicentis, populum determinatum sapienter, non omnem multitudinis cœtum, sed consensu juris & utilitatis communis sociatum. Tertio supponitur, quod omnis seditio opponitur justitiæ, & utilitati communi.

Secundum notabile, quid sit populus.

Tertiò notandum est, quòd sicut bonum commune cæteris paribus est amabilius bono privato: ita illud quod opponitur bono communi est fugibilius illo quod opponitur bono privato, patet, quia quanto aliquid est melius, tanto suum oppositum est pejus & detestabilius.

Tertium notabile.

Quartò notandum est, quòd discordia dupliciter accipitur. Uno modo pro illo quod est contra aliquid manifeste bonum in communitate, & talis non stat sine vitio. Secundo modo, prout est contra illud quod non est manifeste bonum, & ista non potest esse vitiosa.

Quartum notabile. discordia dupliciter capitur.

Quintò supponitur, quod bonum commune simpliciter & maximè est bonum. Patet, quia bona privata semper in bonum commune ordinantur. quod patet, quia semper deterius est gratia melioris: ut patet Primo Ethicorum.

Quintum notabile.

Corollariè sequitur, quòd omnis seditio est discordia à maximo bono. Patet, quia omnis seditio opponitur bono communi & utilitati ejusdem.

Sit ergo prima conclusio & responsiva. Omnis seditio est vitiosa simpliciter. Probatur, omne illud quod opponitur simpliciter bono est simpliciter vitiosum: sed seditio est hujusmodi: igitur. major & minor notæ sunt ex terminis. Et conclusio patet de se.

Prima conclusio. Responsiva.

Quantum ad secundum articulum. Videndum est, utrum omnis rixa est vitiosa.

Secundus articulus.

Pro quo notandum primò, quòd sicut contentio dicit quandam contradictionem & repugnantiam in verbis; ita rixa in factis patet suppositio per multas glossas. Ex quo sequitur, quod omnis rixa est bellum privatum.

Dubium. Primum notabile.

Secundò notandum est, quòd secundum Isido. in lib. Etymologiarum rixosus sic definitur. *Rixosus est homo qui semper ad contradicendum est paratus, & qui jurgio delectatur, & provocat contendentem ad iram.* ex quo patet, quòd in rixa sunt tria inhonesta. primum est de ordinatio, quia rixosus semper est paratus

Secundum. quomodo rixosus definitur. Tria sunt inhonesta rixantis.

paratus ad contradicendum. ſecundum eſt, quòd talis delectatur in jurgiò, quod eſt contra bonum pacis. tertium eſt, quia provocat contendentem ad iram, & ad malefaciendum; & ſic reddit alium malefactorem.

Tertium. ad hoc quod bellum ſit juſtum tres conditiones requiruntur.

Tertiò notandum eſt, quòd antequam fiat aliquod bellum requiruntur tres conditiones. prima eſt, quòd fiat autoritate Principis vel totius communitatis, ex quo ſequitur, quòd perſona privata non poteſt licitè provocare aliquod bellum.

Secunda, quòd cauſa ſit juſta. Tertia, quòd ſit recta intentio bellantium, ſcilicet, quòd intendant conſequi ad bonum commune vel propter magnum malum fugiendum.

Quartum. quod rixa proprie.

Quartò ſupponitur, quòd proprie loquendo, rixa eſt contentio vel contradictio in factis contra perſonas privatas ſine auctoritate publicæ poteſtatis vel Principis.

Concluſio reſponſiva.

Ex quibus omnibus ſequitur concluſio reſponſiva ad quæſitum, ſcilicet, quòd omnis rixa eſt vitioſa, probatur, quia omnis rixa malum importat, ut patet per prius dicta.

Ad rationes quæſtionis.

Ad rationes. ad primam, quando dicitur aliqua ſeditio &c. negatur illud. Ad probationem dicitur, quòd contradictio & repugnantia eſt licita, ſi fiat propter juſtam cauſam, & autoritate Principis.

Ad ſecundam dicitur, quòd ſi diſcordia eſt de illo quod non eſt manifeſtè bonum, non eſt multùm mala; ſed ſic non eſt de ſeditione.

Ad tertiam dicitur, quòd talis multitudo quæ eſt ſub poteſtate Tyranni in ordine ad ipſum non eſt populus, & non eſt ibi ſeditio. quia ſeditio debet eſſe in populo conſtituto cum conſenſu juris & utilitate communi. Et ex hoc ſequitur, quòd in nulla politia tranſgreſſa eſt populus.

Ad quartam negatur illa. Ad probationem, quando dicitur quòd rixa dicit quandam contentionem, conceditur, quia multa mala importat, ſicut patet ex definitione rixæ & rixoſi poſita ab Iſidoro quarto Etymologiarum; nam tria mala magna concurrunt in rixa.

Ad quintam, non omne malum &c. conceditur, quòd ibi ſunt tres conditiones requiſitæ ad juſtum bellum, modò ſic non eſt in ſeditione.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO II.

De ſollicitudine.

Arguitur.

QUæritur ſecundò. Utrum ſollicitudo circa bona temporalia ſit licita? Arguitur primò quod ſic. quia ad quemlibet præſidentem pertinet licitè ſollicitari de illis quibus præſidet. ſed omnibus temporalibus bonis præſidet homo, igitur &c. major patet, & minor probatur, quia dicitur Secundo Phyſicorum, *quod homo eſt quodammodo finis omnium aliorum.* Et etiam dicitur in alia facultate, *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus &c.*

Secundò ſic: homo poteſt licitè ſollicitari de illo ſine propter quem operatur: ſed

sed homo operatur licitè pro bonis temporalibus, quatenus ipse licitè habeat sustentamentum, igitur. major patet de se. & minor patet, quia aliàs homo sine illis bonis non potest diu permanere.

Tertiò sic: sollicitudo circa bona temporalia est laudanda & laudabilis, ergo. patet consequentia, quia omne laudandum sive laudabile est licitum. Antecedens apparet. quia sollicitudo pro pueris suis & pupillis est opus misericordiæ & ordinatur in ipsum.

Quartò sic. In communicatione politica illud est licitum sine quo non potest diu permanere bonum publicum vel Respublica: sed sine sollicitudine circa bona temporalia non potest diu Respublica permanere, ergo: consequentia patet. Et major patet de se. Et minor probatur, quia si legislator vel Princeps esset negligens circa bona temporalia particularia, politia statim periret.

Oppositum arguitur. nam illud non est licitum per quod homo impeditur à majori bono ad quod maxime bonum obligatur; sed hoc est per sollicitudinem circa bona temporalia, ergo. major est nota. & minor probatur per experientiam, quia videmus, quòd homo per talem sollicitudinem impeditur à divino servitio: quia non potest in cultum Dei intendere. *In Oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones. *Primum articulum.*

Quantum ad primum articulum primò notandum est, quòd sollicitudo est studium circa aliquid ad illud consequendum, patet, quia ille dicitur sollicitatius qui magnam diligentiam habet ad aliquid faciendum. *Primum notabile. quid sollicitudo*

Secundò notandum est, quòd in sollicitudine circa bona temporalia tria sunt considerandа. primum est illud de quo sollicitamur. secundum est timor deficiendi. tertium est studium adhibitum vehementissime & fortiter circa acquisitionem bonorum temporalium. *Secundum notabile. tria in sollicitudine.*

Tertiò notandum est, quod sollicitudo circa bona temporalia potest reddi tripliciter illicita. Uno modo, ex parte bonorum temporalium de quibus sollicitamur: quia scilicet appetimus illa prosequi tanquam finem propter se, & etiam in illis bonis ponimus finem nostrum ita quòd fœlicitas nostra consistit in divitiis, ut aliqui posuerunt. Secundò, ex parte timoris superflui: scilicet quando excessive & superflue credit deficere, & credit nunquam satis habere, & propter hoc toto suo conatu quærit divitias. Tertiò, ex parte sui studii vehementis superflui, ita scilicet, quòd homo ita fortiter studet & nititur circa bona temporalia, quòd non occupatur in cultu & servitio divino, & negligit bona spiritualia. *Tertium notabile. sollicitudo circa temporalia est tripliciter illicita.*

Quartò notandum est, quòd antequam aliquod studium circa bona temporalia sit licitum, oportet attendere maximè ad circumstantias: scilicet, quòd cura illa sit tempore quo debet esse; ut quòd homo sit sollicitus pro vindemiis suis est licitum, & sic de aliis rebus. *Quartum notabile.*

Quintò notandum est, quòd bona temporalia non sunt homini subjecta, nisi in quantum homo ipsis utitur secundum rectam rationem non ponendo in ipsis finem suum, scilicet ordinando ipsa in vitæ necessitatem, & hoc potest facere. quia divitiæ & bona temporalia secundum veritatem sunt bona utilia, & talia ordinantur in bonum honestum. Et ideo dicit Cato: *dilige denarium, sed parcè dilige formam.* *Quintum notabile.*

Ex quo inferuntur aliqua corollaria, quòd quam cito sic est quòd aliquis quærit *Primum corol-*

quærit divitias propter se, ponendo ipsas in finem suum ipse perdit dominium super ipsas, patet ex notabili, quia non sunt ei subjectæ, nisi ut eis debitè utatur.

Secundum. Secundò infero: quòd quam citò homo agit vitiosè, & culpabiliter, ipse perdit dominium super omnia bona sua temporalia: & hoc dicitur probabiliter, quia in tali ratio est perversa; quia omnis malus est ignorans, & quasi bestia; modò bona temporalia non sunt homini subjecta, nisi in quantum est homo. Item quàm cito homo agit vitiosè ipse pervertit ordinem universi, quantum est in ipso. Modò ordo universi est quòd bona temporalia sint homini subjecta, & talem ordinem ipse pervertit, ergo talis ordo non plus inest ei.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio. frequenter in communicatione politica solicitudo circa bona temporalia est illicita, patet conclusio ex dictis in tertio notabili primi articuli.

Prima conclusio. Secunda conclusio. in communicatione politica solicitudo circa bona temporalia de quibus solicitamur est licita, stantibus tribus conditionibus. Prima est,

Secunda conclusio. quòd bona temporalia de quibus solicitamur quærantur propter vitæ necessitatem, solùm non stando in ipsis tanquam in finem. Secunda conditio: quòd homo sit sollicitus non excessivè, vel superfluè timeat deficere in bonis temporalibus, ita quòd talis semper habeat spem quòd Deus sibi providebit si bene facit juxta posse suum: juxta illud: *primùm quærite regnum Dei & justitiam ejus: & omnia adjicientur vobis.* Tertia conditio: quòd talis non adhibeat circa bona temporalia curam tantam & studium quòd impediatur à cultu divino, & ejus servitio. Et istis stantibus solicitudo nulli prohibetur, nec in lege canonica, nec in lege morali.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam conceditur major, si hoc fiat cum debitis circumstantiis. Et cum dicitur homo &c. conceditur juxta dicta in quinto notabili primi articuli.

Ad secundam conceditur major, & quando dicitur in minore homo licitè &c. concedatur si operetur ut decet, ut dictum est priùs.

Ad tertiam, sollicitudo est laudabilis: conceditur illa, si fiat ut dictum est in secundo articulo.

Ad quartam conceditur major. & negetur minor, si talis sollicitudo sit debitè circumstantionata.

Ratio posita oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO III.

De Civium disparitate.

QUæritur tertiò. Utrum dissimilitudo civium in politia sit causa dissensionis in civitate.

Arguitur. Arguitur quòd non, dissimilitudo civium in civitate est necessaria, & ad civitatis conservationem. igitur patet consequentia, quia dissentio est corruptiva civitatis. Et antecedens probatur per Philosophum tertio hujus dicentem quòd civitas debet constitui ex dissimilibus.

Secundò

Secundò sic: multitudo non est causa pacis in civitate. igitur. patet consequentia, quia oppositorum oppositæ sunt causæ. & antecedens patet, quoniam si sit major similitudo erit causa majoris pacis per regulam positam in Topicis. *si simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis, & maximum ad maximum*: consequens est falsum, ut patet, quia civitas non componeretur ex dissimilibus; quod est contra Philosophum.

Tertiò sic: in bona politia sive in bona civitate oportet cives esse dissimiles, sive dissimilium statuum. igitur. patet consequentia satis, & etiam antecedens patet in Tertio hujus, & etiam in Quinto hujus, quia in qualibet civitate debet esse subditus, & principans.

Oppositum arguitur sic: similitudo est causa pacis. igitur. patet consequentia, *In oppositum.* & antecedens patet per Philosophum Quinto hujus dicentem, quòd amicitia est causa pacis, quia amicitia est maxima similitudo, vel saltem amicitia non est sine similitudine.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo, utrum pax sit finis civitatis, vel politiæ.

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quòd in politia seu civitate, duplex potest esse civium dissimilitudo. uno modo inter se, cum quantam fiat unitas & similitudo voluntatum civium in civitate. ut si cives essent dissimilium statuum, & haberent diversas operationes, & tenderent ad unum finem civitatis. alio modo est dissimilitudo inter se, & in statu, & in operationibus, & in ordine; ad diversos fines civitatis. quidam ad bonum privatum, alii ad bonum commune, alii ad politiæ læsionem.

Primum articulus.

Primum notabile.

Duplex civium dissimilitudo.

Secundò notandum est, quòd in bona politia seu civitate debet esse Reipublicæ quicquid est necessarium ad vitam humanam, quantum est possibile. patet ex descriptione civitatis Tertio hujus, ubi dicitur quòd civitas est multitudo civium sufficiens ad autarchiam. & dicitur autarchia ab autos quod est per se & tribus sufficientia, quasi per se sufficientia. Corollariè sequitur quòd bona civitas debet constitui ex civibus dissimilibus inter se, scilicet quod debeant esse dissimilium statuum & operationum.

Secundum.

Quid civitas.

Tertiò notandum est, quòd uniuscujusque politiæ est unus finis principaliter intentus, propter quem omnia alia in tali politia fiunt, & ideo ex diversitate finium politiæ sunt distinctæ vel distinguuntur secundum veritatem, vel secundum apparentiam: Secundum veritatem ut in regno. Secundum apparentiam, ut in politiis malis & transgressis.

Tertium.

Quartò notandum est, quòd dissimilitudo potest evenire ex triplici ratione. Primò ex natura diversa: nam aliqui ex naturali inclinatione inclinantur ad alium modum vivendi. Secundò ex diversa consuetudine. Unde aliqui inclinantur ad unum modum vivendi, alii ad unum alium. Tertiò ex habituum diversitate.

Quartum.

Tribus modis provenit dissimilitudo.

Sit ergo prima conclusio: capiendo dissimilitudinem civium primo modo dissimilitudo non est causa dissentionis in civitate. immo potius est causa salvationis ejus. probatur; quia sicut dictum est, illa est dissimilitudo civium inter se quoad status & operationes, & tamen est similitudo quoad finem ultimatè intentum in illa politia, & operatur propter illum finem. Modò hoc est salus politiæ, quia in hoc civitas sit per se sufficiens, ut dictum est.

Prima conclusio.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: capiendo dissimilitudinem primo modo, dissimilitudo civium est causa dissentionis in civitate. probatur, nam talis dissimilitudo civium est quando cives sunt diversi, & intendunt ad diversos fines politiæ: unus ad bonum privatum, & alter ad læsionem politiæ; & inde sequitur destructio & corruptio politiæ, & diversitas, & dissentio.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum videndum est. utrum pax sit finis civitatis. Et arguitur primò quòd sic, quia in civitate pax quæritur propter se, & omnia quæruntur propter ipsam pacem. igitur. patet consequentia; & antecedens notum est. Secundò sic: sicut se habet quies ad motum. ita se habet pax ad turbationem in politia: vel saltem ad omnia quæ fiunt in politia. Sed quies est finis motus. igitur. major patet ex sufficienti similitudine. & minor nota est, quia mobile movetur propter quiescere.

Dubium.

Arguitur.

In Oppositum. Oppositum arguitur. quoniam fœlicitas est finis politiæ. ergo. patet consequentia, quia fœlicitas est quædam operatio. Antecedens notum est.

Primum notabile. Pro intellectu hujus sciendum est primò, quòd pax sic describitur. Pax est quietatio ordinis civium in suum finem; sive tranquillitas boni civium inter se, & in ordine ad finem politiæ. Corollariè sequitur, quòd pax non est operatio sed est quædam quietatio opposita turbationi ordinis civium. apparet ex dictis.

Quid pax.

Secundum. Secundò notandum est, quòd finis politiæ propriè est illud propter quod cives operantur, ut in politia habeant illud quod propter seipsum acquiritur.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd finis politiæ est bene vivere, vel secundum veritatem, vel secundum apparentiam.

Prima conclusio. Ex istis sequitur prima conclusio: quòd pax non est finis politiæ. Probatur, quia pax ordinatur ad finem politiæ. igitur. patet consequentia. & antecedens probatur ex definitione pacis, ubi dicitur, quòd est quietatio pacis.

Secunda. Secunda conclusio: licet pax non sit finis politiæ, tamen sine pace non habetur finis politiæ. Probatur, quia non potest acquiri finis politiæ, puta fœlicitas sine quietatione ordinis civium inter se, & talis quietatio non est aliud quam pax.

Ad rationes dubii. Ad rationes dubii. Ad primam negetur, quòd pax propter se quæratur, tamen bene quæritur propter aliud, sine quo non potest acquiri illud quod propter se quæritur.

Ad secundam, sicut se habet &c. negetur illa quoad aliqua. Et negetur minor loquendo de fine ultimato, & quando dicitur mobile movetur negetur quòd sic moveatur propter quiescere, tanquam propter finem ultimatum; sed propter conservari in loco suo naturali.

Ad rationes Quæstionis. Et tunc ad rationes quæstionis. Ad primam dicitur quòd ratio bene arguit de similitudine primo modo dicta, & non secundo modo.

Ad secundam, similitudo civium &c. verum est loquendo de omnimoda similitudine, & inter cives, & inter status similes; quia tunc non esset in civitate per se sufficientia, cum similitudo civium in ordine ad finem politiæ est causa pacis in politia.

Ad tertiam dicitur, quòd arguit quòd bonum civitatis requirit quòd cives sint dissimiles inter se, tamen est similitudo in ordine ad finem politiæ.

Auctoritas post oppositum est pro dictis.

QUÆST.

QUÆSTIO IV.

De vindicta.

QUæritur quartò. Utrum in politia vindicatio sit licita.

Arguitur quòd non. soli Deo pertinet vindicta, ergo sequitur, quòd politiæ non est vindicta licita. ergo est illicita saltem homini. patet consequentia. quia usurpare quod est proprium Deo, est illicitum & vitiosum. Et antecedens patet, quia habetur Deutron: Secundo, *mihi vindictam, & ego retribuam.* *Arguitur.*

Secundò sic. ille de quo sumitur vindicta non toleratur. sed mali sunt tolerandi. igitur. patet consequentia. & major, & minor probantur, quia mali permittuntur vivere inter bonos.

Tertiò sic. si vindicatio esset licita saltem in lege nova, sequeretur quòd lex nova esset lex timoris, & non amoris, consequens est falsum, & probatur consequentia, quia vindicta fit per pœnas ex quibus causatur timor servilis.

Quartò sic. si ita esset quòd vindicatio esset licita, sequeretur, quòd quis injurias sibi illatas deberet ulsciscr. consequens est falsum. Nam sicut dicit Chrysostomus: *discamus exemplo Christi nostri injurias & gravitates pati & sustinere.* patet consequentia de se.

Quintò sic. pro forefacto multitudinis non est vindicta sumenda de falsi multitudine. ergo nec in politia. patet consequentia. Et antecedens patet, quia multitudo sic se debet habere, quòd de ipsa non debet capi vindicta.

Oppositum arguitur, quia nisi sic sequitur quòd quælibet politia esset transgressa. patet consequentia, quia in qualibet bona politia sunt vindictæ & vindicatores. Item hoc esset in præjudicium totius bonæ politiæ & civitatis, quia alias bonum commune periret; & per consequens quælibet politia. *In Oppositum.*

In Quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo videbitur utrum licitè unus homo pro alio potest puniri.

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quod vindicare sit propriè propter aliquod malum pœnale inflictum peccanti, ut esset mutatio. *Primum articulus.*

Ex quo sequitur corollariè, quòd vindicatio non sit licitè contra justos patet, quia dicitur malum pœnale inflictum peccantis. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd maximè in vindicatione animus vindicantis est considerandus. Unde in vindicatione duo reperiuntur: scilicet unum materiale, & unum formale. Materiale est malum pœnale inflictum illi de quo vindicta sumitur. Formale est intentio, seu animus vindicantis. *Quare sit vindicatio.* *Secundum.* *Duo sunt in vindicatione.*

Corollariè sequitur, quòd quoad rem inanimatam nunquam pertinet vindicatio activa, scil. sumere vindictam. Patet, quia ibi debet esse animus vindicantis.

Tertiò notandum est, quòd animus vindicantis potest se dupliciter habere. Uno modo quòd ille vindicans principaliter intendat malum illius de quo sumit vindictam, ibi quiescendo, vel sistendo: Alio modo quòd intendat aliquid bonum ad quod pervenitur per malum pœnale inflictum peccanti; ut esset me- *Tertium notabile.*

lioratio vitæ, ad emendationem aliorum, ut alii capiant exemplum.

Quartum notabile. Quartò notandum est, quòd injuria alicui illata dupliciter consideratur: Uno modo in quantum redundat in Deum, vel Ecclesiam, aut bonum commune, & sic de aliis. Alio modo in quantum recipitur ab illo, cui injuria est illata, tanquam persona privata. Primo modo dicitur quòd injuria non est toleranda, prout scilicet redundat in Deum, & ex dictis Philosophi in hoc Quinto apparet, & etiam apparet de Elia & Elisæo prophetis. Sed juxta secundum modum, injuria est bene toleranda: & hoc est, quod dicit Chrysostomus *exemplo Christi.*

Dupliciter consideratur injuria.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio. Si intentio vindicantis principaliter feratur super malum illius de quo pœnalis vindicta sumitur, ibi stando, nulla vindicatio est licita. Probatur, quia sic tendit in odium, & in invidiam, & contra amicitiam veram: igitur. Patet consequentia, & antecedens patet ex dictis.

Secunda. Secunda conclusio. Si intentio vindicantis principaliter feratur supra bonum quod principaliter provenit per malum pœnale inflictum peccanti, nunc vindicatio est licita: probatur, quia aliqui ob hoc incarcerantur, & puniuntur, ut sit eis bonum, & aliis in exemplum. Ideo solet dici, quod vindicatio est medicina. Patet per rationem post oppositum, & etiam pertinet ad Judicem, qui non possunt hoc facere sine vindicatione. igitur. &c.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum videndum est, utrùm licitè quis pro alio possit puniri.

Dubium.

Notabile. Pro quo notandum est, quòd duplex est punitio: quædam est spiritualis, quæ ad Deum pertinet: alia est temporalis & corporalis magis.

Duplex est punitio.

Prima conclusio. Prima conclusio: loquendo de punitione spirituali, unus non punitur pro alio licitè, saltem in quantum est persona privata; & etiam in quantum punitio pertinet ad personam privatam, & etiam prout illa persona privata punitur. Probatur, quia si sic, sequeretur quòd aliquis puniretur spiritualiter sine demeritis. Consequens est falsum, & patet consequentia, quia sine hoc quòd aliquis deviret suo more puniretur.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: de punitione temporali, & corporali potest contendi, quòd unus pro alio potest puniri corporaliter, in quantum ille est res alterius: sicut filius est res patris, ergo ratione patris potest filius puniri temporaliter. Item filius habet esse à patre, & per consequens bene esse. Secunda ratio est, quòd unus potest puniri pro alio temporaliter, prout peccatum ipsius redundat in alium, & ad peccatum alterius condescendit: quia unus potest faciliter cadere in peccato alterius. Tertiò, quoad unitatem humanæ societatis; quis quilibet debet videre, ut proximus non peccet, igitur.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes. Ad primam conceditur major originaliter & principaliter: tamen aliquando Judices, & alii possunt licitè judicare secundum exigentiam sui gradus, principatus, & dominii: si aliter fieret, tunc graviter peccarent.

Ad secundam negatur antecedens, quia licet non toleretur totaliter, sic quòd in sua malitia conservaretur; tamen propter hoc non sequitur propositum: ita quòd tolerare capitur dupliciter. Uno modo sic, quòd conservaretur ab aliis in malitia, & sic non toleratur. Alio modo, quia sibi aliquod malum pœnale infligendum est, ut sint meliores: & isto modo mali homines sunt tolerandi.

Dupliciter capitur tolerare.

De tertio argumento dictum est in secundo articulo, quia debemus sustinere injurias,

injurias, in quantum redundant in personam privatam: sed prout redundant in Deum, & in rempublicam non debemus eas sustinere.

Ad quartam negetur consequentia, nisi concedatur quod de lege amoris est talis vindicta, & negetur quòd ex talibus pœnis generetur timor servilis, quia debet sustinere amore justitiæ: & ita per tales pœnas generatur amor filialis.

Ad quintam dicitur, quòd immo in multis certis casibus, videlicet in casu in quo multitudo inde melioraretur: vel in casu in quo non insurgeret principi. Iniuria à multitudine debet capi vindicta secundum exigentiam multitudinis & secundum consilium legislatoris, sed non universaliter.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO V.

De Causa Dissensionis.

Quæritur quintò. Utrum locus sit causa seditionis, vel dissensionis in bona politia.

Arguitur quòd non: nam locus est principium & causa conservationis civitatis. igitur. Patet consequentia, & antecedens probatur per Porphyrium dicentem, quòd *locus est causa generationis & conservationis, sicut pater filii.* Item patet per Philosophum, Quarto Ethicorum dicentem, quòd *locus est conservativus locati.* *Arguitur.*

Secundò sic, si sic, hoc maximè esset propter diversitatem locorum in civitate: sed hoc non est dicendum. igitur. Patet major, quia non videtur alia causa: & minor patet, quia ad civitatem esse ordinatam hoc requiritur; nam dicit Philosophus in Primo hujus, *in civitate bene ordinata locus, & bona civium distingui debent.*

Tertiò sic, diversitas locorum in civitate non est causa diversitatis voluntatis in civitate. igitur. Patet consequentia, quia nunquam oritur seditio in civitate, nisi ex voluntatum diversitate, scil. civium. Et antecedens probatur, quia tunc voluntas non esset libera, sed voluntas civium necessitaretur, ut discordarent.

Oppositum arguitur per Philosophum Quinto hujus, capitulo Secundo, ubi expressè ponit oppositum. In quæstione primò erunt notabilia. Secundo conclusiones. *In oppositum.*

Quantum ad primum articulum, primò notandum est, quòd locus naturalis est superficies corporis continentis ipsum corpus existens in tanta propinquitate, ab ipso corpore cœlesti, quòd recipiat dispositiones secundum quas potest agere in ipsum locatum, ipsum conservando. Ex quo sequitur corollariè, quòd superficies secundum illam rationem, secundum quam dicitur superficies talis vel talis corporis, non dicitur locus ipsius naturalis. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd locus potest dupliciter considerari. Uno modo secundum dispositionem qualitativam. Alio modo secundum dispositionem quantitativã. Unde dispositio qualitativa loci attenditur penes hoc quod locus *Secundum.*

recipit

recipit dispositiones à cœlo, secundum quas agit in ipsum locatum: ipsum conservando. Sed dispositio quantitativa in proposito attenditur penes diversitatem locorum civium in ordine ad locum principalem in civitate.

Tertium. Tertiò notandum est, quod secundum quod corpora humana recipiunt dispositiones diversas à locis in quibus sunt, secundum hoc etiam recipiunt diversos appetitus, & consequenter intelligit intellectus diversimodè, & per consequens de per accidens variantur diversitates hominum, & diversificantur judicia sensuum exteriorum. Dicitur notanter, [consequenter] & [de per accidens,] quia nulla causa naturalis potest sic agere in voluntate, quod ad aliam partem possit necessitare illam; quia voluntas est ita libera, quod si non esset libera, non esset voluntas.

Quartum. Quartò notandum est, quod secundum unitatem & diversitatem voluntatum civium in civitate disponuntur homines in unitate, vel discordia: sic, scil. quod si sit discordia quoad finem civitatis, tunc est dissensio: si sit concordia quoad finem civitatis, tunc est pax.

Quintum. Quintò notandum est, quod frequenter secundum quod loca civium diversimodè situantur in ordine ad locum principalem: secundum hoc diversimodè disponuntur homines ad pacem & seditionem: Probatur, nam si vulgares videant quod cives habeant loca multum eminentia in loco principali civitatis, tunc vulgares murmurant, si habeant loca nimis distantia, tunc non curant, nec murmurant: ideo dicitur Septimo hujus, quod in civitate bene ordinata locus civium debet dividi; & hoc intelligi debet secundum debitum ordinem ad locum principalem in civitate.

Sextum. Sextò notandum est, quod locum esse seditionis potest intelligi dupliciter. Uno modo quod locus sit causa de per se dissensionis. Alio modo de per accidens, & consecutivè secundum ejus finis.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio: locus de per se non est causa seditionis, seu dissensionis in civitate. Probatur, quia non est dissensio in civitate, nisi propter diversitates voluntatum civium in ordine ad finem politiæ: sed nec dispositio quantitativa, nec qualitativa sunt necessaria causa mutationis voluntatum, igitur. Major patet, & minor probatur, quia qualitercunque se habeant loca & eorum dispositiones quantitativè & qualitativè, semper voluntas est libera; quia non potest necessitari.

Prima conclusio.

Secunda conclusio. Secunda conclusio est de mente Philosophi: locus de per accidens est causa dissensionis in politia. Probatur, quia dispositio qualitativa & etiam dispositio quantitativa sunt causæ per accidens, propter quas frequenter in civitate variantur voluntates civium. igitur. Apparet consequentia, & antecedens patet ex dictis, quia sunt diversæ complexiones, vel dispositiones, & motus corporis; & secundum hoc voluntas quandoque mutatur de per accidens, & tunc secundum hoc cives commoverentur ad iram, ut patet ex diversis circumstantiis.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam conceditur, si fiat secundum dispositionem consequentem qualitativam, & quantitativam, & secundum exigentiam partium in civitate.

Duplex est diversitas locorum. Pro secunda ratione sciendum est, quod diversitas locorum civium est duplex: nam quædam est diversitas locorum inter se quæ stat cum habitudine & unitate habitudinis partium locorum principalium in civitate. Et ista reperitur

in

in civitate bene ordinata, & secundum debitam exigentiam; & ita intellexit Philosophus Septimo hujus.

Alia est diversitas locorum inter se, & cum hoc diversitas habitudinis illorum locorum in ordine ad locum principalem in civitate. Et ista est destructio politiæ, & secundum hoc diversimodè respondetur ad illas rationes.

Ad tertiam [diversitas &c. Dicitur, quod illa ratio bene arguit pro prima conclusione: tamen non arguit contra illam conclusionem, quæ est responsalis.

Ratio post oppositum est pro dictis in conclusione.

QUÆSTIO VI.

De Principatu.

QUæritur sextò. Utrùm Tyrannis sit alicui expediens?

Arguitur primò quod sic: Illud est expediens alicui quod est naturale sibi. Sed Tyrannis est hujusmodi. Major patet, quia natura nihil agit frustra: Minor patet, quia finis Tyrannidis est finis, ad quem homo habet naturalem inclinationem, puta ad propriam commoditatem. *Arguitur.*

Secundò sic, quia Tyrannis comparatur principatui Despotico, ut dicit Philosophus: modò talis est naturalis, ut habetur Primo hujus.

Tertiò sic, principatus Despoticus est alicui expediens: ergo, & principatus Tyrannicus. Tenet consequentia, quia Tyrannis proportionatur principatui Despotico. Antecedens probatur, quia omnino est expedit principatus Oeconomicus in domo. modò talis est pars principatus Despotici, quia principatus Oeconomicus continet tres principales principatus, scil. Despoticum, Nuptialem, seu Conjugalem, & Paternum:

Quartò sic, Tyrannis est expediens Tyranno, seu alicui principi, igitur. Patet consequentia, & antecedens probatur, quia illud est expediens Tyranno, vel principi, per quod attingit finem intentum. Unde finis intentus ipsius est proficere in bono privato, & proprio.

Oppositum arguitur: illud non est expediens alicui per quod recedit ab operatione & dictamine rectæ rationis: sed per Tyrannidem homo recedit ab operatione humana, & à recta ratione: ergo. Patet major de se: & minor patet, quia per Tyrannidem principatus recedit à fine intento principaliter in recta politia: quæ est bonum commune, & perfectio ipsius communitatis. *In oppositum.*

Secundò sic: Tyrannicus principatus est præter naturam, immo contra naturam, quia naturaliter homo est animal civile domesticum, & communicabile: & sic unus homo debet attendere ad utilitatem alterius.

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia: In secundo conclusiones. *Primus articulus.*

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quòd Tyrannis est principatus quo principans principaliter intendit principari propter bonum priuatum, & proprium, & propter divitias congregandas, & voluptates; vel propter *Primum notabile.*

 Quid Tyrannis.

tangentia personam privatam. Ex quo sequitur corollariè quòd Tyrannis in extremo recedit à rege, quia rex est qui principatur principaliter propter bonum commune.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd ly [expediens] dupliciter capitur: Uno modo largè, & sic est idem quod oportunum ad aliquem finem intentum; sive tale sit aliquid malum, sive bonum: & sic diceretur, quod furi vel latroni est expediens tempus obscurum. *Expediens dupliciter accipitur.* Alio modo capitur propriè, & sic dicitur oportunum ad aliquem finem intentum: sic tamen quod est decens illi cui est oportunum. Et sic nihil est alicui expediens, nisi sit bonum, & ordinetur ad finem ultimatum boni.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quod Tyrannidem alicui esse expedientem potest intelligi dupliciter. Uno modo quod sit expediens Tyranno, vel principi. Alio modo quod sit expediens populo vel multitudini.

Quartum. Quartò notandum est, quòd Tyrannidem expedire principanti dupliciter intelligitur: Uno modo quod sit expediens simpliciter. Alio modo quod sit expediens secundum quid, quia secundum finem quem intendit.

Quintum. Quintò notandum est, quod semper voluntas Tyranni, & voluntas populi contrariantur, & sunt discordes. Patet, quia aliàs principatus esset voluntarius.

Sextum. Sextò notandum est, quod differentia est inter principatum Tyrannicum, & *Differentia inter principatũ Despoticum & Tyrannicum.* principatum Despoticum. Unde licet principatu Despotico princeps intendat bonum privatum, tamen secundario intendit bonum commune secundum quid, in quantum ordinatur ad utilitatem suam. In principatu Tyrannico princeps solum & principaliter intendit bonum privatum.

Secunda differentia. Secundò differunt, quia in principatu Despotico princeps intendit bonum privatum nemini præjudicando. Sed in principatu Tyrannico princeps intendit bonum proprium alteri præjudicando, scilicet populo communi faciens præjudicium: tamen in hoc conveniunt, quia quilibet vult proprium.

Tertia differentia. Tertiò differunt, quia principatus Despoticus est licitus: sed Tyrannicus est simpliciter illicitus. Primum patet, quia sine principatu Despotico non potest esse Oeconomicus, quia est pars ejus: sed secundum patet, eò quod est contra bonum communitatis Oeconomicæ.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio: Tyrannis nullo modo est expediens populo, seu multitudini. *Prima conclusio.* Probatur conclusio qualitercunque capitur ly [expediens.] Non primo modo, quia populus non intendit finem, ad quem ordinatur Tyrannis, quia populus ordinatur ad conservationem boni communis. Modò Tyrannis ordinatur ad bonum proprium. Nec secundo modo, quia Tyrannis nullo modo est decens populo, quia Tyrannis est per se mala.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: Tyrannis non est simpliciter expediens Tyranno. Probatur, quia licet Tyrannis sit optima Tyranno ad finem obtinendum quem intendit, tamen non est sibi decens igitur. Patet, quia nihil est decens, nisi illud quod est simpliciter bonum. Et antecedens patet, quia secundum rectam decentiam principans debet præferre bonum commune bono privato: ut dicitur Primo hujus, & Tertio Ethicorum, quòd fortes pro necessitate reipublicæ tenentur se exponere in periculo mortis.

Corollariè sequitur, quod per Tyrannidem Tyrannus amittit rectam ratio-

nem

nem secundum quam debet dici homo, & est pars civitatis, ergo. patet consequentia. Et antecedens probatur per prædicta, quia homo naturaliter est animal communicabile: modò hoc non posset esse, nisi ab aliis diligatur; & non diligitur, nisi bene faciat aliis.

Tertia conclusio responsiva: Tyrannis est expediens secundum quid Tyranno. Probatur, quia Tyrannis est expediens, seu opportunum ad attingendum finem intentum à Tyranno. Et sic dicitur, quod homini volenti ditari expedient est furtum secundum quid. igitur. Patet consequentia, quia per Tyrannidem Tyrannis deveniet ad suum finem, scil. ad congregationem bonorum, vel alterius utilitatis: non est tamen medium decens, ut dictum est priùs. *Tertia conclusio responsiva.*

Sed quis quæreret & argueret, quòd Tyrannis est medium opportunum ad finem Tyranni: quia illud quod intenditur à Tyranno non habet finem; quia non habet bonitatis rationem: Modò omnis finis debet habere bonitatem, quia appetitus fertur in finem, & non fertur nisi in bonum, vel apparens bonum. Et antecedens probatur, quia simpliciter malum est quod principans bonum proprium intendat in politia. *Quæstio cum objectione.*

Respondetur quod non semper est verum, quod finis semper realiter debeat habere bonitatem in se, sed sufficit quod sit bonus, vel appareat habere rationem bonitatis apparentis alicui. Unde interficiens seipsum malè facit, tamen finis propter quem facit apparet sibi bonus. Et in hoc datur differentia inter appetitum naturalem, & animalem: quia appetitus naturalis semper fertur in bonum, quia dirigitur ab agente infallibili. Sed appetitus animalis aliquando fertur in malum, quia habet aliquid adversans rationi; sic quod aliquando ratio devincitur, & superatur: & hoc dicitur Tertio Ethicorum. Et per hoc patet solutio ad rationem factam. *Responsio objectionis.*

Ad rationes quæstionis. Ad primam quando dicitur &c. conceditur, si hoc sit naturale, est tamen à natura corrupta: verbi gratiâ, febricitans habet inclinationem ad amarum, sed hoc est à natura corrupta. *Ad rationes quæstionis.*

Ad secundam negetur consequentia, quia licet in aliquo conveniant, non tamen in omnibus. Sed in multis differunt, ut dictum est in primo articulo.

Ad tertiam negetur consequentia, quia non omnis Monarchia est licita.

Ad aliam negetur similiter: quia li [expediens] quando non restringitur includit in se decentiam simpliciter.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO VII.

De peccatis ex malitia.

QUæritur septimò. Utrum ille qui peccat contra politiam ex certa malitia gravius peccet, quàm ille qui peccat ex passione?

Arguitur quòd ille qui peccat ex certa malitia non gravius peccet, quia qui ex ignorantia peccat minùs peccat, quàm qui ex passione, sed qui peccat ex certa malitia est hujusmodi. ergo. Major patet, quia ignorantia à peccato excu- *Arguitur.*

sat. Minor patet, quia sicut dicitur Tertio Ethicorum, *omnis malus est ignorans*; & per consequens, qui ex malitia peccat, ex ignorantia peccat.

Secundò sic: quanto aliquis majus habet impellens, & motivum ad peccandum, minus peccari sed ille qui peccat ex malitia certa, habet majus impellens & motivum ad peccandum. igitur. Patet consequentia; & major, quia quanto aliquis ex majori motivo peccat, tanto magis excusatur. Et minor probatur, quia qui ex malitia peccat, peccat ex certo habitu: sed non ille qui ex passione. Modò habitus malus fortiter inclinat ad peccandum.

Tertiò sic: tam ille qui peccat ex certa malitia, quàm ille qui ex passione peccat, peccat ex electione mali. Et per consequens, unus non peccat magis, quam alter. Consequentia est nota: & antecedens probatur, quia ille qui peccat ex certa malitia peccat ex electione mali, & similiter qui ex passione.

In oppositum. Oppositum arguitur sic, ille qui peccat ex certa malitia diuturnius peccat, quàm ille qui ex passione: ergo videtur quod qui peccat ex malitia gravius peccat. Consequentia patet, quia quantum peccatum est diuturnius, tanto est gravius: & antecedens patet, quia habitus est diuturnior.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo, utrum passio totaliter habeat à peccato excusare.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quod quanto motus peccati est magis proprius voluntati: tanto peccatum est gravius, cæteris paribus. Probatur, quia peccatum est voluntarium: igitur, quanto actus est intimior, & propior voluntati: tanto est magis voluntarius.

Primum notabile.

Secundum. Secundò notandum est, quod peccatum quod fit ex habitu cæteris paribus est gravius multùm, quam illud quod fit ex passione. Probatur, quia peccatum est diuturnius: eò quod habitus est de difficili mobilis à subjecto suo: sed passio est faciliter mobilis. & ideo cum ratio ad optima deprecatur, & voluntas non fertur in incognitum, sequitur quòd quanto ex minori motivo voluntas peccat, tantò peccatum est gravius, & majus. ideo cito revertitur à peccato, quando fit ex passione: sed non quando ex habitu.

Peccatum ex habitu factum gravius est quàm ex passione.

Tertium. Tertiò notandum est, quod quanto peccatum est ex majori motivo, tanto est minus imputabile, & quanto ex minori motivo, tanto est magis imputabile: & majus & gravius est peccatum: & magis peccat peccans. Patet, quia si est ex majori motivo, tantò est minùs voluntarium.

Quartum. Quartò notandum est, quod differentia est inter eligentem peccare, & peccare ex electione. Unde qui peccat ex electione bene peccat eligens: tamen non dicitur peccare ex electione, qui non peccat ex passione: immo electio est principium principale peccati, & ideo gravius peccat peccans ex electione, quam qui peccat ex passione.

Differentia est inter peccare eligentem, & ex electione.

Prima conclusio. Prima conclusio: generaliter ille qui peccat ex malitia peccat ex habitu, qui est de difficili mobilis à subjecto suo: sed non ille, qui peccat ex passione. Ideo dicit Apostolus: *Sentio legem in membris meis contrariam legi mentis meæ.* & intelligitur conclusio in eodem genere peccati.

Secunda. Secunda conclusio: qui peccat ex malitia contra politiam gravius peccat, quàm ille qui ex passione. Patet per conclusionem præcedentem.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum Arguitur ad partem affirmativam dubii, illud habet totaliter excusare à peccato, quod causat omnino involuntarium.

Arguitur.

passio

passio est hujusmodi, ergo patet consequentia, quia passio provenit ex rebellione sensualitatis partis inferioris, contra partem principalem & rationem: & tamen non consentit, ideo non obedit voluntas.

Secundò sic. Nam passio causat quandam particularium ignorantiam: ergo, patet consequentia: quia ignorantia invincibilis omnino excusat à peccato. Et probatur antecedens: quia tempore quo homo peccat ex passione non habet finem directivum, necetiam notitiam de agibilibus.

Tertiò sic. Infirmitas animæ seu motus, est multo major quàm infirmitas corporis: sed in casu infirmitas corporis habet totaliter à peccato excusare: igitur. Patet major, quia sicut anima excedit corpus: ita passiones animæ excedunt passiones corporis. Et minor patet de phreneticis & dæmoniacis.

Primum notabile. Pro dubio notandum est primò, quòd duplex est voluntarium: scilicet secundum se, & est illud in quo voluntas directè fertur: ut quando homo vult ire ad Ecclesiam, aliud est voluntarium secundum suam causam, ut quando voluntas fertur in causam, non tamen in effectum: ut si homo inebriaretur voluntariè secundum suam causam, non tamen secundum se, & facit multa mala: tunc omnia mala vult voluntariè secundum suam causam; non tamen secundum se, quia in ebrietate homo non habet usum rationis. Et conformiter debet dici voluntarium impropriè. *Duplex est voluntarium.*

Secundum. Secundò notandum est, quòd duplex est voluntarium. Nam quoddam est directè voluntarium: & est quando quis directè vult aliquid. Aliud est indirectè voluntarium, ut quando aliquis potuit impedire malum fieri, & prohibere, & tamen non prohibuit. *Duplex est voluntarium.*

Tertium. Tertiò notandum est, quòd passio est duplex. quædam est quæ totaliter aufert usum rationis. alia est quæ non totaliter aufert usum rationis. Exemplum primi, ut si quis esset inanimatus, & valde intensè ratus, & quasi insensatus. *Duplex est passio.* Exemplum secundi, ut quando homo habet usum rationis, tamen aliqualiter impeditum.

Quartum. Quartò notandum est, quòd passionatus potest dupliciter se habere ad passionem. Uno modo quia fuit in causa quòd talem passionem incurrit: ut forte ex sua mala vita. Alio modo quia non fuit causa quòd ad illum statum devenit. *Dupliciter se habet passionatus ad passionem.*

Prima conclusio. Prima conclusio: illa passio quæ totaliter aufert usum rationis, sic tamen quòd talis fuerit causa quòd ad talem statum devenerit, non totaliter excusat à peccato. probatur, quia licet excusetur in effectu & non in causa, tamen est culpabilis in causa illius effectus propter quam ille effectus fiebat.

Secunda responsiva. Secunda conclusio. Illa passio quæ non totaliter aufert usum rationis non totaliter excusat à peccato patet, tunc in potestate voluntatis est quòd tunc præcipias intellectui & rationi quòd se divertat à malo statu, & ad bonum se convertat.

Tertia conclusio responsiva. Tertia conclusio responsiva: passio quæ aufert totaliter usum rationis, sic tamen quòd talis non fuit in causa qui in talem passionem devenit, excusat à peccato. probatur, quoniam peccatum tale nullo modo est voluntarium respectu peccantis. sic ergo patet consequentia, & antecedens ex dictis.

Ad rationes dubii. Ad rationes dubit. Ad primam conceditur major, si causa est omnino involuntarium. Et dicitur si sic, ineſt quod dicitur pro tertia conclusione.

Ad secundam negatur consequentia, nisi quando homo non fuit in causa illius effectus antecedentis

Ad tertiam conceditur major, & minor: nisi talis fuerit in causa quare talis infirmitas evenerit.

Ad rationes quæstionis.

Ad rationes quæstionis. Ad primam conceditur major, nisi sit ignorantia electionis, quæ non excusat peccatum.

Ad secundam conceditur major, & hoc si non sit causa illius majoris impellentis. Ad minorem dicitur etiam quòd ille est causa quoad illos malos actus, quia se exercitavit in illis malis habitibus, & operationibus.

Ad tertiam dicitur, quòd ille qui peccat ex certa malitia non solùm peccat eligens, sed etiam peccat ex electione: quia ipse priùs illas malas operationes exercuit, ex quibus sequuntur alia mala: sic quòd electio sit primum principium peccati sui; sed ille qui peccat ex passione non peccat ex electione, ut prius dicebatur. & per consequens non peccat graviùs.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO VIII.

De subjectione legibus:

Arguitur:

Quæritur octavò. Utrum omnes homines legibus humanis subjiciantur?

Arguitur primò quòd non. Nam justi & virtuosi legibus non subjiciuntur, igitur. Patet consequentia. Et antecedens probatur, quia justo non est lex posita. dicit Apostolus ad Timotheum.

Secundò sic. Princeps legibus humanis non subjicitur: igitur. patet consequentia. Et antecedens patet per Albertum in hoc Quinto dicentem: quòd Princeps est super omnem legem.

Tertiò sic, vitiosi & mali talibus non subjiciuntur. ergo &c. patet consequentia, quia illi solùm legibus subjiciuntur, quorum actus per regulas humanas regulantur. modo actus malorum non regulantur per leges humanas, quia non fiunt secundum dictamen rectæ rationis: igitur &c.

In oppositum.

Oppositum arguitur auctoritate Philosophi Quinto hujus. Et arguitur ratione sic. omnes homines debent actus suos regulare per præcepta humana: igitur. patet consequentia, & antecedens inducendo in singulis politiis. Nam secundum diversas politias sunt diversæ leges, & politiæ secundum quas actus hominum debent regulari.

Primum articulus.

In quæstione erunt duo articuli. In primo respondebitur ad quæstionem. In secundo videbitur utrum rectores politiæ in legibus humanis possint dispensare.

Primum notabile.

Quantum ad primum arguitur. primò notandum est, quòd ad legem humanam duo requiruntur. primo requiritur quòd lex sit respectu humanorum actuum: quia lex debet esse respectu actuum, qui sunt in nostra potestate: secundum est quòd lex habeat vim coactivam, scilicet qua refrænentur rebelles & inobedientes.

Duo requiruntur ad legem humanam.

Secundum, quando lex habet vim:

Secundò notandum est, quòd antequam aliqua lex habeat vim requisitum quòd applicetur illis quibus debet esse lex: scilicet quomodo & qualiter decet.

Tertio

Tertiò notandum est, quòd aliquis potest subici legibus humanis dupliciter. uno modo secundum quod regulatum suæ regulæ subjicitur, ita quòd talis non potest cogi per legem, cum regulatur plenaria voluntate secundum legem. secundo modo secundum actum cogendi ut quòd quis velit aut nolit regulet actus suos per leges, quia nisi regularet cogeretur. esto quòd non vellet. Ex quo sequitur, quòd secundus modus ipsius subjectionis non est purè voluntarius patet, quia voluntarium tollitur per coactionem. *Tertium.* *Dupliciter aliquis legibus humanis subjici.* *Sequitur.*

Quartò notandum est, quòd aliquis potest esse super legem dupliciter, uno modo quia nullo modo legi subjicitur. alio modo quia subjicitur legi, ut regularum regulæ & tamen potest & habet potestatem immutandi legem. *Quartum.* *Dupliciter quis est super legem.*

Quintò notandum est, quòd lex humana potest sic describi. est rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata. *Quintum.* *Quid lex humana.*

Ex quo patet, quòd lex humana debet ad bonum commune ordinari principali ordinatione. *Corollaria.*

Secundò sequitur quòd Tyrannis non est lex.

Tertiò sequitur, quòd lex solùm debet constitui à Principe vel ab illo qui vicem Principis gerit.

Quartò sequitur, quòd de ratione legis humanæ est quòd sit promulgata.

Iis præmissis sit prima conclusio. vocando illos subditos legi humanæ sicut illi qui subjiciuntur sicut regulatum regulæ: omnes homines legibus humanis subjiciuntur, vel debent subjici. pater, quia omnes homines actus suos tenentur regulare voluntariè per regulas: igitur. Consequentia patet. & antecedens probatur, quia vel sunt Principes, & hic adhuc tenentur illam legem adimplere, vel sunt alii, & sic tenentur obedire Principi. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. vocando legibus humanis subjiciposse aliquis dicitur subjici, ut coactus cogenti non omnes homines legibus humanis subjiciuntur. Patet conclusio per primam rationem ante oppositum, quia justis non est lex posita. similiter patet de Principibus, quia non subjiciuntur alicui cogenti. *Secunda.*

Quantum ad secundum articulum. Ad partem negativam dubii arguitur primò, probando quòd non possint dispensare: quia vel lex humana est justa, & sic non potest in melius permutari; vel injusta, & sic non lex: ur patet ex ejus definitione. *Secundus articulus.* *Arguitur.*

Secundò sic. sequeretur quòd bonum commune esset dimittendum propter bonum privatæ personæ.

Tertiò sic. in lege divina & in lege naturali homo potest dispensare: ergo patet consequentia. quia lex humana non dicitur bona, nisi sit consona legi divinæ vel naturali. Et antecedens patet, quia nullus homo potest dispensare aliquem ad potandum vel comedendum, nec ei est obediendum, ut Deo non obediat.

Pro intellectu hujus dubitationis sciendum est, quòd dispensatio importat quandam ordinationem aut regulationem alicujus communitatis ad singula. Unde in politia seu in multitudine ille solus dicitur dispensator qui ordinat qualiter præceptum quod est commune omnibus debeat adimpleri ad aliqua singularia, id est ad aliqua particularia. *Primum notandum.* *Solus.* *Quid importat dispensatio.*

Secundò notandum est, quòd secundum veritatem aliquod commune præceptum frequenter est ad utilitatem totius communitatis quod non est conveni- *Secundum.*

ens

ens isti personæ, quia per hoc forsan privaretur à majori bono; ut prohibitum est, quod non debet fieri homicidium, cum tamen aliquo casu est licitum.

Tertium notabile.

Duo requiruntur ad dispensandum.

Tertiò notandum est, quòd ad dispensandum primò requiritur fidelitas, ut quòd veniat ad bonum finem. secundò requiritur prudentia, & discretio; ut quo modo, & qualiter, & quando, & quibus casibus est dispensandum.

Quartum.

Quartò notandum est, quòd ad hoc quòd aliquis sit dispensator, necessarium est, quòd sit clarus ingenio, subtilis, & bonus.

Conclusio responsiva.

Conclusio responsiva dubii. In aliquibus casibus rectores politiæ in legibus humanis possunt dispensare licitè. Et causa est; quia lex humana est universalis, & datur universaliter, & ideo potest licitè mutari: quia non est bene possibile, quòd Judex sciat omnes casus particulares discernere.

Ad rationes dubii.

Ad rationes dubii. Ad primam dicitur, quòd quælibet est bona & justa: sed non cuilibet est bona, & justa; ut patet si bonus ascenderet murum pro defensione Reipubl. non est licitum & justum quòd puniatur.

Ad secundam negatur consequentia: quia in hoc quòd dispensat Judex dicit legem non debere teneri, quia non oportet quòd semper lex servetur quoad omnia verba: sed solum ad intentionem legislatorum.

Ad tertiam negatur consequentia: & dicitur quòd non est simile.

Ad rationes quæstionis.

Ad rationes principales quæstionis. Ad primam conceditur, quòd non subjiciuntur sicut coactum cogenti: sed bene primo modo, & hoc bene conceditur, quia licet non cogatur, tamen adimplet, ut ratio dictat.

Ad secundam dicitur eodem modo, quod Principes non subjiciuntur secundo modo: sed bene primo modo.

Ad tertiam negatur antecedens Ad probationem [illi politiæ &c. dicitur quòd debent subjici, vel debent cogi ad hoc.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO IX.

De legis mutatione.

Arguitur.

QUæritur nonò. Utrum lex humana justè possit mutari, & licitè?

Arguitur primo quod non. Nam lex naturalis non potest mutari justè. ergo nec lex humana. Patet consequentia, quia lex humana derivatur à lege naturali. Et antecedens patet, quia lex naturalis est immutabilis. Unde Secundo Ethicorum, *Natura existentium nihil aliter assuescit.*

Secundò sic. Lex humana est regula actuum humanorum & mensura: ergo non potest justè mutari. Patet consequentia, quia mensura est permanens Quinto Ethicorum. Antecedens patet, quia lex humana est quædam mensura & regula qua actus humani regulantur.

Tertiò sic. Lex humana est justa & recta: ergo non est licitè mutabilis. tenet consequentia: quia quod semel est justum & rectum in agentibus non voluntariè, semper permanet justum & rectum. Et antecedens notum est: quoniam lex humana est rationis ordinatio pro bono communi.

Oppositum

Oppositum arguitur sic, quia nisi sic, sequeretur, quod frustra esset una virtus quæ vocatur epieichia. Consequens est falsum, & probatur consequentia: quia illa est virtus, qua princeps habet interpretari legem ad interpretationem, seu intentionem legislatoris, & variare habet & mutare. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo respondebitur ad quæsitum. In secundo videbitur, utrum consuetudo habeat vim legis: vel utrum per consuetudinem lex humana valeat aboleri.

Quantum ad primum articulum, primò notandum est, quod sicut patet ex dictis. Lex humana est quoddam dictamen rectæ rationis, quo actus humani diriguntur & regulantur. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod legem humanam posse mutari justè potest intelligi dupliciter. Uno modo ex parte rationis. Alio modo ex parte hominum. Unde rationi naturale est, quod semper procedatur ex imperfectis ad perfecta: ut patet in speculabilibus, & in naturalibus, ut à vegetativo in sensitivum, &c. & in agibilibus. Alio modo quod justè varientur propter varietates ex parte hominum; scil. humanarum considerationum, quia homines & etiam mores variantur. *Quid lex humana.* *Secundum.*

Tertiò notandum est, quod lex naturalis est quædam participatio æternæ legis seu divinæ, istud potest deduci ex dictis Boëtii Tertio de Consolatione, ubi dicit, aliquid esse nobis innatum, quo desideramus bona inesse. Et ideo dicit Philosophus, quod aliqui sunt confestim boni. Ex quo sequitur corollarie, quod à nullo homine puro lex naturalis potest variari: quia est participatio legis divinæ, quæ non subest humanæ voluntati. *Tertium.* *Quid lex naturalis.*

Istis positis sit prima conclusio responsiva: lex humana licitè potest mutari & variari quantum est ex parte rationis. Patet, quia ratio in agibilibus procedit de imperfecto ad perfectum. Ideo lex humana ponit præcepta communia imperfecta, quæ ratio potest variare postea & mutare in melius, & in varias materias. Unde non est inconveniens: quia ratio aliquando deficit, scil. in primitivis. *Prima conclusio responsiva.*

Secunda conclusio: lex humana potest licitè variari, & justè mutari ex parte hominum. Probatur, quia continuò consuetudines & dispositiones variantur: modò sic eadem lege humana non possunt semper actus hominum regulari, quia uno tempore actus contrariantur legibus, ut satis patet. *Secunda.*

Quantum ad secundum articulum, Videndum est, utrum consuetudo habeat legem, vel utrum per consuetudinem lex humana valeat aboleri? *Secundus articulus.*

Arguitur primò quod non: quia lex naturalis & humana non possunt per consuetudinem mutari, seu aboleri: igitur. Patet consequentia, quia lex humana derivatur à talibus legibus. Et consequens notum est. *Dubium.* *Arguitur.*

Secundò sic: ex malis multiplicatis nunquam potest aliquod bonum fieri: modò ille qui primo legem humanam commutavit pro consuetudine imponenda malum fecit. Similiter secundus, & tertius, & sic de aliis.

Tertiò sic: leges constituuntur & ponuntur à personis publicis, & consuetudo humana solùm introducitur à personis privatis: igitur. Patet consequentia. Et antecedens est notum.

Pro evidentia istius notandum est primò: quod secundum veritatem lex humana recta ratione perficitur. Patet, quia leges humanæ ab hominibus *Primum notabile.*

perficiuntur, seu introducuntur.

Secundum notabile. Secundò sciendum est, quod lex divina, & lex naturalis nunquam per consuetudinem procedentem ab hominis voluntate potest mutari: sed solum à voluntate divina. Patet de divina lege: similiter patet de lege naturali: quia illa est participatio legis divinæ.

Tertium. Tertiò notandum est, quod leges humanæ, sicut à multis accipiuntur, possunt deficere, & deficiunt vel propter defectum rationis, vel propter errorem: Ex quo sequitur, quod non est inconveniens facere contra legem humanam, nec actus ille erit malus de per se.

Quartum. Quartò notandum est, quod consuetudo consurgit ex multis actibus consimilibus ab humana voluntate illicitis.

Unde surgit consuetudo.

Quintum. Quintò notandum est, quod consuetudo iterum est duplex: quædam est licita & bona, scil. quæ procedit ex actibus illicitis ab humana voluntate regulata recta ratione. Alia est illicita, scilicet quæ consurgit ex actibus illicitis ab humana voluntate non regulata recta ratione.

Duplex est consuetudo.

Prima conclusio Sit ergo prima conclusio. Loquendo de mala consuetudine talis non habet vim legis, nec per eam possunt leges humanæ licitè aboleri. Patet ex dictis, quia illæ consuetudines fiunt à voluntate regulata non recta ratione.

Secunda. Secunda conclusio. Consuetudo recta & licita in casu habet vim legis, & per talem consuetudinem leges humanæ licitè possunt aboleri. Patet inspiciendo quid nominis; bonæ consuetudinis. Nam ipsa procedit, & consurgit à voluntate regulata recta ratione.

Ad rationes dubii. Et tunc ad rationes dubii. Ad primam conceditur antecedens, & negatur consequentia; quia leges humanæ non sunt perfectæ: & hoc, quia possunt variari propter varietatem consuetudinum hominum.

Ad secundam conceditur antecedens pro prima parte; & pro secunda negatur: quia ille qui primò mutat consuetudinem non facit malè, quia non potest diu stare politia sub una consuetudine.

Ad tertiam negatur antecedens, pro prima & secunda partibus: scil. quod consuetudo proveniens ex multis actibus elicitis à voluntate recta ratione regulata, & hoc est æquivalenter à persona publica, & ab aliqua quæ se habet per modum personæ publicæ.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes quæstionis. Ad primam conceditur antecedens ab humana voluntate. Et dicitur, quòd non est simile. Ad probationem dicitur, quod non oportet, quod lex humana dependeat à lege naturali: sed sicut dictum est, quod ipsa ex aliquibus naturalibus procedit: cum principaliter sit propter varias consuetudines hominum; & etiam fuerunt leges positæ antiquitus quæ non sufficiebant, ut bene actus nostri regularentur.

Ad secundam negatur consequentia. Ad probationem per Philosophum Quinto Ethicorum, verum est, quod non est possibiles & etiam conveniens reipublicæ, & aliàs non oportet.

Ad tertiam conceditur, quod lex humana uno tempore est justa & recta: sed tamen propter varias consuetudines, lex non semper manet recta: & etiam propter varias personas, quæ secundum hoc requirunt diversas leges quibus actus eorum regulantur &c.

QUÆST.

QUÆSTIO X.

De vita ordinata per legem.

Quæritur decimò. Utrum effectus legis sit homines facere bonos: sic quòd lex habet homines facere bonos?

Et arguitur quod non, solius virtutis est homines facere bonos; ergo. *Arguitur.*
Patet consequentia, quia lex non est virtus, quod apparet; quia ad quamlibet personam pertinet habere virtutem, & ad solum principem pertinet facere leges: & antecedens principale patet Secundo Ethicorum, ubi dicitur, quod virtus est quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit.

Secundò sic. Lex præsupponit hominis bonitatem; ergo non facit homines bonos. Consequentia est nota; & antecedens probatur, quia lex est, ut homo ei obediat. modò ex hoc homo non est bonus, quia legi obedit.

Tertiò sic. Lex ordinatur ad bonum commune: sed sic est, quod aliqui bene se habent ad bonum principatum, & tamen non bene se habent ad bonum commune. Patet consequentia, & antecedens probatur pro utraque parte; quia hoc videmus ad experientiam; quia multi non curant de bono communi, sed bene de bono privato.

Quartò sic. Lex Tyrannica est lex, & tamen ejus effectus non est homines facere bonos: igitur. Patet consequentia, & major etiam, quia ibi est locus a toto in modo ad suam partem. Minor nota est; quia lex Tyrannica solum intendit ad bonum principis, & nullo modo se habet ad bonum commune, ut patet.

Oppositum est de intentione Philosophi Tertio Ethicorum, quia voluntas legislatoris est, ut faciat cives bonos. modò hoc facit legislator per legem. igitur &c. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quòd virtus est duplex. Nam quædam est infusa. Alia est acquisita, & ad utramque virtutem operatur aliquid consuetudo, scilicet diversimodè, quia consuetudo habet producere virtutem acquisitam. Ideo dicitur Secundo Ethicorum, virtus est quæ generatur ex actibus nostris: sed consuetudo ad infusam virtutem non habet se, nisi dispositivè, quia per eam disponitur, ita quod consuetudo conservat virtutem infusam, & promovet. *Primus articulus.* *Primum notabile.* *Duplex est virtus.*

Secundò notandum est, quod lex in legislatore est quoddam dictamen rectæ rationis, quo subditi regulantur. & ipsius subditi virtus est quatenus obediat illi à quo regulatur, & gubernatur. *Secundum.*

Ex quo sequitur corollariè, quod lex habet inducere subditos ad proprias eorum virtutes, quatenus subditi liberè obediant principi à quo regulantur & reguntur. *Tertium.*

Tertiò notandum est, quod legislatoris potest esse duplex intentio. Una est quæ fertur, & quæ ordinat & mensurat legem a stupri humanorum secundum

exigentiam finis. Alia est intentio quæ principaliter fertur ad bonum privatum dimisso bono communi.

Quartum. Quartò notandum est, quod bonitas partis consistit in totius bonitatis proportione. Ratio est, quia pars non est bona aut debitè proportionata suo toti. Et ad hoc dicit Augustinus Primo Confessionum: *turpis est pars quæ suo non congruit universo.* cùm ergo homo sit pars politiæ, sequitur quod si homo non non sit bonus, non erit debitè proportionatus toti communitati, & reip.

Quintum. Quintò notandum est, quod secundum veritatem lex Tyrannica non est lex, sed perversio legis. Apparet, quia de ratione legis est, quod sit regulativa actuum humanorum in debitum finem politiæ; qui finis est conservatio rei & felicitatis politiæ. Modò lex Tyrannica non est hujusmodi: sed magis regulata in ordine ad bonum privatum legislatoris.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio: capiendo legem propriè, scilicet pro lege dicta simpliciter, effectus legis est facere homines bonos.

Prima conclusio. Probatur, quia proprius effectus legis est inducere homines ad proprias virtutes. igitur. Patet consequentia, quia per hoc fiunt homines boni. Et antecedens notum est.

Secundò confirmatur, quia lex est regulativa & confirmativa actuum humanorum in debitum finem, scil. in fœlicitatem politiæ.

Ex quo sequitur corollariè, quod quandoque expedit, quod homines timore pœnæ promoveantur ad directionem actuum suorum. Probatur; quia licet per talem promotionem non redderentur in principio boni simpliciter, tamen per consuetudinem traherentur ad promptè & delectabiliter actus suos dirigendum.

Secunda. Secunda conclusio. Licet lex Tyrannica non habeat facere homines bonos simpliciter, tamen habet facere secundum quid. Prima pars patet, quia non est lex. De secunda parte patet: quia homines simpliciter boni sunt, qui actus proprios dirigunt in debitum finem politiæ. Modò per legem Tyrannicam homines timore Tyranni ordinant actus suos in finem politiæ Tyrannicæ.

Dubium primum: Responsio. Quatuor sunt actus legis. Sed dubitatur qui & quot sunt actus legis principalis. Respondetur quòd sunt quatuor in generali; scilicet imperare, prohibere, permittere, & punire. Nam actus humani sunt in duplici differentia. Nam quidam sunt boni in genere, & respectu talium est primus actus legis: & ob hoc dicitur Quinto Ethicorum: lex jubet vivere secundum omnes virtutes, & prohibet omnem malitiam. Alii sunt actus de genere mali, ut furtum, & respectu talium est secundus actus legis scilicet prohibere. Tertii actus sunt indifferentes: sic quòd non sunt simpliciter mali. immo possunt bene fieri, & malè fieri, & respectu talium est tertius actus legis, scilicet permittere: sed quia homines possunt se trahere per suam libertatem de actibus bonis de genere ad malos, & ad actus indifferentes, & ideo quartus actus legis est punire.

Secundum dubium. Responsio. Sed dubitatur. Utrum præmiare & consiliare sunt actus legis. Respondetur quòd non. & causa est; quia illi actus possunt pertinere ad personas privatas: sed punire pertinet ad Principem, & ad legem cujus auctoritatem malis pœna infligitur.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes quæstionis. Ad primam [solius virtutis &c. negatur illa inchoativè & occasionaliter: quia licet homines quando operantur propter timorem non

non faciunt bonum simpliciter; tamen per consuetudinem exercitantur, & postea prompte & delectabiliter faciunt.

Ad secundam. Lex præsupponit &c. negatur illa, immo lex non datur nisi pro malis, & ideo propter timorem pœnæ homines promoventur ad bene operandum.

Ad tertiam lex ordinatur &c. conceditur illa. Et quando dicitur, quòd aliqui bene se habent &c. Dicitur quòd loquendo de illis qui operantur conformiter legi propter timorem pœnæ conceditur. & non de aliis.

Ad quartam negatur antecedens: quia lex Tyrannica non habet intentionem ad bonum commune. immo Tyrannica est determinatio diminuens: ut prius patuit.

Ratio posit oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XI.

De vita ordinata & ejus opposita.

QUæritur undecimò. Utrùm vivere inordinatè sit multùm delectabile? Arguitur primò quòd non. quia vivere præter naturam secundum se est multum tristabile: igitur. Consequentia est nota, Et antecedens patet: quia manifestum est, quòd vivere præter naturam in sua ratione includit displicentiam, & omne tale secundum se est tristabile. *Arguitur.*

Secundò sic. Nam cæteris paribus multi melius judicant de aliquo factibili, vel agibili, quam pauci. Et antecedens est Philosophi ex intentione Quinto hujus, & in multis passibus.

Tertiò sic. Si sic, sequeretur, quòd secundum dictamen rectæ rationis tale vivere esset appetibile. Consequens est falsum, quia ratio semper ad optima deprecatur Primo Ethicorum. & patet consequentia. quoniam secundum dictamen rectæ rationis. illud est appetibile quod apparet multis delectabile.

Quartò sic. Si sic, sequeretur quòd tale vivere in nullo casu esset refutabile. Consequens est falsum. quia manifestum est, quòd vivere inordinatè est simpliciter refutabile. Et patet consequentia. quia vivere inordinatè multis apparet bonum: ut notum est.

Oppositum arguitur auctoritate Philosophi Quinto hujus, ubi ipse vult quòd vivere inordinatè est multum delectabile. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo in quo consistit principaliter vita inordinata. *Primum articulum.*

Quantum ad primum articulum. primo notandum est, quòd ad delectationem primo causandam duo principaliter requiruntur, ut patet secundo Rhetoricæ. Primò requiritur conjunctio alicujus convenientis ad illud cui est conveniens: & hoc sive sit conveniens simpliciter, sive apparenter, sive verè. Secundò requiritur congregatio sive appunctatio illius conjunctionis, & illius convenientis. *Primum notabile.* *Duo requiruntur ad delectationem causandam.*

Secundò notandum est, quòd homines sunt in duplici differentia. Nam quidam *Secundum.*

dam sunt dispositi in quibus vires animæ & rationis dominantur, & vires inferiorum subjiciuntur ut in homine virtuoso.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd duplex est delectatio. quædam est intellectualis, quæ causatur ex conjunctione cum cognitione præcedente convenientis ad intellectum. alia est sensualis, quæ causatur ex conjunctione convenientis ad sensum, & ad illius cognitionem seu apprehensionem.

Duplex est delectatio.

Quartum. Quartò notandum est, quòd nunquam virtuosus decipitur judicando de aliquo agibili, sive de aliquo practico pertinente ad rationem ipsam: Ista propositio patet per Philosophum Tertio Ethicorum dicentem, quòd virtuosus circa singula rectè judicat, & in omnibus verum dicit. Et notanter dicitur de agibili practico: quia non est inconveniens, quòd ipse decipiatur de agibili speculativo quia in hoc differunt virtus intellectualis, & virtus moralis; quia virtus moralis non permittit secundum vitium.

Quintum. Quintò notandum est, quòd secundum ordinem naturæ, ratio in homine debet dominari, & alia portio animæ debet subjici. Patet suppositio de se. Corollariè sequitur, quòd est contra naturam quòd pars animæ inferior habeat dominari, patet ex suppositione.

Sextum. Sextò notandum est, quod vita inordinata est, quando pervertitur ordo naturæ inter potentias animæ. Ex quo sequitur, quod omnis vita vitiosa est inordinata.

Quid vita inordinata.

Septimum. Septimò notandum est, quod vitam inordinatam esse delectabilem potest intelligi dupliciter. uno modo de per se, alio modo de per accidens solummodo pata ratione malitiæ vel ignorantiæ in homine.

Octavum. Octavò notandum est, quòd secundum ordinationem Philosophi in isto Quinto, pauci sunt virtuosi, multi vero vitiosi. Et causa potest esse, quia sic habetur Secundo Ethicorum, Virtus consistit in medio, & per consequens etiam vita virtuosa. Modo difficile est attingere medium: sed valde facile est à medio recedere, quia sunt multæ viæ obliquæ. Exemplum ponit de sagittatore respectu puncti. ideo dicit Philosophus quòd ars & vita sunt circa difficilia.

Prima conclusio. Prima conclusio, loquendo de homine bene disposito, vel de hominibus bene dispositis & ordinatis, vivere inordinatè non est delectabile multùm. Apparet conclusio: quia vivere inordinatè est vivere contra naturam, & vivere contra dictamen rectæ rationis. Modo nullum tale est delectabile, nec eligibile apud virtuosum.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. Vivere inordinatè hominibus vitiosis est multùm delectabile. Patet, quia aliàs homo vitiosus talem vitam non eligeret. Secundò, quia aliàs taliter vivere non esset voluntarium, & per consequens non peccaret propriè. Tertiò, quia vitiosus est ignorans, & ignorat circumstantias requisitas ad bene vivere, & per consequens est sibi delectabile inordinatè vivere.

Tertia. Tertia conclusio principalis. Vivere inordinatè secundum se non est delectabile, patet, quia talis vita est præter naturam. Tum etiam quia omnibus sive virtuosis sive vitiosis esset delectabilis: quia delectabile secundum se cuilibet est delectabile, nisi sit impedimentum: igitur.

Quarta. Quarta conclusio. & de mente Philosophi vivere inordinatè id est vitiosè, & præter naturæ conditionem multis est delectabile. Probatur, quia tale vivere est delectabile vitioso, & cum multò plures sunt vitiosi sequitur propositum: &

in

in hoc fundatur dictum Philosophi, quòd pauci sunt virtuosi, multi verò vitiosi. Ex quo sequitur corollariè, quòd licet vivere inordinatè non sit delectabile secundum se: tamen est delectabile de per accidens & multis.

Quantum ad secundum articulum. Videndum est in quo consistit vita inordinata: & dicit Philosophus, quòd omne vitium est contra naturam. Ideo movetur istud dubium. Utrum omne vitium sit contra naturam? *Secundum articulum.*

Arguitur quòd non. Nam vitium opponitur virtuti; sed virtus non ineſt nobis à natura: igitur. Patet consequentia. Et minor similiter per Philosophum Secundo hujus dicentem, quòd *virtutes insunt per assuefactionem, vel influentiam.* *Dubium.* *Arguitur.*

Secundò sic. homines assuefiunt in vitiis: ergo vitium non est contra naturam hominis. Patet consequentia; quia impossibile est assuefieri in illis quæ sunt contra naturam suam. Ideo dicitur Secundo Ethicorum, *nullum naturæ existentium contingit aliter assuesci.* Et antecedens patet; saltem quia dicit Philosophus, quòd *vita inordinata est delectabilis multis*, quia multi sunt vitiosi.

Tertiò sic; in multis hominibus reperitur vitium: & hoc non esset si vitium esset contra naturam: igitur. Major patet ex dictis prius. Et minor patet, quia illud non debet reperiri in illo quod est contra naturam ejus ut in pluribus; si ergo vitium reperitur in pluribus hominibus, sequitur quòd non est contra naturam hominis.

Quintò sic; omne vitium est contra æternam legem Dei: igitur; patet consequentia: quia lex Dei sive lex æterna est maxima super omnem legem. Et antecedens per definitionem peccati in qua dicitur, peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei.

Oppositum patet per illa quæ dicebantur in primo articulo de intentione Philosophi. Quinto hujus, ut illa quæ dicuntur hìc dicentur probabiliter. Unde quæstio intelligitur de natura humana. *In Oppositum.*

Primò notandum est, quòd sicut dicitur Septimo Ethicorum, quòd uniuscujusque virtus consistit in hoc, quòd res est disposita secundum exigentiam suæ naturæ. Ex quo sequitur, quod vitium consistit in hoc quod est in dispositione suæ naturæ. Et ideo vocat Philosophus vitium monstrum. *Primum notabile.*

Secundò sequitur, quòd uniuscujusque rei natura est potissimè forma secundum quam potitur sua specie; sicut natura hominis: nam homo est rationalis natura. Ex quo sequitur quòd quicquid est contra ordinem rationis est contra naturam hominis: ut homo est. Unde ordo rationis consistit in hoc, quòd ratio semper ad optima deprecatur, & est domina, & vires inferiores ei subjiciuntur & ei obediunt; sic est in homine virtuoso, ut dicitur communiter.

Secundò notandum est, quòd licet secundum veritatem virtutes non producuntur à natura completè, verumtamen inclinant ad illud quod est secundum naturam animæ rationalis. Primum patet, quia virtutes non insunt nobis à natura, quia tunc per ipsas non laudaremur. Item virtus generatur ex assuefactionibus: ut patet per Tullium in sua Rhetorica definientem sic virtutem. *Virtus est habitus naturæ rationi consentaneus.* *Secundum notabile.*

Tertiò notandum est, quòd virtus quatuor modis consideratur. Uno modo secundum essentiam virtutis: & sic est dispositio rei consequenter se habentis secundum quod convenit ordini rationis, & isto modo virtuti opponitur vitium, quia *Tertium.* *Quadruplicitèr consideratur virtus.*

Quid vitium. quia vitium importat quandam indispositionem rei se habentis non secundum ordinem rationis consequentis: quia moraliter loquendo vitium est quidam habitus malus, & realiter habitus unus. Alio modo consideratur, prout est operativa boni actus; & sic virtuti opponitur peccatum, quia peccatum importat actum malum humanum, qui provenit ex habitu vitioso. Tertio modo consideratur virtus, prout est quædam bonitas; & sic virtuti opponitur malitia.

Ex istis sequitur, quod licet virtuti opponatur peccatum, vitium, & malitia, hoc tamen non est secundum eandem rationem, sed secundum diversas: & hoc non est inconveniens, quod sint uni diversimodè plura contraria, & opposita. Et sic quoad rationes differunt peccatum, malitia, & vitium.

Conclusio responsiva. Conclusio responsiva ad dubium. Omne vitium est contra naturam hominis. Patet, quia omne vitium est quædam indispositio rei non convenienter se habentis secundum ordinem rationis, ergo. Tenet consequentia, & antecedens est notum ex dictis.

Dubium secundum. Aliud dubium: utrum definitio peccati sit bona, in qua dicitur peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.

Arguitur. Et arguitur quod non; quia si sic, sequeretur, quod in omni peccato esset aliquis actus. Consequens est falsum de peccato omissionis, & peccato originali, ubi nihil agitur positivè. Patet consequentia, quia dictum, vel factum, vel concupitum importat actum.

In Oppositum. In oppositum arguitur per omnes Theologos. Pro solutione notandum

Primum notabile. est, quod moraliter loquendo peccatum importat quendam actum humanum malum. Apparet satis, quia opponitur virtuti in quantum virtus est operativa

Quid importat peccatum. boni actus.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quod ad hoc quod aliquis actus sit humanus requiritur, quod sit voluntarius. Ex quo sequitur, quod actus involuntarius non est humanus. Secundò sequitur, quod si faciat actum imperatum malum in genere, & hoc non voluntariè ille actus non est sibi imputandus. Apparet, quia non est humanus.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quod actus aliquis potest dici voluntarius dupliciter.

Dupliciter actus dicitur voluntarius. Uno modo, quia est illicitus à voluntate, ut actus interior. Alio modo, ut est voluntarius imperativè, sic quod res operata est ad extra quæ sequitur ex operatione interiori: modo dicitur, quod bonitas vel malitia actus principaliter est attendenda, quoad actum illicitum.

Ex quo sequitur corollariè, quod debet concedi, quod possibile est pauperem, quoad divitias esse verè liberalem. Patet satis, quia ex actibus elicitis interioribus generatur habitus liberalitatis.

Quartum notabile. Quartò notandum est, quod actus humanus propriè dicitur malus, ex eò

Quid actus humanus. quod caret recta & debita commensuratione: quia antequam actus sint boni moraliter, oportet quod actus sint circumstantionati debitis circumstantiis: modò bonus actus dicitur bonus in uno, & malus in alio loco.

Quintum notabile. Quintò notandum est, quod cujusliber actus, immo cujusliber rei commensuratio attenditur per comparationem illius actus, vel illius rei ad aliquam mensuram, à qua si se divertat ille actus dicitur incommensuratus, & per consequens illicitus & vitiosus.

Sextum. Sextò notandum est, quod humanæ voluntatis duplex est mensura: quædam

dam est propinqua, & est ratio humana, & habet videre quod bonum, & quid malum; & habet inquirere quod expedit, & quod non expedit. Alia est mensura extrinseca, & est suprema; scilicet ratio divina, cui humana voluntas quantum est possibile se debet conformare. *Duplex est mensura voluntatis.*

Septimò notandum est, quod in peccato duo sunt consideranda: scil. substantia actus, & malitia actus. Substantia actus se habet, ut quoddam materiale in peccato, & malitia tanquam quoddam formale: & attenditur illa malitia secundum quod est recessus à certa & vera regula & mensura: scilicet à ratione divina, & ratione humana. Et ideo dicitur, quod quando homo peccat, recedit à bono incommutabili. *Septimum notabile.* *Duo sunt in peccato consideranda.*

Et primum tangitur in definitione peccati, cum dicitur dictum, vel factum, vel concupitum.

Secundum tangitur, cum dicitur contra legem Dei. Ex quibus omnibus sequitur, quod definitio peccati sit bona. Apparet; quia ibi exprimitur esse peccati, scil. materia & forma; ut dictum est.

Ad rationem improbantem, quando dicitur sequeretur *&c.* Dicitur quod ibi non definitur peccatum omissionis. Aliter dicitur quod privatio, seu carentia debet reduci ad positivum. *Ad rationes dubii.*

Et tunc ad rationes dubii. Ad primam virtutes *&c.* verum est completè, & perfectè, sed bene inchoativè & initiativè ad modum naturæ insunt, ut patet per Tullium; modo non est sic in proposito.

Ad secundum negetur consequentia. Ad probationem dicitur, quod verum est, si natura accipiatur, ut distinguitur contra voluntarium: modò sic non est in proposito.

Ad tertiam, cum dicitur ut in pluribus *&c.* negetur ad sensum dictum in secundo articulo.

Ad quartam soluta est in secundo dubio.

Ad rationes principales quæstionis respondetur: ad primam potest vivere *&c.* conceditur illa. Ad minorem dicitur, quod verum est de virtuoso, & non de vitioso. *Ad rationes quæstionis.*

Ad secundam dicitur, quod verum est, si sit indicatura virtuosis; & non à vitiosis, quia sic in ipsis ratio non dominatur.

Ad tertiam negetur consequentia, quia inordinatè vivere non est delectabile multis bene judicantibus.

Ad quartam negetur consequentia: quia omnes rationes arguunt, quod taliter vivere non est delectabile virtuosis, qui non decipiantur in suis operibus.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XII.

De Comparatione vitæ Pastoralis.

QUæritur duodecimò. Utrum multitudo pastoralis sit melior ad politizandum, quam multitudo civilis? *Arguitur.*

Arguitur quod non, quia illa multitudo non est melior ad politizandum,

dum, quæ est bestialis & agrestis: sed multitudo pastoralis est hujusmodi. multitudo civilis non igitur. Patet consequentia, & major ex terminis. Minor patet, quia isti pastorales qui cum gregibus in campis habitant sunt magis bestiales, quam alii homines.

Secundò sic: illa politia non est melior ad politizandum, quæ est magis dedita ad turpia, & contra naturam. Sed multitudo pastoralis est hujusmodi: & multitudo civilis non. ergo. Consequentia patet, & major & minor patet in isto Quinto: quia multitudo pastoralis inclinata est ad turpia, quia non habet rationis usum.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi in isto quinto, ubi dicit, quod multitudo pastoralis est multò melior ad politizandum quam civilis. Et fundamentum est, quia inter omnes Democraticas multitudines, multitudo agricolarum est melior: quia immediatè ordinat illa quæ faciunt ad naturæ sustentationem, modò multitudo pastoralis est illi multò propinquior, quàm multitudo civilis.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo videbitur, utrum bestialitas possit inesse homini.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, Notandum est primò, quod quandocunque quæritur, utrum multitudo pastoralis, &c. hoc potest intelligi dupliciter: Uno modo simpliciter, scil. utrum sit melior & aptior ad politizandum. Item nota, quòd officium multitudinis in politia est congregare divitias, & hoc ut in pluribus. officium verò multitudinis pastoralis est dirigere gregem debitè, & ipsum defendere à nocivis.

Primum notabile.

Dupliciter intelligitur quæstio.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quod quanto aliqua multitudo est magis disposita ad vivendum secundum rationem, tanto est melior ad politizandum. Patet, quia finis politiæ est quod partes in politia, scilicet homines vivant secundum rationem.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd triplex est vivere in politia secundum rationem. Primum est dicere vitam speculativam. Secundum est aliqua ordinare in suum finem proprium & debitum, & hoc pertinet ad rationem. Tertium est exercere virtutum opera, ut quod homo sit exercitatus in operibus virtuosis.

Triplex est vivere in politia.

Quartum. Quartò notandum est, quod multitudo pastoralis multùm assimilatur curæ & sollicitudini quas debent habere rectores hominum super illos quos regunt; & in signum hujus principes & prælati vocantur pastores. Unde pastoris est dirigere illa quæ quibus præest in suum debitum finem per debita media, ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet, & cum debitis circumstantiis; quia aliàs non esset pastor.

Conclusio prima. Prima conclusio: loquendo simpliciter multitudo pastoralis non est melior ad politizandum, quàm multitudo civilis quæ est in civitate. Probatur in casu quo multitudo in civitate esset virtuosior, multò melior esset ad politizandum.

Secunda. Secunda conclusio de intentione Philosophi, quod multitudo pastoralis, quantum est de ratione officii sui est melior ad politizandum, quàm multitudo quæ est in civitate, quantum est de ratione officii sui, quod ut in pluribus habet verum. Probatur, quia illa melior est quæ magis est disposita ad vivere secundum rationem: sed multitudo pastoralis, quantum ad hoc est hujusmodi. igi-

tur

tur. Major patet per unum notabile: & minor apparet, quia multitudo quæ est in civitate rixis occupatur saltis, & malis negotiis involvitur: multitudo autem pastoralis non sic: & in signum hujus Primi Astrologi fuerunt pastores. Minor etiam patet, quoad scire ordinare aliqua quibus præest in debitum finem: quia multitudo in civitate est multis aliis occupata. etiam patet, quoad exercendum opera virtuosa pastores sunt magis ducibiles, ut in pluribus quam illi qui sunt in civitate, qui pluribus malis sunt involuti.

Ex isto sequitur corollarie, quod involuti in isto passu solum voluit comparare multitudinem pastoralem ad alias multitudines Democraticas, & ad multitudinem agricultivam; quia illa est melior, quia facit illa quæ immediatè ordinantur ad sustentationem vitæ humanæ: & est optima inter multitudines Democraticas.

Quantum ad secundum articulum, Arguitur quod non: bestialitas est quando homo delectatur in delectationibus non naturalibus, sed impossibile est hominem delectari in non naturalibus delectationibus. igitur. Major patet ex quid nominis: & minor probatur, quia omne quod non est naturale est violentum, modò impossibile est delectari inviolentis; quia violentum includit in se displicentiam quandam. *Secundus articulus.* *Arguitur.*

Secundò sic: bestialitas consistit in hoc: quòd homo delectatur in pravis delectationibus: sed impossibile est esse pravam delectationem. igitur. Major patet de se, & minor patet etiam; quia delectatio consurgit ex conjunctione convenientis cum conveniente. modò tale resultans est bonum.

Oppositum est de intentione Philosophi Septimo Ethicorum, ubi dicit, quòd contingit virtutem heroicam inesse homini. ergo & vitium sibi oppositum. *In oppositum.*

Hìc est notandum primò, quod homo est quoddam medium inter intelligentias & bruta. Apparet, quia homo utitur ratione, & in hoc participat cum intelligentiis; & etiam utitur anima vegetativa, & sensitiva, & in hoc participat cum brutis. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod quando homo omnes suas actiones ordinat in cognitionem primæ causæ, & ad cognitionem intelligentiarum, tunc dicitur heroicus, & habet virtutem heroicam, & divinam. Et dicitur divina, non quia habet ipsam adeo infusam: sed quia per eam homo Deo assimilatur. & ideo dicitur, quod virtus heroica est virtus super hominem, non tamen quod sit super hominis potestatem, sed quia de communi cursu est super hominis potestatem: sic quod rarò homines deveniunt in talem virtutem. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd quandocunque homo ordinat suas actiones omnes ad vires inferiores, scilicet gustum, tactum, & sic de aliis, tunc dicitur propriè bestialis, quia talis non habet operationes secundum quod homo, sed magis secundum quod bestia. *Tertium.* *Quando dicitur homo bestialis.*

Quartò notandum est, quòd homo communiter efficitur bestialis propter duas causas. *Quartum.* *Propter duo efficitur homo bestialis.*

Prima propter infirmitatem & indispositionem suæ complexionis.

Secunda est propter assuefactionem in pravis & perversis operationibus. Primò propter infirmitatem, ut quando aliqui homines habent appetitum itacorruptum quod illud apparet eis conveniens, quòd complexioni humanæ benè dispositæ

dispositæ est disconveniens, & abominabile, & malum. Et de istis dicitur quòd aliqui sunt qui comedunt carnes crudas humanas, scilicet filios, & cardones.

Secundò, propter assuefactionem, quia nullo modo insequuntur judicium rationis, sed omnino judicium sensus.

Conclusio responsiva. Ex istis sequitur conclusio responsiva, quòd bestialitas inest homini, apparet ex dictis. Nam bestialitas est unus habitus ordinandi omnes actiones & operationes ad vires inferiores, patet conclusio etiam satis ex terminis.

Ad rationes dubii. Et tunc ad rationes dubii. Ad primam conceditur, & hoc loquendo de delectationibus non naturalibus, ut homo est; licet appareant sibi naturales, ut vitam bestiæ ducit.

Duobus modis aliquid dicitur conveniens. Ad secundam negetur minor. Et ad probationem dicitur, quòd aliquid potest dici conveniens duobus modis. Uno modo simpliciter: scilicet quod est conveniens homini virtuoso & bene disposito. & sic conceditur bene quòd talis delectatio quæ provenit ex conveniente cum conveniente est bona.

Alio modo dicitur conveniens secundum quid, scilicet naturæ depravatæ, & homini depravato. & sic non conceditur illud.

Ad rationes principales. Ad rationes principales. Ad primam quando dicitur [illa multitudo &c. conceditur major. sed negetur minor, saltem comparando multitudinem pastoralem ad alias multitudines Democraticas, & circa multitudinem agricultivam.

Ad secundam negetur minor, saltem comparando multitudinem pastoralem quantum est de ratione officii, ut in plurib⁹, ad alias multitudines Democraticas.

QUÆSTIO XIII.

De artibus magicis.

Arguitur. QUæritur decimo tertiò. Utrùm in politia licitum sit artibus magicis usum fidem & studium adhibere.

Et arguitur primò quòd sic. Ars magica est recta ratio rerum agibilium seu factibilium; ergo: patet consequentia, quia licitum est uti recta ratione agibilium. Et antecedens patet per Philosophum Sexto Ethicorum dicentem, quòd omnis magica ars est de numero bonorum. ergo ars magica est licita. patet consequentia, & antecedens probatur, quia sicut habetur primo de Anima *omnis nequitia seu ars est de numero bonorum honorabilium.* Et Anselmus in libro de libero arbitrio, dicit; *quis gaudet dicere scientiam esse malam?* quasi diceret nullus.

Secundò sic: illa quæ sunt scibilia per artem magicam sunt bona & utilia, ergo: consequentia patet. Et antecedens probatur, quia futura cognoscuntur per artem magicam; & illa sunt bona, quia prudentia nos incitat ad provisionem futurorum.

Tertiò sic: licitum est scire mala, ut evitentur. ergo adhuc ubi ars magica esset mala licitum esset scire ipsam. antecedens patet per Boetium in de consolatione. Et consequentia patet. Nam dicit Ambrosius, *aliqua legimus ut retineamus, alia*

alia legimus ut repudiemus & vitemus, aliqua legimus ne ignoremus.

Quartò sic: nisi in bona politia licitum esset usum & fidem adhibere magicis artibus: hoc esset quia magicæ artes aliquid continerent quod est contra Catholicam fidem & veritatem. sed hoc non, quia etiam in Philosophia naturali sunt multa mala talia, ut quod ex nihilo nihil fit: & quod creatio est impossibilis.

Quintò sic: licitum est inquirere veritatem ignotam, ubi prodest scire illam, & maximè ubi nulli aliquod præjudicium fit: modò inquirere tales ignotas veritates sit in arte magica. major patet de se. & minor patet, quia hoc nullum impedit in arte.

Sextò sic: prudentia nos incitat & admonet ad provisionem futurorum, quod impossibile est nos facere sic nisi futura cognoscamus. & agnoscamus futura per artem magicam. igitur. patet consequentia. & antecedens notum est.

Septimò sic: quolibet licitum est uti ad illum finem ad quem ordinatur: sed ars magica ordinatur ad vaticinium. ergo licitum est vaticinari, & uti arte. & major patet, quia unaquæque res ordinatur in proprium finem. Et minor est nota.

Octavò arguitur sic: nisi sic, sequitur quòd tales artes essent superfluæ. consequens est falsum. igitur. consequentia patet, quia non apparet ad quem finem alium tales fuissent adinventæ.

Nonò arguitur: quia sancti & justi viri fidem eis adhibuerunt, ut Samuel & Joseph, qui per artes magicas fuerunt interpretes somniorum. igitur.

Oppositum apparet ex determinatione Ecclesiæ, & ex determinatione juris civilis & canonici. etiam in omnibus aliis sunt prohibitæ incantationes. *In oppositum.*

In quæstione erunt tres articuli. In primo erunt distinctiones. In secundo conclusiones. Et in tertio dubitationes.

Quantum ad primum articulum. Notandum est, quòd quatuor effectus attribuuntur artibus magicis. Primus est novarum rerum productio. Secundus est naturæ rerum conversio, vel mutatio. Tertius est futurorum divinatio. Quartus est occultorum revelatio. & de quolibet videbitur in isto articulo. *Primum articulum.* *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd in genere est triplex potestas productiva. Prima est infima, & est potestas naturalis. de qua dicit Philosophus, quòd *Quatuor effectus habent artes magicæ, ex nihilo nihil fit:* & omnes qui de natura locuti sunt in hoc conveniunt. Secunda est potentia summa, quæ est potentia Dei. Tertia est media potestas, quæ vocatur Diabolica. *Secundum.* *Triplex est potestas productiva.*

Tertiò notandum est, quòd per artem magicam esse conversionem vel productionem rerum potest intelligi dupliciter. uno modo quòd sit vera & realis productio, & conversio rerum. alio modo quòd sit solum fantastica, & apparens. *Tertium.* *Quartum.*

Quartò notandum est, quòd divinatio futurorum dupliciter potest fieri, seu etiam occultorum revelatio. uno modo per infallibilem certitudinem. alio modo per verisimilem conjecturationem ex quibusdam conjecturis vel apparentiis. *Dupliciter divinatio futurorum fieri potest.*

Quintò notandum est, quòd sensus exterior multis de causis illuditur: uno modo propter organi indispositionem, alio modo propter medii indispositionem. tertiò per medii elongationem. quartò per colorem, & velocem mutationem. quintò modo propter impedimentum in virtutibus interioribus sensus. *Quintum.* *Multis modis illuditur sensus exterior.*

Sextum.

Sextò notandum est, quòd quis artibus magicis potest fidem & fidelitatem dupliciter adhibere. uno modo sistendo in artibus non referendo illam artem ad aliud. secundo modo referendo illas artes in aliud, puta ad potentiam Dei, vel naturalem potentiam, vel diabolicam potentiam.

Duplicitèr quis potest magicis artibus fidem adhibere.

Septimum.

Septimò notandum est, quod propriè loquendo de licito, non oportet, quòd omne licitum sit bonum de se & permissum: quia licitum & permissum importat quandam imperfectionem. & admittitur aliquid seu permittitur, propter ejus admittendum &c.

Secundus articulus.

Quantum ad secundum articulum erunt duæ partes. In prima videbitur, utrum possibile sit eundem actum esse bonum & malum. Pro secunda parte erunt duæ conclusiones.

Dubium.

Arguitur.

Pro prima parte arguitur quòd sic, nam omnis motus continuus est unus. sed possibile est eundem motum continuum esse bonum malum. ergo. major patet de se per Philosophum Quinto Physicorum. & minor patet, quia si Sortes ambulet ad Ecclesiam motu continuo: tunc ambulatio erit continua, & pro prima parte ambulationis pro vana gloria ambuler. & versus finem vadit pro orando Deum, tunc erit ambulatio mala & bona, & tamen erit ambulatio una, & unus actus.

Secundò sic: unus & idem actus est actio & passio: & tamen poterit esse, quòd passio erit mala & actio bona. ergo. patet consequentia & major patet per Philosophum Tertio Physicorum. & minor probatur, nam idem actus fuit quo Judæi Christum agebant ipsum crucifigendo, & quo Christus patiebatur.

Tertiò sic: nam eadem est actio servi & domini, sed stat quòd actio domini sit mala, & servi sit bona. igitur. patet consequentia. & major de se, quia eadem est actio agentis principalis & agentis instrumentalis. Et minor patet, quia si dominus præcipiat servo ut actum compleat; & servus cum bona voluntate faciat. & tamen dominus cum mala voluntate præceperit. & sic eadem operatio est bona scilicet inquantum servi: & inquantum domini, est mala.

In Oppositum.

Oppositum arguitur. quia si sic esset, sequeretur, quòd idem actus eliceretur secundum dictamen rectæ rationis, & non eliceretur. consequens est falsum, & implicans contradictionem. & patet consequentia: quia non dicitur actus bonus, nisi sit secundum dictamen rectæ rationis; & non dicitur malus, nisi quia sit contra dictamen rectæ rationis.

Primum notabile.

Pro evidentia etiam est primò notandum. quod duplex est actus humanus. quidam est interior, scilicet elicitus. alius est exterior, scilicet imperatus. modò dubium intelligitur de actu imperato, & exteriori, & de primo non est dubium, quia non est possibile.

Duplex est actus humanus.

Secundum.

Secundò notandum est, quòd duplex est bonitas. quædam est naturæ. alia est bonitas moris.

Duplex est bonitas.

Primo modo omne ens est bonum, & sic bonum non habet malitiam.

Secunda bonitas est actus elicitus subditus voluntati secundum dictamen rectæ rationis. & habet malitiam sibi oppositam.

Tertium.

Tertiò notandum est, quòd actus exterior dupliciter consideratur: uno modo secundum naturam suam, alio modo secundum naturam & bonitatem moralem, vel malitiam moralem: unde non est inconveniens, quòd illud quod ponitur in uno genere naturæ ponatur in diversis secundum quod ad diversa re-

Duplex consideratur actus exterior.

ferunt

sertur: ut superficies secundum genus retinet in Prædicamento Quantitatis. Sed in ordine ad colores ponitur in aliis prædicamentis. & hoc est quod dicit Beatus Thomas.

Prima conclusio: impossibile est eundem actum exteriorem esse bonum & malum, loquendo copulativè, & loquendo de bonitate moris. patet conclusio per rationem ante oppositum. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: loquendo de bonitate, negetur esse possibile, eundem actum esse bonum & malum prout est una propositio de copulato extremo. patet conclusio per rationes ante oppositum. ut si Sortes vadat ad Ecclesiam, pro prima parte vitæ propter vanam gloriam; & postea pœniteat, & continuando vadat propter veram Deum, tunc est unus bonus & malus loquendo de bonitate naturæ. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio & responsiva. Impossibile est eundem actum exteriorem loquendo de bonitate moris esse bonum & malum, sive sumatur copulativè, sive non. Patet conclusio ex dictis. *Tertia conclusio Responsiva.*

Ad rationes antecedens oppositum. Ad primam dicitur, quod est pro secunda conclusione. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam, quando dicitur idem actus est actio & passio conceditur illa. modò stat quod actio sit mala, &c. dicitur quod licet sit unus actus loquendo de bonitate naturæ: tamen loquendo de bonitate moris, non sunt unus actus; quia ibi sunt diversi actus.

Ad tertiam, cum dicitur eadem est actio, &c. conceditur loquendo de bonitate naturæ: non tamen sunt unus actus moris; quia stat quod aliter eliciat dominus & aliter servus: etiam potest negari illa major.

Etiam quando dicitur, [eadem est actio agentis principalis, & instrumentalis.] dicitur quod licet sit verum in agentibus naturalibus, non tamen est verum in agentibus liberis.

Quantum ad secundam partem quæstionis ponuntur de quæsito principales conclusiones: de duobus primis effectibus magicis, scilicet divinatione futurorum, & occultorum revelatione. *Secunda pars quæsiti.*

Prima conclusio: divinatio futurorum, & revelatio occultorum sunt homini communicabiles de potentia Dei. Patet conclusio: quia hoc nullam implicat contradictionem. Secundò, quia hoc erat consonum multis antiquis patribus, & sanctis. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: non est licitum homini quod habeat exercere ista duo opera ex propria voluntate. Patet, quia est derogare Deo, & usurpare illud quod est proprium ipsius. *Secunda.*

Tertia conclusio: possibile est homini mediante diabolo divinare futura, & revelare occulta. Patet, quia tenemus quod diabolo datum est nosse secreta, & divinare, & potest suis subditis revelare occulta; ut patet per multas historias. *Tertia.*

Quarta conclusio: in nullo casu licitum est homini mediante diabolo, vel diabolica potestate divinare futura, & revelare occulta. Probatur, quia in hoc homo reddit se subditum diabolo, seu diabolicæ potestati. Secundò, quia hoc est usurpare divinum officium. Tertiò, quia hoc est inducere hominem simpliciter ad ponendum spem in diabolo. Quartò, quia per hoc trahitur homo à Dei *Quarta.*

consideratione. Quintò, quia hoc est credere, quod diabolus habet hoc à se, & non ab aliis.

Quinta conclusio. Quinta conclusio: non est licitum studium talibus artibus magicis diabolicis fidem adhibere. Patet, quia homo in tali studio periculo se exponeret, ex eo quod sumus proni ad malum: & justitia ferens arma est sævissima, & sic homo, quia sciret talem artem, faciliter operaretur secundum illam artem, & laboraret circa illam.

Sexta. Sexta conclusio principalis: divinatio futurorum & occultorum revelatio non sunt homini possibiles per naturam certitudinaliter, & hoc cum quocunque juramento naturali. Patet, quia quomodocunque talia possunt sciri, sive per Astronomiam, vel alio modo, adhuc possunt mutari cursus & influentiæ corporum cœlestium.

Septima. Septima conclusio: divinatio futurorum, & occultorum revelatio, sunt homini possibiles per naturam secundum verisimiles conjecturas, scilicet mediante aliqua arte, vel naturali juvamine. Patet conclusio, quia aliàs haberemus frustra Astrologiam.

Octava. Octava conclusio: licet non sit simpliciter licitum artibus magicis uti, & revelatione futurorum, stando in puris naturalibus, & sine legum transgressione; tamen non est bene securum. Prima pars hujus conclusionis patet, quia habemus Astrologiam. Secunda pars patet, quia propter malitiam hominum & pravitatem naturæ humanæ in malum: esto tamen quod non sit transgressio legis, homines simplices habent malos motus dicentes, quod hoc scit per malam artem, & sic malè speratur; & habent malas opiniones de proximis suis catholicis, etiam quia justitia ferens arma sævissima est: ideo tali actu informatus quandoque præsumit, & transgreditur multoties, & sic peccat maximè: de aliis artibus videbitur in sequenti articulo.

Tertium articulus. Quantum ad tertium articulum, tria sunt videnda. Primò, utrùm divinatio quæ fit per astra sit licita. Secundò, utrùm homo per artem magicam possit novas res producere, vel unam in aliam convertere. Tertiò videbitur, quot sunt genera divinationum.

Primum dubium. Primò videbitur: Utrum divinatio sit licita. Arguitur quod sic: illa divinatio est licita, quæ fit per considerationem effectus ad causam effectuum, sed divinatio per astra est hujusmodi: ergo. Consequentia est nota, & major patet, quia medici ex infirmitate judicant de morte futura. Et minor patet, quia astra & corpora cœlestia sunt causæ istorum effectuum, quæ sunt hìc inferiùs. Unde

Secundum. Primo Meteororum dicitur, *necesse est hunc mundum inferiorem esse continuum*, id est contiguum, *lationibus superioribus, ut tota virtus ejus gubernetur.*

Tertium. Secundò sic: humana scientia habet originem ab experimentis, sed sic est, quod multi per multa experimenta inveniunt, quod per astra possunt judicare futura. igitur. Patet major in proœmio Metaphysicæ. Minor patet, quia multi habuerunt, quod per considerationem corporum cœlestium futura possumus cognoscere.

Argumtur. Tertiò sic: nulla divinatio est illicita, nisi inquantum innititur pacto cum dæmonibus, sed in prænosticatione futurorum per astra non est pactum cum aliquo dæmone. Apparet major, & minor, quia Astrologi ex considerationes prædicunt futura: scilicet ecclipses corporum cœlestium;

Oppositum

Oppositum est de intentione Beati Augustini Quarto Confessionum dicentis, quòd *cum Christiana & vera pietas expellat, condemnans planetarios.* Idem Mathematicos vocant: tamen consulere non desistebat. *In oppositum.*

Pro quo notandum est, quòd in generali quatuor sunt effectus futuri. Quidam sunt qui eveniunt de necessitate naturali, patet de eclipsibus Lunæ & Solis, & sic dicendo pro conclusione, quod divinatio talium effectuum per considerationem astrorum est licita simpliciter. *Notabile. Quatuor sunt effectus futuri: conclusio.*

Alii sunt effectus futuri, quorum corpora cœlestia sunt causæ immediatæ, talem aliquo modo pluviæ, & siccitas, & hujusmodi. & sic loquendo de talibus effectibus futuris divinatio de ipsis per verisimiles conjecturas, & non certo simpliciter ex consideratione astrorum est licita, Patet satis de se.

Tertii effectus sunt merè contingentes, ita quod possunt evenire: & sic dicitur quod divinare de talibus effectibus per considerationem astrorum est illicitum. Patet, quia hoc est ex falsa & una opinione, & hoc est simpliciter illicitum.

Quarti effectus sunt liberi arbitrii; & dicitur quod divinatio de illis per considerationem astrorum est illicita. Patet, quia hoc est ponere, quod quodammodo voluntas humana in suis actibus liberis necessitaretur. veruntamen ita est quod astra inclinant voluntatem quandoque ad hoc faciendum, non tamen necessitant illam: & tunc patet quid sit dicendum.

Ad rationes tamen istius dubii: quando dicitur [talis divinatio &c.] dicitur quòd illa ratio concludit de divinatione, de futuris effectibus, qui proveniunt ex necessitate naturali, vel de aliis effectibus: & per verisimiles conjecturationes. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam conceditur major, explicitè vel implicitè: & conceditur minor, quia in effectibus merè contingentibus divinatio per considerationem astrorum non est licita, quia est pactum, scilicet cum dæmonibus tacitè factum.

Secundò videndum est, utrum per magicam artem aliquis possit novas res producere, vel convertere unam rem in aliam? *Dubium.*

Prima propositio: productio novarum rerum vel unius rei in aliam rem conversio, de potentia Dei sunt homini communicabiles, & possibiles. Patet, quia hoc nullo modo implicat contradictionem. *Prima propositio.*

Secunda conclusio: non est evidenter in lumine naturali verisimile, seu demonstrabile, quod productio novarum rerum per artem magicam sit nobis possibilis. Patet, quia tunc Philosophi naturales ad hujusmodi notitiam pervenissent, nec hoc negassent. *Secunda.*

Tertia conclusio: homo per subsidium dæmonum, & invocationem eorum sine speciali Dei juvamine non potest veras res realiter producere, & verè vel unam rem in aliam convertere. *Tertia.*

Et ista conclusio ponitur probabiliter, quia hoc facere est ipsius Dei, vel illius cujus communicatum est jus.

Quarta conclusio: homo per solam dæmonis invocationem sine Dei influentia speciali apparentia, & per fantasticam apparentiam potest illos duos effectus producere: & hoc potest contingere, vel propter sensuum exteriorum illusionem, vel propter motum celerem, vel propter debiles vires. *Quarta.*

Tertia pars. Tertia pars principalis, quot sunt genera divinationum, dicitur quod omnes
Tertii articuli. modi divinandi reducuntur ad tria genera subalterna. Primum est per expres-
Tria sunt genera divinandi. sam dæmonum invocationem; & illud pertinet ad Negromanticos, & habet sub se multas species. Secundum fit per solam dispositionem, seu motum alicujus rei; ut per motum avium, & per cantum. Tertium genus est, cum aliquid facimus, ut nobis aliquod futurum occultum manifestetur; ut faciendo puncta, vel quando ponuntur festucæ inæquales. & sub isto genere multæ species continentur; & sunt XXII. secundum aliquos. Primum genus, ut dictum est, pertinet ad Negromanticos. Secundum ad Augures. Tertium ad Sortilegos. & hæc de tertio.

Quartus articulus. Quantum ad quartum, Pro solutione rationum est notandum, quòd licet omnis notitia sit bona, non tamen cuilibet est bona.

Notabile. Prima pars patet in proœmio hujus, ubi dicitur quod *sapientis est justum ferens arma.*

Secundò dicitur, quod multa sunt prohibita, non quia sunt mala, sed propter abusiones: Patet propositio, quia multæ artes sunt prohibitæ, & non quia malæ de se.

Tertiò dicitur, quod licet expediens sit mala cognoscere, ut evitentur: simpliciter tamen & absolutè periculosum est illa cognoscere. Prima pars patet ex dictis: sed secunda pars patet, quia talis multotiens labitur in peccatum, & ad peccandum.

Ad rationes. Sit per ista tria dicta. Rationes ante oppositum facilitèr solvuntur tamen dicitur, quod multæ sunt incantationes, & divinationes per invocationem nominis Dei, & per orationes sanctissimas & devotissimas.

Sit de illo videbitur postea.

QUÆSTIO XIV.

De Divinatione per somnia.

Arguitur. QUæritur decimo quartò, Utrum divinatio quæ fit per somnia sit licita? Arguitur primò quod sic. Omnis divinatio est licita, quæ procedit ex divina revelatione; sed sic est quod frequenter divinatio, quæ fit per somnia, fit per revelationem: ergo est licita. Patet consequentia, & major etiam. Et minor patet, de multis Patribus & Prophetis, qui ex divina revelatione per somnia divinaverunt.

Secundò sic: interpretatio somniorum est licita. sed per talem interpretationem fit divinatio. igitur.

Major patet de Daniele, & de Joseph, qui interpretabantur somnia Pharaonis, Regis Babylonis. Minor patet, quia sancti viri interpretabantur somnia ratione notitiæ futurorum.

Tertiò sic. Generaliter homines experiuntur, quòd somnia sunt signa futurorum eventuum: igitur. Consequentia est nota, & antecedens probatur per multorum antiquorum patrum experientiam.

Quartò

Quartò sic. Nam licitum est per somnia divinare de futura infirmitate: igitur. patet consequentia, & antecedens patet per Philosophum in De Somnio & Vigilia. Item patet de medicis qui multotiens inquirunt de somniis, postquam causas infirmitatis per alia signa non reperiunt.

Oppositum arguitur. Nam omnis divinatio superstitiosa est illicita. sed divinatio per somnia est hujusmodi: igitur, major patet ex terminis, quia omnis talis divinatio fundatur in falsa & varia opinione. Et minor patet, quia in somnio multæ sunt falsæ opiniones apparentes. Et ideo dicitur Deuteronomi. 18. *Non inveniatur in te qui observet somnia.* Et dicit Cato *somnia ne cures &c.* *In Oppositum.*

In quæstione primò erunt notabilia. Secundò conclusiones:

Quantum ad primum articulum. primò notandum est, quòd somniorum duplex est causa: quædam est intrinseca, & sic aliquando homo somniat per species reservatas, vel complexiones ejus: alia est causa extrinseca, quæ provenit ex eo quòd phantastica virtus disponitur à dispositione medii, vel divina infusione. *Primum articulum.* *Primum notabile.* *Duplex est causa somniorum.*

Secundò notandum est, quòd somniorum duplex est causa intrinseca. Nam una se tenet ex parte animæ, & hoc quando illa occurrunt virtuti phantasticæ hominis cognitivæ in dormiendo, circa quæ cogitatio hominis in vigilando morabatur, & secundum veritatem talia somnia sunt signa futurorum effectuum. Nam dicit Cato. *Mens humana quod optat &c.* Alia est causa interiorum, ex parte corporis, scilicet quando ex dispositione corporis, seu complexione phantastica immutatur ad motus corporis: sic quòd causantur in ea motus vel opiniones convenientes dispositioni corporis: ut si homo nimis abundat in humoribus, somniat de liquidis, ut de aqua, & ex hoc quærit medicus de somnio suo, & remediare de infirmitate ejus. *Secundum notabile.* *Duplex est causa intrinseca somniorum.*

Tertiò notandum est, quòd somniorum duplex est causa exterior. Una est corporalis, & est illa qua phantasia immutatur ex dispositione medii convenientis, vel ex dispositione cœlestis influentiæ. Alia est spiritualis. quando in somnio fiunt infusiones, & revelationes, hic quòd sic immutatur ex parte revelationis. *Tertium notabile.* *Duplex est causa exterior somniorum.*

Quartò notandum est, quòd causa ista spiritualis est duplex. Una est, quando procedit somnium ex divina revelatione & ministerio Angelorum. Alia est, quæ fit ex revelatione dæmonica: ut quando dæmones habent cum eis aliqua certa pacta illicita, aliqua fumea revelant malis illis somniantibus. *Quartum notabile.*

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio. Si quis utatur somniis ad cognoscendum futura, in quantum somnia procedunt ex divina revelatione, divinatio est licita. Patet ex multis experimentis sanctorum patrum. Item patet, illud est licitum quod fit per informationem Dei, & per infusionem gratiæ. *Secundum articulus.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. Si quis utatur somniis ad cognoscendum futura in quantum somnia procedunt ex naturali causa intrinseca vel extrinseca, & hoc quantum virtus naturalis se habet, aut potest se extendere, talis divinatio est licita. patet, postquam talis utitur somniis, & non plus quam causæ naturales se extendant, & non usurpat: ipse facit illud quod est naturale. Et dicitur notanter [quantum virtus naturalis se potest extendere] quia si divinaret certitudinaliter, & non per verisimiles conjecturationes: ipse peccaret graviter. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio est ista. Si somnia procedunt ex operatione dæmonum, divinatio *Tertia.*

vinatio per talia somnia est illicita. Patet, quia talis divinatio est superstitiosa, & ex falsa imaginatione.

Quarta. Responsiva. Quarta conclusio & responsiva. Licet non omnis divinatio quæ sit per somnia sit illicita, tamen periculosum est divinationibus uti fundatis in somniis. Probatur prima pars ex dictis. Et secunda satis nota est ex præcedentibus; quia valde difficile est scire quando talia somnia procedant ex divina revelatione, vel ex causa extrinseca, vel intrinseca naturali, & si quis exponat se talibus divinationibus, exponit se magnis periculis.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam dicitur, quòd illa ratio est pro prima conclusione.

Ad secundam cum dicitur interpretatio &c. Dicitur quòd verum est cum debitis circumstantiis & rectis. Unde antiqui patres interpretabantur somnia ut spiritus sancti, & habebant hoc revelatum à spiritu sancto; sed propria industria facere hoc est superstitiosum.

Ad tertiam dicitur, quòd illa ratio concludit dummodo talia somnia fiant ex causa naturali intrinseca, vel extrinseca; dummodo non extendant limites causæ naturalis ad quos se extendunt illæ causæ.

Ad quartam dicitur, quòd illa ratio concludit, quando illa somnia procedunt ex causa naturali: vel ex potestate mala instigante naturam. Et hoc secundo modo extendendo divinatio est licita.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO XV.

De ignorantia invincibili.

QUæritur decimo quintò. Utrum peccans contra politiam ex ignorantia invincibili à peccato excusetur?

Arguitur. Arguitur quòd non, quia si sic esset, sequeretur quòd utile & expedit esset ignorare quæ pertinent ad politiam. Consequens est falsum. quia omnis ignorantia est mala. quia dicitur Sexto Ethicorum, quod *verum est perfectio intellectus, & falsum est intellectus imperfectio*, & per consequens scientia est perfectio intellectus, & ignorantia est imperfectio ipsius, & patet consequentia de se.

Secundò sic. scientia opposita ignorantiæ reddit actum meliorem humanum: ergo ignorantia ei opposita reddit eum pejorem. Consequentia est nota. Et antecedens probatur. quia actus est melior quando homo scienter operatur bona, & de genere boni actus: quia tunc laudatur plus.

Tertiò sic. ignorantia invincibilis à peccato non excusat: igitur. patet consequentia ex terminis. Et antecedens probatur, quia si homo sit ebrius sic quòd perdiderit usum rationis ipse habet ignorantiam invincibilem de agendis in ebrietate; & tamen si peccet non excusatur à peccato, quia dicit Philosophus Tertio Ethicorum: *Ebrius debentur duplices increpationes.*

In oppositum. Oppositum arguitur. Nam ignorantia invincibilis à peccato excusat: ergo peccans per talem ignorantiam excusatur à peccato. Patet consequentia, & antecedens probatur, quia pro tempore pro quo habetur ignorantia invincibilis impossibile

impossibile est habere scientiam oppositam illi ignorantiæ, & per consequens homo non obligatur ad illam scientiam, quia est simpliciter impossibilis ei.

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt distinctiones. In secundo conclusiones. *primus articulus.*

Quantum ad primum articulum, Primò sciendum est, quòd duplex est ignorantia. Nam quædam est negationis ignorantia. & est quando aliquis ignorat totaliter quod debet scire; scilicet tam in universali, quam in particulari. Alia est privativæ dispositionis; & est quando ignorat aliquid quòd debet facere in singulari, sive particulari; non tamen in universali. *Primum notabile.* *Prima distinctio. Duplex est ignorantia.*

Secunda distinctio, quod ignorantia negationis est duplex: quædam est, quando aliquis nescit quòd pro tunc non tenetur scire; tenebitur tamen in posterum. & sic pueri habent ignorantiam negationis de præceptis Dei. Alia est ignorantia negationis, quando aliqui nesciunt illa quæ tenentur scire, & pro tempore pro quo tenentur. *Secunda distinctio. Duplex est ignorantia negationis.*

Tertia distinctio est, quòd duplex est ignorantia, scilicet juris, id est; quando aliquis nescit illa quæ juris sunt; Alia est ignorantia facti, scilicet quando aliquis nescit modum faciendi opus aliquod, licet habeat præceptum & sciat. *Tertia. Duplex est adhuc ignorantia.*

Quarta distinctio est, quòd ignorantia juris est duplex. Nam quædam est juris naturalis, & est quando aliquis ignorat illa ad quæ tenetur ex pura naturali inclinatione; ut si quis ignoret præceptum de dilectione parentum. Alia est ignorantia civilis, & est si quis ignoret illa ad quæ tenetur secundum dictamen rectæ rationis illorum quorum jura est condere & ordinare. *Quarta. Duplex est juris ignorantia.*

Quinta distinctio: quòd ignorantia adhuc est duplex. quædam est invincibilis, alia est vincibilis. Vincibilis est, quando homo ignorat quæ tenetur scire; quæ tamen bene sciret diligentia adhibita. Sed invincibilis est, quando homo ignorat quæ tenetur scire; quæ tamen cum tota diligentia sua adhibita non potest scire. *Quinta. Quid ignorantia vincibilis, & quid invincibilis.*

Sexta distinctio, quòd adhuc ignorantia invincibilis est duplex: quædam est in quam homo incidit ex culpa sua. alia est in quam homo non incidit ex culpa sua. exemplum primi, ut si homo tempore ebrietatis habet ignorantiam de agendis. Exemplum secundi, ut si homo ebrietatem incurrat, in quam non credit incurrere. *Sexta. Duplex est ignorantia invincibilis.*

Septimò notandum est, quòd ille dicitur peccare contra politiam qui omittit leges, & consuetudines facientes ad bonum politiæ: vel qui contra tales leges committit. Unde politia est debita ordinatio civium, ex quibus politia constituitur in suum debitum finem. *Septima. Quis dicitur peccare contra politiam. Quid politia.*

Quantum ad secundum articulum, sit prima conclusio. Ignorantia juris naturalis non excusat à peccato. Probatur. Nam quilibet obligatur ad illa quæ sunt de jure naturali; igitur. Patet consequentia, & antecedens patet: quoniam dictat ab agente infallibili, ut dicitur duodecimo Metaphysicæ. modò *Deus & natura nihil facium frustrà*: ut dicitur Primo de Cœlo & Mundo. *Secundum articulum.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. Ista ignorantia juris civilis, quæ dicit illa quæ sunt ad bene vivere necessaria, non excusat à peccato. patet, quilibet homo scire tenetur talia saltem explicitè vel implicitè. *Secunda.*

Tertia conclusio. Ignorantia negationis dicta primo modo excusat à peccato. patet per quid nominis ignorantiæ negationis illo modo dictæ: quia puer ante *Tertia.*

annos discretionis ignorat illa quæ sunt necessaria ad bene vivendum moraliter.

Quarta. Quarta conclusio. Non omnis malus seu vitiosus est ignorans, nec peccat ex ignorantia. Patet, quia aliqui peccant ex mala industria: & sciunt implicitè, & habitualiter illos malè agere.

Dubium. Sed tunc dubitatur. quod est dicendum ad Philosophum Tertio Ethicorum dicentem, quòd *omnis malus est ignorans*,

Notabile. Pro quo sciendum est, quòd istæ propositiones differunt: iste agit ignorans, & iste agit ignoranter. Unde si quis habeat judicium erroneum de aliquo, & secundum illud operetur, agit ignorans: sed si habeat bonum judicium, & intellectus divertatur à tali judicio, tunc agit ignorans. id est; agit ignoranter, & hoc sufficit.

Quinta. Quinta conclusio est ista: Ignorantia invincibilis in quam homo incidens culpa non excusat à peccato. Probatur, quia si talis sit ignorans agit cum voluntate contra dictamen rectæ rationis, saltem antecedenter, igitur. Consequentia est nota ex terminis. Et antecedens probatur, quia postquam incidit ex culpa sua incidit voluntariè in ebrietatem: vel in aliquid aliud ad quod sequitur peccatum.

Dubium. Sed tunc dubitatur. Nam homo tempore ebrietatis dato quod peccet excusatur à peccato? Consequentia est nota. Et antecedens probatur; quia homo non habet usum rationis.

Arguitur. Secundò sic, quia tunc est impossibile ipsum bene agere: & sic non potest actum elicere secundum dictamen rectæ rationis.

Responsio. Ad instantiam istam negatur antecedens, & hoc in casu si ex culpa sua in talem statim incideret. Et quando dicitur, homo tunc non habet usum rationis, ergo non potest peccare: negatur illa consequentia.

Ad probationem dicitur, quòd verum est: nisi fuerit causa privationis usus rationis.

Ad illam probationem quando dicitur: non potest bene agere, conceditur, sed dicitur quod ipse impossibilitavit seipsum ad bene agendum.

Sexta. Sexta conclusio: Ignorantia invincibilis in quam incidit aliquis, & non ex culpa sua, excusat à peccato. Patet conclusio per rationem post oppositum.

Arguitur. Contrà: quia si sic, sequeretur quod filius posset patrem suum parvi pendere, & hoc licitè.

Secundò sic, homo posset licitè fornicari.

Tertiò sic, quod homo posset licitè contra præceptum Dei ire, & omnia ista sunt falsa & inconvenientia.

Et probatur primo prima consequentia: quia sit ita, quòd filius patrem perdiderit ante usum rationis, & postquam filius creverit quod sit dives, & veniet pater serviens filio: tunc in isto casu apparet consequentia. Consequentia secunda apparet, quod homo veniens à longinquis partibus veniet ad locum proprium credens habere mulierem propriam, & tunc fornicetur cum alia muliere, tunc illo stante apparet secunda consequentia.

Responsio. Ad instantiam respondetur. Ad primam, quod filius in casu posset patrem suum vilipendere, dummodo faciat diligentiam suam de patre suo.

Ad secundam negatur consequentia: & dicitur quod talis non fornicatur, quia

quia non intendit, nisi cum propria uxore agere. Et conceditur bene quod homo propria cum uxore potest peccare: ut si credat habere uxorem propriam sibi.

Ad tertiam negatur consequentia, quia præcepta Dei non obligant, si ignoratur ignorantia invincibili.

Septima conclusio est ista: Ignorantia invincibilis causat involuntarium: id est operans invincibili ignorantia operatur involuntarie. Patet, quia aliàs ignorantia invincibilis non excusaret à peccato. Patet conclusio ex dictis. Et hæc de secundo. *Septima.*

Ad rationes. Ad primam negatur consequentia; immo damnosum est; & per hoc intellectus privatur sua perfectione. *Ad rationes quæstionis.*

Ad probationem, quia per eam excusantur à peccato. Verum est, si non ex propria culpa cadat; sed hoc nihil arguit sed concludit quod est minus malum, si habeat ignorantiam invincibilem, & peccet.

Ad tertiam conceditur consequentia: loquendo de ignorantia invincibili in quam homo cadat ex culpa sua in tali actu, aliàs non.

Ad probationem quando dicit, quod Philosophus dicit, quod *ebrijs debentur duplices verberationes*: Dicitur quod Philosophus loquitur de ebriis ex propria voluntate inordinata, & ex ignorantia crassa; quia tales peccant.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO XVI.

De Tolerantia Contumeliarum.

QUæritur decimo sexto. Utrum debeat homo patienter sustinere contumelias ei illatas?

Arguitur quòd non, quia homo non debet nutrire audaciam contumeliantis; sed homo sustinens patienter contumelias ei illatas est hujusmodi: igitur. Major patet, quia audacia est vitium, ut patet per Philosophum Quarto Ethicorum. Et minor patet, quia quando homo sustinet patienter verba contumeliantis, tunc contumeliantes fiunt audaces. *Arguitur.*

Secundò sic. Homo non debet sustinere quod contumelia alteri infertur: ergo nec sibi debet. Consequentia patet, quia quilibet diligere se debet plus quam aliquem alium. Minor patet, quia est contra amicitiam & charitatem.

Tertiò sic. Homo non debet se vindicare: sed homo sustinens contumelias & injurias seipsum vindicat: igitur. Patet consequentia, & major de se. Et minor patet, quia ait Chrysostomus. Si vindictæ vela sile, & funestam dedisti ei plagam, & per consequens sequitur, quod homo tacendo sic se vindicat.

Oppositum &c. In ista quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones. *In oppositum. Primus articulus.*

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est: quod sicut per patientiam debet homo habere animum paratum ad sustinendum illa quæ contra ipsum *Primum notabile.*

ipsum sunt: scil. quando est expediens, & opus est, ita debet habere animum paratum ad sustinendum illa quæ contra ipsum dicuntur, tamen non semper tenetur facere actum. Et hæc est sententia beati Augustini super illo verbo. *Si quis te percusserit in unam maxillam, &c.* quia non est sensus, quod homo teneatur præbere maxillam immediatè, nisi quando expediens est opus.

Et ideo dicit Salvator, cui me credis &c. Ex quo sequitur, quod præceptum patientiæ in his quæ contra nos sunt, vel dicuntur importat præparationem animæ ad tale sustinendum, quando opus fuerit.

Secundum.
Quid importat contumelia.

Secundò notandum est, quod ille terminus contumelia importat dehonorationem alicujus, seu inhonorationem, & hoc fit dupliciter: Uno modo, quando unus privat alterum excellentia; ut quando princeps per contumeliam facit subditus. Alio modo, quando illud quod est contra honorem alterius aliquis reducit in notitiam illius & majoris, ita quod si aliquis sciat crimen alterius, & illud manifestaret per signa vel per verba.

Tertium.
In quo consistit contumelia.

Tertiò notandum est, quod sicut patet ex notabili immediatè præcedente, contumelia consistit in verbis: scil. in verbis injuriosis: tamen quandoque accipitur contumelia largè: & sic consistit tam in verbis, quam in factis. Unde contumeliosi homines sunt, qui in verbis vel in factis alteri turpia inferunt.

Quartum.
Differentia est inter contumeliam convitium & improperium.

Quartò notandum est, quod est differentia inter contumeliam & convitium, & improperium. Nam contumelia ostendit defectum animæ, culpam scilicet & peccatum. Sed convitium tangit defectum in corpore & anima. Unde si quis vocet alium claudum propter defectum in corpore dicitur convitium. Sed improperium dicitur, quando aliquis injuriosè ad memoriam reducit auxilium quod sibi contulit: sed istis duobus modis utimur promiscuè frequenter contumelia & convitio.

Quintum.
Dupliciter potest quis reprimere injurias sibi illatas.

Quintò notandum est, quod aliquis injurias sibi illatas potest reprimere & reducere dupliciter. Uno modo propter bonum proprium personæ & præmii honoris. Alio modo propter charitatem, vel ne alter fiat nimis audax, & ne audacia sua nimis crescat.

Sextum.

Sextò notandum est, quod aliquis dupliciter potest sustinere contumelias sibi illatas. Uno modo ad provocandum contumeliantem ad iram. Unde aliqui sunt qui irascuntur, quando eis non respondetur in contumeliando. Et ideo dicitur, si vindicare velis, sile. Alio modo propter sustinere quasi nos det locum iræ contumeliantis: scilicet, ut ira contumeliantis repescat: & cessat, & hoc pertinet ad officium charitatis.

Secundus articulus.
Prima conclusio.

Quantum ad secundum articulum, sit prima conclusio: nullus debet sustinere contumelias sibi illatas ad provocandum contumeliantem ad iram. Probatur, quia non pertinet ad vindictam, modò nullus debet seipsum licitè vindicare.

Secunda.

Secunda conclusio: Nullus debet repellere contumelias sibi illatas propter cupiditatem præteriti honoris solummodo. Probatur, quia hoc pertinet ad superbiam & contemptum.

Tertia.

Tertia conclusio: homo potest licitè reprimere contumelias sibi illatas propter effectum charitatis, quatenus audacia contumeliantis repescat. Patet, quia hoc spectat ad charitatem, & in hoc reddit proximum bonum. Item potest contumelias sustinere, ut det locum iræ contumeliantis, & sic tendit ad bonum finem.

finem. Patet, quia ille recepit contumelias isto modo ad bonum finem, ut contumeliantem pœniteat.

Quarta conclusio responsiva: Non expedit hominem recipientem contumelias illas sustinere propter duo: scil. propter bonitatem communitatis, & propter bonum aliorum. Prima pars patet, quia per hoc reprimitur audacia contumeliantis. Secunda pars patet, quia per hoc perfectus impeditur propter injurias etiam aliis illatas, quia per hoc alii vilipenduntur ab ipsis & contemnuntur. Et ad istud propositum loquitur Gregorius super Ezechielem dicens, ii, quorum vita in exemplo imitationis posita est, debent, si possunt, verba contendentium sibi compescere: ne ii qui sermones eorum audire debuerant remaneant in malis moribus, & bene vivere contemnant. *Quarta conclusio responsiva.*

Ad rationes. Ad primam conceditur major sub ista intentione, quod ille tendat ad depravationem contumeliantis. Et ad minorem dicitur: quod si sustineat contumelias propter hoc, quod det locum iræ contumeliantis, talis de se non nutrit audaciam contumeliantis, sed bene de per accidens. *Ad rationes.*

Ad secundam negatur consequentia, si fiat intentione boni. Et causa est, quia majus signum est, quàm si non paterentur alteri inferre contumeliam, & hoc facit propter charitatem quam si non paterentur de persona privata, & propter præteriti honoris cupiditatem: ergo non est simile.

Ad tertiam, quando dicitur; homo non debet &c. conceditur illa, & hoc auctoritate propria. Ad minorem dicitur, quod ille qui sustinet contumelias potest dupliciter hoc facere. Uno modo, ut provocet contumeliantem ad iram, & hoc est licitum. Alio modo, ut per tale silentium det locum contumelianti, & ira cesset, & repescat, & ut ipse pœniteat, & hoc est licitum.

Ad rationem Philosophi post oppositum dicitur, quod hoc est verum si faciat propter finem bonum: & hoc dictum est.

QUÆSTIO XVII.

De Virginitatis virtute.

QUæritur decimo septimò. Utrum virginitas quæ est virtus moralis in politia bene recta & ordinata sit licita?

Et quia quæstio præsupponit, quod virginitas sit virtus moralis; Ideo arguitur contra suppositum, quoniam virginitas non generatur ex actibus humanis, ut dicitur Secundo Ethicorum. Antecedens probatur, quia virginitas inest homini à natura. *Arguitur.*

Secundò sic; virginitas deficit à medio in quo consistit virtus, igitur. Patet consequentia, quia virtus consistit in medio, ut dicitur Secundo Ethicorum, & Quarto hujus: & antecedens probatur, quoniam virginitas consistit in detestatione & refutatione omnis actus Veneri.

Tertio sic: virginitas propter actum licitum corrumpitur: igitur; patet consequentia, quia nunquam virtus moralis corrumpitur propter actum licitum. Antecedens probatur: quia propter actum conjugalem, qui est actus licitus, corrumpitur virginitas.

Quarto si sic: sequeretur, quòd expediret omnes homines esse virgines. Consequens est falsum, Et patet consequentia, quoniam expediens est omnes homines esse virtuosos.

Quinto sic: virginitas perdita nunquam potest restaurari, seu reparari: ergo non est virtus, tenet consequentia: quia quælibet virtus potest reparari: quoniam quælibet virtus generatur ex multis actibus. Antecedens patet, quia in corruptione virginitatis corrumpitur integritas corporis, modò impossibile est hoc restaurari.

Sexto sic: Nam fœliciſſimi & sanctiſſimi homines fuerunt sine virginitate: igitur: antecedens patet de multis sanctis qui viderunt filios & filias: ut patet de beato Hilario.

Septimo sic: insensibilitas est vitium: igitur & virginitas est vitium. Consequentia tenet, quia virginitas est quædam insensibilitas, quia virginitas consistit in detestatione cujuslibet actus Venerei. Et antecedens patet, quia insensibilitas opponitur temperantiæ.

Octavo sic: Virginitas ineſt homini à natura: ergo non est virtus moralis, patet consequentia, quia virtus moralis non ineſt nobis à natura. Et antecedens patet, quia homines nascuntur in virginitate.

Nono sic: Virginitate contingit male uti, ergo non est virtus. Patet consequentia per Philosophum Primo Rhetoricæ capitulo tertio dicentem, Omnibus bonis contingit homini bene uti & male uti exceptis virtutibus. & sic virtutibus non contingit non bene uti. Et Antecedens patet in casu, in quo rex vellet movere & servare virginitatem & regnum suum deberet venire ad tyrannos.

Decimo: virginitas sæpius & frequentius reperitur in juvenibus, quàm in senibus: ergo non est moralis virtus: patet consequentia: quia per hoc Philosophus Quarto Ethicorum probat, quòd verecundia non sit virtus moralis, & sic virtus moralis debet potius reperiri in juvenibus, quam in senibus. Antecedens notum est.

Undecimo: Virginitas non inclinat ad operandum ubi oportet &c. ergo non est virtus. Patet consequentia, quia virtus moralis sic inclinat, ut dicitur Secundo Ethicorum. Et antecedens probatur: quia virginitas non inclinat ad aliquem actum, immo ad privationem magis cujuslibet actus Venerei.

Duodecimo: Virginitas est contra præceptum legis naturæ: ergo consequentia est nota. Et antecedens patet, quia lex naturæ præcipit, quod fiat prolificatio quatenus humana species conservetur, quæ non potest conservari in individuo.

Deinde arguitur contra totam quæstionem. Virginitas est vitium, ergo non est licita. Consequentia tenet: & antecedens apparet per rationes factas probantes satis, quòd virginitas non sit virtus.

Secundo sic: In omni politia bene recta & ordinata, illud non est licitum, quod quandoque tendit in detrimentum totius reipublicæ: sed in casu hoc faceret virginitas, patet major & minor, in casu quo rex non haberet prolem, & vellet in virginitate mori, & post mortem ejus regnum deveneret ad unum tyrannum.

In oppoſitum. Oppositum arguitur sic: quia temperantia est licita in politia: ergo & virginitas: patet consequentia: quia virginitas est quædam temperantia. Et antecedens

cedens apparet, quia temperantia est virtus.

In quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur de supposito: utrum virginitas sit virtus moralis.

In secundo videbitur de quæstione principali. In tertio, utrum virginitas sit præferenda castitati conjugali.

Quantum ad primum articulum ponuntur quatuor propositiones. Prima est ista: in casu abstinentia ab actu venereo est illicita & vitiosa. probatur ista conclusio. Nam in exemplo jam posito: si princeps totius politiæ: qui esset bonus & utilis politiæ vellet in virginitate permanere, & post mortem ejus regnum veniret ad alios malos homines & alienos. Ex ista conclusione sequitur, quòd insensibilitas est vitium. Patet, quia consistit in refutatione cujuslibet concupiscentiæ secundum dictamen rectæ rationis. *Primum articulus.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio est ista. Actus concubitus carnalis nedum inter solutos, sed etiam inter conjuges potest esse illicitus: quia potest fieri illicite. Corollarium est istud. quod intemperantia est vitium, quia consistit in hoc; quòd tales actus voluptuose eliciuntur & fiunt. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio. Actus concubitus carnalis in casu est simpliciter licitus & debitus. Patet, quia fit in actu matrimoniali secundum debitas circumstantias, scilicet, quando, ubi, & qualiter oportet. *Tertia conclusio.*

Corollarie sequitur, quod in casu cum carnali concubitu stat temperantia. Apparet de se.

Quarta conclusio est ista: abstinentia à carnali concubitu est licita in casu, & meritoria. Probatur. Et pro probatione, ponatur quod aliquis proposuerit tota vita sua in virginitate permanere nisi emergat necessitas vel oportunitas matrimonialis. *Quinta conclusio.*

Tunc probatur, quòd taliter abstinere, est bonum: quia facit illum actum, ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet, & sic de aliis circumstantiis.

Secundo, quia manifestum est, quod in tali casu abstinentia à tali actu est actus temperantiæ: ergo est licitus. Patet consequentia. Et antecedens notum est, quia temperantia consistit in refutatione debiti actus Venerei secundum debitas circumstantias. Et hoc de primo articulo.

Quantum ad secundum Articulum. Primo notandum secundum Augustinum in lib. de nuptiis & concupiscentia virginitas sic describitur. Virginitas est in corporali carne, & corporis perpetua meditatio. Et in hac diffinitione tangitur materiale & formale virginitatis. Primum tangitur, cum dicitur in carne corporali. Secundum tangitur, cum dicitur perpetua meditatio. Ex quo sequitur: quòd sic sumendo virginitatem, virginitas non est attribuenda Angelo. patet, quia dicitur in carne corporali. Secundò sequitur, quòd si quis proponat vivere & abstinere per tempus & non perpetuo, talis castitas non est virginitas: quia dicitur perpetua meditatio. Tertiò sequitur, quòd difficile est observare virginitatem perfectam. patet, quia dicitur in corpore perpetua meditatio, & in carne corporali, modò talis est bene difficilis. Undè beatus Thomas dicit, si non esset corruptio carnis, non esset difficile virginitatem servare. Quartò sequitur, quod virginitas est laudabilis. Patet, quia est difficilis. *Secundus articulus.* *Primum notabile.* *Quid virginitas.* *Primum corollarium.* *Secundum corollarium.* *Tertium corollarium.* *Quartum corollarium.*

Secundo notandum est, quòd cum dicitur perpetua meditatio: non intelligitur quod sit actualis cogitatio aut meditatio: sed sufficit, quod sit habitualis vel habilis. *Secundum notabile.*

vel actualis, quia in somno non dicitur esse actualis.

Tertium notabile.

Tertiò notandum est, quòd abstinentia actualis concubitûs dupliciter potest esse in aliquo. Uno modo propter impotentiam: scil. propter imperfectionem in membris naturalibus. Alio modo ex electione, unde videtur, quòd prima abstinentia non est laudabilis, quia non est in potestate nostra: sed bene secunda.

Quartum notabile.

Duplex est abstinentia à carnali concubitu.

Quartò notandum est, quòd abstinentia à carnali concubitu quæ provenit ex electione adhuc est duplex; quædam est ex electione indebita seu indebite ordinata & non bene circumstantionata, sicut quando aliquis eligit, non quando oportet, vel qualiter abstinere oportet; Et talis abstinentia est vitiosa & insensibilitas. Alia est de electione bene ordinata & circumstantionata, sicut quando aliquis eligit se abstinere quando oportet, & ubi, & sic de aliis circumstantiis.

Quintum notabile.

Triplex est abstinentia ex electione.

Quinto notandum est: quòd illa abstinentia ultima est triplex; Nam quædam est castitas virginalis: quædam vidualis: & quædam conjugalis abstinentia.

Sextum notabile.

Duplices sunt personæ.

Sexto notandum est. quòd personæ sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt quibus necessitas emergit seu decens oportunitas conjugandi: ut fuit Isaac & Abraham &c. & si tales abstineant ubi, quando, & cætera, Tunc dicitur castitas conjugalis. Aliæ sunt personæ quibus non emergit necessitas seu decens oportunitas conjugandi. Et tales sunt duplices. Nam quædam sunt quæ nunquam fuerunt corruptæ, & perpetuo proponunt sic permanere, & talis abstinentia vocatur castitas virginalis. Aliæ sunt corruptæ licitè, & perpetuo proponunt deinceps abstinere, & talis vocatur castitas vidualis.

Septimum notabile.

Tripliciter capitur virginitas.

Septimo notandum est, quod in generali virginitas capitur tripliciter; Uno modo pro quodam habitu non applicativo concubituum illicitorum connotando tum corporis & animæ integritatem. Secundo capitur pro integritate corporis, sive sit integritas mentis sive non. Tertio modo pro integritate animæ, sive sit integritas animæ, sive sit integritas corporis, sive non.

Octavum notabile.

Octavo notandum est, quòd quando quæritur, utrum virginitas quæ est actus moralis sitlicita: virginitas debet capi solum tertio modo. Unde dicitur probabiliter: quòd primo modo capiendo non est virtus moralis: quia si talis connotatio deficeret: scil: si non esset integritas animæ non esset virtus: sicetiam secundo modo accipiatur non est virtus: quia sic est à natura, ut notum est.

Prima conclusio.

Tunc sit prima conclusio: quoad istum articulum. Virginitas est virtus moralis. probatur: quia omnis habitus quo quis secundum judicium rectæ rationis abstinet ab illis à quibus oportet abstinere, ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet, est virtus moralis, sed virginitas est hujusmodi: igitur. Patet major ex quid nominis. Et minor patet ex dictis, quia virginitas est habitus.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio. Virginitas generatur ex actibus interioribus & exterioribus. Patet, quia virginitas est virtus: ergo generatur ex actibus hominis non exterioribus: ergo interioribus. Patet consequentia, & major: sed minor probatur, quia virginitas generatur ex actibus multiplicibus ad perpetuo permanendum in carnis integritate.

Tertia conclusio.

Tertia conclusio. Virginitas est habitus consistens in medio inter duas ma-

litias,

litias, probatur. quia est habitus, quo quis, ubi, quando, quomodo, & qualiter inclinatur ad recte abstinendum à carnali concubitu. ergo consistit in medio. patet consequentia ex terminis. quia tunc non excedit nec deficit. Et antecedens patet ex dictis.

Confirmatur. quia virginitas est habitus moralis: ergo consistit in medio.

Quarta conclusio. Virginitas non est insensibilitas. Patet, quia insensibilitas est habitus quo quis contra dictamen rectæ rationis se à delectationibus, & concubitibus carnis abstinet, ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet; sic de aliis circumstantiis. *Quarta conclusio.*

Quinta conclusio. Virginitas per actus bonos interiores multiplicatos potest restaurari eadem in specie: licet non eadem in numero. Esto quòd aliquis perdiderit talem habitum quem tamen prius habuit; tunc clarum est, quod illum potest restaurare: ergo. Item virtus generatur ex actibus multiplicibus. *Quinta.*

Sexta conclusio est ista. virginitas potest remanere post carnalem concubitum licitum patet, quia virginitas est virtus. modò nulla virtus corrumpitur propter licitum actum. Et capitur hic virginitas pro integritate mentis, sive sit integritas corporis, sive non. *Sexta.*

Septima conclusio, virginitas potest amitti sine aliquo carnali concubitu, sive illicito. Probatur, quia ex quo talis virginitas est quidam habitus immediate potest talis corrumpi ex mala electione manente integritate corporis. Corollariè sequitur, quòd licet puri insensati habeant integritatem corporis, non tamen sunt dicendi virgines. De insensatis patet, quia non habent usum rationis. Similiter de puris infantibus patet; quia nondum ex actibus multiplicibus elicitis habent talem habitum. Et sic patet, quomodo virginitas est virtus, & quomodo non. Etiam patet, quòd virginitas prout denotat integritatem corporis tantum, non est virtus, tum quia non generatur ex actibus licite elicitis, tum quia non potest restaurari ex actibus, tum quia est quodammodo à natura. *Septima.*

Quantum ad tertium articulum erit dubium; utrum virginitas sit præferenda castitati conjugali. Et arguitur quod non, quia conjugalis castitas est magis voluntaria quam virginitas, ergo est præferenda. tenet consequentia, quia quanto bonum est magis voluntarium, tanto est melius. antecedens probatur, quia castitas conjugalis solum reperitur in habentibus usum rationis. & in his quæ devenerunt ad annos discretionis, modò virginitas communiter solum reperitur in juvenibus, quia solum nascuntur virgines. *Tertius articulus. Dubium.*

Secundò sic: si sic esset, sequeretur quod quædam conjugata esset melior & laudabilior, consequens est falsum, ut notum est. & patet consequentia, quia si virginitas esset præferenda, tunc esset laudabilior, & hic redderet habentem magis laudabilem.

Tertiò sic: virginitas ordinatur ad bonum privatum, sed castitas conjugalis ordinatur ad bonum commune, ergo. patet consequentia, quia bonum commune est præferendum bono privato, quia quanto bonum est communius tanto melius, & antecedens probatur, quia virginitas solum ordinatur ad bonum virginis. pro secunda parte patet antecedens, quia castitas conjugalis ordinatur ad prolificandum & ad multiplicandum speciem humanam.

Oppositum arguitur per Augustinum in libro de virginitate, ubi dicit cenia ratione & Sanctarum Scripturarum auctoritate, peccata esse nuptias invenimus; *In oppositum.*

nec bono sive conjugali castitate vel virginali æquamus propter nuptias.

Primum notabile. Pro intellectu est sciendum, quòd castitas conjugalis est abstinentia à concubitu carnali, quando oportet, quomodo, &c. & hoc in statu matrimoniali. Ex dictis patet clare, quod in castitate conjugali stat virtus & etiam temperantia.

Quod castitas conjugalis.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd meritum in aliquo casu non mensuratur in genere actus, sed potius pensatur & mensuratur ex intentione animi operantis, nam duo actus ejusdem speciei esse essentiales bene stant simul, & tamen unus erit meritorius, & alter non.

Tertium notabile. Tertiò notandum est, quòd ad hoc quòd bonum commune sit præferendum bono privato, secundum rectam rationem requiritur quod sint ejusdem generis, ut bonum utile commune præferatur bono utili privato, patet, quia bonum privatum honestum bono communi utili secundum rectam rationem est præferendum, & capitur ibi bonum honestum pro bono animæ, & hoc est intelligendum cæteris paribus.

Prima conclusio. Prima conclusio: virginitas castitati conjugali est præferenda. patet, quia salvator noster eligit matrem suam virginem: & voluit virginitatem: & hoc est magnum argumentum.

Secundò, quia virginitas ordinatur ad vitam contemplativam, & ad bonum ejus: sed conjugalis castitas ordinatur ad bonum vitæ activæ. Modò vita speculativa est melior activa. Item virginitas propriè dicta respicit animam, sed castitas conjugalis respicit corpus.

Secunda conclusio. Secunda conclusio est ista: licet virginitas sit præferenda castitati conjugali, cum hoc stat conjugalem esse meliorem virginitate. patet, quia stat quod castus conjugalis habeat animum magis promptum ad castitatem servandam, quam virgo ad virginitatem. Item stat, quòd conjugatus habeat virtutem multò excellentiorem virginitate, ergo. &c.

Ad rationes dubii. Et tunc ad rationes dubii. Ad primum negetur antecedens, scilicet quod sit magis voluntaria & libera. Et esto quòd ita esset, adhuc consequentia non valeret, quia oporteret adhuc aliud. Et ad probationem, quia nullus eligit conjugalem castitatem, nisi quando venit ad annos discretionis, sicut etiam est de illo qui eligit virginitatem propriè dictam, scilicet pro habitu applicativo omnium carnalium concubituum connotando tamen animæ integritatem, & sic est in proposito. Aliis modis non capitur hic, prout dictum est.

Ad secundam quando dicitur: sequeretur quod quælibet virgo qualibet conjugata esset melior, prout dictum est in secunda conclusione, consequentia non valet.

Ad tertium quando dicitur; virginitas est bonum privatum negetur antecedens. Ad probationem dicitur, quòd verum est, quando illa bona sunt ejusdem generis. modò non sic est in proposito, quia virginitas est bonum privatum honestum, castitas conjugalis non est sic bonum honestum, & hoc de tertio.

Ad rationes quæstionis. Ad rationis quæstionis, Ad primam, quando dicitur virginitas non generatur, &c. negetur illa sumendo virginitatem pro habitu applicativo actuum elicitorum, & ille habitus generantur ex multis actibus interioribus.

Notabile pœnes quidditandum medium in virgute. Ad secundam quando dicebatur, virginitas recedit à medio. Hic est notandum, quòd secundum veritatem medium in virtute non attenditur secundum quantitatem rei comparatæ, sed potius secundum rectam rationem. Unde licet

virginitas

virginitas applicet omnino actus elicitos, non tamen hoc est medium secundum rectam rationem.

Ad tertiam, quando dicitur virginitas corrumpitur per actum. &c. negetur ista, nam capitur ibi virginitas pro habitu, modo cum tali habitu stat actus concubitus licitus, quia hic non capitur pro integritate corporis.

Ad quartam, quando dicitur quòd expediens. &c. conceditur illa sumendo virginitatem pro tali habitu applicando actum Venereum ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet. Et cum hoc stat, quòd consequitur actus Venereus ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet. Et cum hoc stat, quòd fiat prolificatio.

Ad quintam, quando dicitur virginitas perdita non potest restaurari negetur illa, sumendo virginitatem pro tali habitu, quia hic virginitas pro tali habitu non sumitur, prout denotat corporis integritatem, quia hoc est naturale & inest à natura.

Ad sextam; cum dicitur sanctissimi patres. &c. negetur illa sumendo virginitatem pro tali habitu inclinante ad debite applicandum actus carnales, & non prout connotat corporis integritatem.

Ad septimam, quando dicitur insensualitas est vitium, negetur consequentia, quia virginitas est habitus inclinans ad respiciendum actus Venereos. si oportet, & necesse sit.

Ad octavam, quando dicitur quòd virginitas inest homini à natura, negetur illam complevè & perfectivè. Ad probationem dicitur, quod hoc intelligitur capiendo virginitatem pro integritate corporis.

Ad nonam, quando dicitur, quod virginitate contingit male uti negetur, ad probationem dicitur, quod præjudicium esset, quod Rex virginitatem servaret in casu. Et etiam dicitur quòd non est bonum, quod Rex virginitatem observet, sed posset applicare omnes actus ad prolificandum.

Ad decimam, quando dicitur virginitas non inclinat, negetur ista, loquendo de operationibus interioribus.

Ad undecimam, dicitur quòd virginitas magis reperitur in juvenibus, quam in senibus, capiendo virginitatem pro integritate corporis.

Ad duodecimam quando dicitur, quod virginitas est contra præceptum legis negetur, quia virginitas inclinat ad exercendum actum quando, quomodo, & qualiter oportet.

Ad tridecimam, quando dicitur virginitas est vitium. &c. negetur, ad probationem dicitur, quod rationes sunt solutæ.

Ad decimam quartam dicitur, quod illa bene concludit capiendo virginitatem primo modo, prout visum est in secundo articulo.

QUÆSTIO XVIII.

De bono vel malo actu voluntatis in Principando.

QUæritur decimo octavò. Utrùm omnis actus voluntatis, quem Princeps circa regimen politicum eligit, sit bonus vel malus moraliter.

Arguitur primò quòd sic; omnis actus civilis vel bene sit vel male sit, *Arguitur*, igitur,

igitur. patet consequentia, quia omne, quod bene fit vel male fit, est bonum vel malum. Et antecedens patet, quia si actus fit propter bonum commune & politiæ, tunc bene fit, Si propter bonum privatum, tunc male fit.

Secundò fiet omnis talis actus vel est conformis dictamini rectæ rationis, vel non. Sed quomodocunque dicatur est bonus vel malus, igitur. major patet à sufficienti divisione. minor patet, quia si sit conformis rectæ rationi: tunc est bonus: si sit difformis, tunc est malus.

Tertiò fiet quilibet actus talis voluntatis vel sit propter bonum verum, vel propter bonum apparens; sed quomodocunque dicatur, aut est bonus aut malus, ergo. patet major, quia voluntas non eligit malum sub ratione mali. Et minor probatur, quia si sit circa bonum est bonus moraliter, si circa apparens bonum vel existens bonum, & sic est bonus: si non existens bonum: vel peccat ex ignorantia invincibili, & sic est bonus, vel ex ignorantia supina & crassa, & tunc est malus alicui.

In Oppositum. Oppositum arguitur sic: non omnis actus voluntatis est bonus vel malus moraliter, ergo. patet consequentia ex terminis, & antecedens patet, quia levare festucam est actus voluntatis, quia libere imperatur, & tamen non est bonus vel malus moraliter. Similiter patet de furiosis quorum actus non sunt boni neque mali moraliter. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd duplex est actus voluntatis; quidam est qui fit sine deliberatione prævia. alius est qui fit è contra.

Primum notabile. Secundò notandum; quòd deliberatio sic describitur, est judicium practicum intellectus mediante quo consiliatur de agendis per nos, & sic non est nisi judicium rationis.

Duplex est actus. *Secundum.* *Quid sit deliberatio.* Tertiò notandum est, quòd actus voluntatis quando fiunt ex prævia deliberatione sunt duplices, quidam sunt ex deliberatione & ex arte: sicut artifex faciendo cultellum, & iste actus pertinet ad artem factivam. Alii sunt qui sunt cum deliberatione circa materiam virtutis, & isti pertinent ad virtuosos, qui deliberant cum quibusdam circumstantiis qualiter debet fieri aliquis actus.

Tertium. *Sunt duplices actus voluntatis.* Quartò notandum est, quòd omnis actus voluntatis laudabilis præsupponit judicium complexum practicum ipsius intellectus. patet notabile, quia non est dubium, quin oporteat, quòd antequam aliquis actus sit laudabilis vel vituperabilis quòd voluntas se conformet judicio rectæ rationis, id est, recto vel erroneo, & secundum hoc actus erit laudabilis vel vituperabilis.

Quartum. *Quintum.* Quintò notandum est, quòd licet posita voluntate efficaci circa actum imperatum & alio extrinseco impedimento existente de necessitate producatur; tamen ille actus exterior dicitur libere & contingenter actus, patet, quia talis actus est nobis imputabilis, quòd tunc non esset verum, nisi iste actus fieret libere & contingenter, & totum fundamentum est in hoc; quòd licet actus exterior de necessitate producatur illo stante; tamen ille actus efficax est libere productus elicitative à voluntate.

Dubium. Sed hic est dubium: Utrum actus exterior malitiam, vel bonitatem addat ad actum interiorem elicitum. Et arguitur quod sic: actus exterior, seu imperatus cadit sub præcepto, ergo est bonus vel malus moraliter, quantum est de

se.

se. Consequentia patet de se, & antecedens probatur; quia ire ad ecclesiam & jejunare sunt actus boni.

Secundò sic: nisi sic esset, sequeretur, quod si essent duo quorum unus esset pauper & alter dives habentes æquales actus interiores & dantes unum denarium quilibet æqualiter præmiaretur. Consequens est falsum, quia difficilius est pauperi dare unum denarium, quam diviti. Patet consequentia satis.

Tertiò si sic esset, sequeretur, quòd sine actu exteriori præsbyter volendo conficeret vel consecraret; consequens est falsum, & patet consequentia de se.

Respondetur probabiliter, quòd actus exterior, quantum est de se, non est bonus vel malus moraliter: immo habet bonitatem vel malitiam ab actu interiori. Ex quo sequitur, quod actus exteriores nullam culpam addunt, neque malitiam actibus interioribus. *Responsio.*

Et tunc ad rationes. Ad primam dicitur, quod homo non laudatur propter jejunare extrinsecum, sed propter velle jejunare. Et sic dicitur probabiliter negando, quod jejunare sit præceptum, nisi sic jejunare sit proveniens ex bene velle: & sic dicere communiter, quod actus exterior bene addit malitiam pœnalem. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam dicitur, quod non obstante impedimento extrinseco non est impossibile; quia dives & pauper habent actus æquales exteriores vel interiores, scilicet velle dare eleemosynam: & tunc dives non plus dat quam pauper. Et dicitur notanter non obstante impedimento exurinseco, quia forsan dives apud se non haberet plus quam pauper.

Ad tertiam dicitur, quod hoc spectat ad aliam facultatem scilicet ad Theoricam, & hoc de primo articulo.

Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio; aliqui sunt actus voluntatis qui non possunt fieri sine deliberatione prævia. Probatur, quia aliqui sunt qui non possunt fieri sine judicio practico ipsius intellectus, ut consilium de agendis, ergo. Patet consequentia per quid nominis deliberationis. Et antecedens probatur, sicut esset de odio, quia non posset aliquis odire aliquem, qui deliberet, an sit bonum vel malum. *Secundus articulus. Prima conclusio.*

Secunda conclusio; non omnis actus voluntatis factus cum deliberatione est bonus vel malus moraliter, & secundum se. Probatur loquendo de actu voluntatis imperato & perfecto cum deliberatione prævia & ex arte. Nam artifex faciendo bonum cultellum non facit bonum vel malum moraliter: quia unus vitiosus faceret ita bene unum bonum cultellum. Ex quo sequitur, quod bonitas artis stat cum malitia moris. *Secunda.*

Tertia conclusio: non omnis actus voluntatis imperatus est bonus vel malus moraliter. Patet de pueris vel de ebriis. *Tertia.*

Quarta conclusio: omnis actus voluntatis cum deliberatione factus circa materiam virtutis est bonus vel malus moraliter. Patet, quia vel fit cum recto judicio, vel non recto. Ex istis patet, quæ sit differentia inter actum bonum & malum actum moralem. *Quarta.*

Quinta conclusio: omnis actus voluntatis quem princeps habet circa rem publicam cum prævia deliberatione, & circa materiam virtuum est bonus, vel malus moraliter. Patet, quia omnis talis ordinatur, vel ad justitiam, quia vult bonum politiæ: vel injustitiam, quia vult bonum privatum, & qualitercunque *Quinta.*

sit vel est bonus vel malus, ergo. conclusio est vera.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes quæstionis. Ad primam conceditur illa si sit cum deliberatione, & circa materiam virtutis, & hoc concessum est.

Ad secundam dicitur, quod est pro secunda & quinta conclusionibus.

Ad tertiam dicitur eodem modo.

Ad rationem post oppositum dicitur, quod est pro secunda conclusione.

QUÆSTIO XIX.

De Lege Talionis.

QUæritur decimo nonò. Utrùm lex contrapassi seu talionis sit simpliciter justa, & in contractibus humanis legaliter observanda.

Arguitur. Et arguitur primò quod non, quia si sic, sequeretur, quod si princeps percuteret servum, quod servus posset licitè percutere principem. Consequens est falsum, & patet consequentia, quia redditur æquale pro æquali, & per consequens, ibi est lex talionis.

Secundò sic: si servus dominum percutiat, servus non punitur sufficienter; si princeps eum repercutiat, & tamen sic faciendo lex talionis observatur. ergo. Patet consequentia de se: & similiter major, quia servus infert læsionem, seu læsuram civitati, seu communitati: & minor patet, quia servus recipiet tantum pro tanto.

Tertiò sic: si sint duo homines, & unus percutiat alium voluntariè, & alius percutiat involuntariè æqualiter, tunc in tali percussione sunt æquales; & tamen indebitè punirentur recipiendo æqualia. ergo. Patet consequentia, & major. & minor nota est de se.

Quartò sic: ratione Philosophi, nam si aliquis alteri oculum eruat, clarum est, si oculus ejus iterum erueretur esset pœna talionis, quia talio est contra passivo, & tamen non juste puniretur, ergo. patet consequentia & major de se. Minor patet, quia ille qui prius oculum eruebat dupliciter peccavit. Primò, quia injuriam incepit. Secundò, quia alteri injuriam fecit, & sic non sufficienter punietur.

Quintò sic: si robustus puerum vel infirmum percutiat, & iterum percutiatur ibi erit passio, tamen non erit sufficiens punitio. igitur. Major patet de se, & minor apparet, quia robustus primo deliquit.

In oppositum. Sextò sic: per legem talionis non repellebantur injuriæ. ergo. Patet consequentia, & antecedens patet, in casu posito de eruptione oculi alterius. Nam propter hoc evellitur oculus alterius, non propter hoc relevabitur injuria alterius.

Oppositum arguitur: Primò sic: illa lex est simpliciter justa & inviolabiliter observanda per quam legem communicatio politica observatur, & sine qua non conservatur, sed lex talionis est hujusmodi. igitur. Major patet ex terminis, & minor patet, quia per hoc quod præmium pro merito redditur, & pro demerito demeritum, homines in tranquillitate vivunt & in pace.

Secundò sic: vel pro demerito seu vitio est retribuenda aliqua vindicta in communicatione

communicatione politica, vel non, non potest dici quod non, quia tunc infringerentur omnes leges, sic ergo vel debet reddi æquale pro æquali, & sic habetur intentum, vel inæquale, & sic injustitia, modò dicit Philosophus, quod omne justum æquale.

Tertiò sic: quia in politiis bene ordinatis lex contrapassionis & talionis bene observatur: & hoc non esset, nisi esset justa, ergo est justa. *Primus articulus.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones. *Primum notabile.*

Quantum ad primum articulum. Notandum est, quod talio seu contrapassio est coæquatio actionis & passionis, seu retributio tanti pro tanto. *Quid sit Talio.*

Secundò notandum est, commensuratio in tali retributione duplex potest esse adæquatio. Uno modo secundum proportionem Arithmeticam, Alio modo secundum proportionem Geometricam. *Secundum. Tertium.*

Tertiò notandum est, quod commensuratio in talibus secundum proportionem Arithmeticam est, quando quantitas agentis est tanta, quanta est quantitas patientis, vel è contra. Sed proportio Geometrica est proportio actionis & passionis, sicut personæ ad personam quibus infertur passio, unde si servus percuteret principem, & iterum percuteretur, tunc ibi est proportio Arithmetica. *Quartum.*

Quartò notandum est, quod circumstantiæ quibus attribuuntur passio vel actio sunt multùm attendendæ in talibus; quia circumstantiæ multùm aggravant peccatum. *Secundus articulus.*

Quantum ad secundum articulum, sit prima conclusio: lex talionis, seu contrapassi non est universaliter servanda secundum proportionem Arithmeticam. Patet satis ratio per unam rationem ante oppositum, quia si dominus daret unam alapam servo suo, & quod iterum servus det unam alapam domino, illa lex non est observanda, & tamen est lex contrapassi. *Prima conclusio. Secunda.*

Secunda conclusio: lex contrapassi, seu talionis secundum proportionem Geometricam in contractibus legitimis est universaliter observanda. Patet, quia in contractibus humanis ita debet esse, quod actioni debet secundum proportionem proportionari passio, sicut persona ad personam. Item patet, quia secundum rationem factam ante oppositum vel debet fieri vindicta vel non, non tamen dicitur, quod sit servanda secundum proportionem Arithmeticam & Geometricam simul, & hoc quando contingunt esse essentiales personas, & quando proportiones se concomitantur. *Tertia.*

Tertia conclusio: lex talionis, seu contrapassi maximè debet exerceri delatione læsi quantum est possibile. Patet conclusio satis ex quid nominis contrapassi, quasi iterum passio. *Dubitatio.*

Sed tunc dubitatur, quia si unus interficiat principem & alter gartionem, tunc uterque punietur æqualiter, quia uterque morietur, & tamen unus peccat magis quam alter. *Responsio.*

Respondetur, quod in tali casu æqualiter puniretur, tamen si esset pœna possibilis major ultra mortem, illa daretur illi qui interficit principem. *Ad rationes.*

Ad rationes. Ad primam dicitur, quòd arguitur pro dictis in prima conclusione, & similiter omnes aliæ arguunt pro dictis, quia arguunt quod talis lex non sit observanda secundum proportionem Arithmeticam.

Ratio post oppositum est pro dictis in secunda conclusione.

QUÆSTIO XX.

De verecundia in virtuosè viventibus.

QUæritur vigessimò. Utrum virtuosè viventes, & similiter civiliter quandoque debeant verecundari.

Arguitur. Et arguitur quod sic: Nam verecundia est virtus, igitur. Patet consequentia, & antecedens probatur, quia propter verecundiam verecundus laudatur: patet, quia propter nihil aliud laudatur, nisi propter virtutem. Et antecedens patet per Philosophum Quartò Ethicorum dicentem; verecundos juvenes laudare consuevimus. Secundò probatur idem antecedens, quia inverecundia est vitium. ergo. Patet consequentia, & antecedens probatur, quia homines inverecundos vituperamus. ergo. Item probatur idem antecedens, quod verecundia sit virtus moralis, quia est inter duo extrema vitiosa, igitur. Patet consequentia, quia dicitur Secundo Ethicorum, quòd in medio consistit virtus, & antecedens probatur, quia contingit magis verecundari quam oportet, & contingit verecundari ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet, & sic de aliis circumstantiis.

Secundò principaliter arguitur sic: homines qui sunt in malitia superabundantes nunquam verecundantur. Patet consequentia, quia contrariorum effectus debent esse contrarii, & antecedens patet per experientiam; quia tales sunt effrænati.

Tertiò sic: nam sicut habetur Secundo Rhetoricæ, homines non solum erubescunt vitia, sed etiam signa vitiorum, id est, non solum verecundantur propter vitia, sed etiam propter signa vitiorum, modò in virtuosis possunt apparere signa vitiorum, vel fortè quia astantes malè capiunt, vel quia in eis generatur vitium.

Quartò sic: nam verecundia est timor ingloriationis, sed timor reperitur aliquando in virtuosis. ergo. Patet major per definitionem verecundiæ, & minor patet, quia virtuosus debet studere, ne patiatur ingloriationem & confusionem, vel propter facta amicorum, vel propter facta sua propria.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi quarto hujus dicentis, quòd studiosi non debent verecundari.

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd sicut habetur Quarto Ethicorum, verecundia sic describitur: Est timor ingloriationis & confusionis. Ex quo sequitur, quòd ille propriè verecundatur qui timet incurrere ingloriationem de operibus suis.

Primum notabile.

Secundum. Secundò notandum est, quòd homines communiter de tribus solent verecundari. Primò, propter suorum actuum turpitudinem. Secundò, propter honorem & gloriæ privationem. Tertiò, propter confusionem sequentem suos actus proprios turpes.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd verecundia capitur tripliciter. uno modo pro quadam

quadam naturali inclinatione ad timorem ingloriationis, & sic puer dormiens est verecundus. Secundo modo pro passione consequente ad talem inclinationem, & sic juvenis quandoque reprehenditur de suis actibus de quibus verecundatur. Tertio modo capitur pro confusione quam homo incurrit propter deprehensionem in suis actibus turpibus; & in proposito capitur pro passione proprie seu actu consequente ad inclinationem.

Quartum. Differentia virtuosi & vitiosi.

Quartò notandum est, quòd in hoc est differentia inter vitiosum & virtuosum, quia virtuosus plus timet proprii actus turpitudinem, quam deprehensionem ipsius in suo actu turpi, sed vitioso est per oppositum, quia plus timet propter deprehensionem hominis in suo actu turpi, quam actum suum turpem.

Quintum.

Quintò notandum est, quòd nulla dispositio seu conditio quæ reperitur in juvenili ætate frequentius quam in senili ætate est virtus moralis, patet hoc satis ex intentione Philosophi Primo Ethicorum: ubi dicit quòd juvenes non sunt sufficientes auditores moralis scientiæ, quia sunt inexperti de actibus humanis, quia intellexit quoad finem hujus scientiæ, quæ est facere auditorem moraliter virtuosum, modò juvenes non sunt adhuc virtuosi.

Sextum.

Sextò notandum est, quòd licet in actibus qui sunt mali de se contingat agere plus quam oportet, & deficere plus quam oportet: tamen in illis nunquam contingit operari, sicut oportet, & virtuose, ut contingit furari plus quam oportet, & minus quam oportet, & tamen non contingit furari ut oportet, & hoc de primo.

Secundus articulus.

Quantum ad secundum articulum. Sit prima conclusio: virtuosi bene viventes & moraliter & civiliter in nullo casu debent verecundari. Probatur, quia

Prima conclusio.

in nullo casu tales virtuosi debent facere aliquem actum turpem propter quem debeant verecundari: patet consequentia, & antecedens probatur, quia verecundia fit timor ingloriationis propter actus turpitudinem, & talis actus non reperitur in virtuoso. Secundò sic: ille qui verecundatur plus timet reprehensionem quam actus turpitudinem: sed virtuosus est è contra. ergo patet consequentia. Et antecedens est notum ex uno notabili prius posito. Tertiò sic: ille qui verecundatur abstinet ab actibus pure civilibus, sed virtuosus non est hujusmodi. igitur. major patet de se, quia hoc facit propter timorem servilem; juxta hoc oderunt peccare mali formidine pœnæ. Et minor patet, quia oderunt peccare boni virtutis amore.

Secunda.

Secunda conclusio: verecundia non est virtus moralis. Probatur, quia est passio. ergo. patet consequentia per Philosophum, qui assignat differentiam inter eas, & antecedens patet, per diffinitionem verecundiæ. Secundo, quia propter verecundiam fit mutatio in corpore: & tamen nunquam propter virtutem in corpore reperitur mutatio. Tertiò sic: verecundia non reperitur in vitis perfectis. Item verecundia magis reperitur in juvenibus quam in senibus. ergo. patet consequentia, & antecedens similiter.

Ad rationes quæstionis.

Ad rationes quæstionis. Ad primam negetur antecedens. Ad probationem, cum dicitur quod propter verecundiam laudamus, negatur hoc de viro perfecto ætatis, quia ille non debet aliquem actum facere propter quem debet verecundari.

Ad secundam probationem dicitur, quando dicitur, quòd contingit plus verecundari quam oportet, negetur antecedens, & hoc loquendo de homine existente in ætate virili.

QUÆSTIO XX.

De verecundia in virtuosè viventibus.

QUæritur vigesimò. Utrum virtuosè viventes, & similiter civiliter quandoque debeant verecundari.

Arguitur. Et arguitur quod sic: Nam verecundia est virtus, igitur. Patet consequentia, & antecedens probatur, quia propter verecundiam verecundus laudatur: patet, quia propter nihil aliud laudatur, nisi propter virtutem. Et antecedens patet per Philosophum Quartò Ethicorum dicentem; verecundos juvenes laudare consuevimus. Secundò probatur idem antecedens, quia inverecundia est vitium. ergo. Patet consequentia, & antecedens probatur, quia homines inverecundos vituperamus. ergo. Item probatur idem antecedens, quod verecundia sit virtus moralis, quia est inter duo extrema vitiosa, igitur. Patet consequentia, quia dicitur Secundo Ethicorum, quòd in medio consistit virtus. Antecedens probatur, quia contingit magis verecundari quam oportet, & minus. Contingit verecundari ubi, quando, quomodo, & qualiter oportet, & sub aliis circumstantiis.

Secundò principaliter arguitur sic: homines qui sunt in magnis delictis delinquentes nunquam verecundantur. Patet consequentia, quia extrema actus debent esse contrarii, & antecedens patet per experientiam in impudentibus effrænatis.

Tertiò sic: nam sicut habetur Secundo Rhetoricæ, homines verecundantur non solùm vitia, quæ verecundantur, sed etiam propter signa vitiorum, id est, non solum verecundantur de vitiis, sed etiam propter signa vitiorum, modò in virtuosis possunt esse signa vitiorum, vel fortè quia astantes malè capiunt, vel quia in eis est vitium.

Quartò sic: nam verecundia est timor ingloriationis, sed timor reperitur quando in virtuosis. ergo. Patet major per definitionem verecundiæ, & minor patet, quia virtuosus debet studere, ne patiatur ingloriationem & confusionem, vel propter facta amicorum, vel propter facta sua propria.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi quarto hujus dicentis, quòd studiosi non debent verecundari.

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primum articulum. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd sicut habetur Quarto Ethicorum, verecundia sic describitur: Est timor ingloriationis & confusionis. Ex quo sequitur, quòd ille propriè verecundatur qui timet incurrere ingloriationem de operibus suis.

Primum notabile.

Secundum. Secundò notandum est, quòd homines communiter de tribus solent verecundari. Primò, propter suorum actuum turpitudinem. Secundò, propter honorem & gloriæ privationem. Tertiò, propter confusionem sequentem suos actus proprios turpes.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd verecundia capitur tripliciter. uno modo pro quadam

quadam naturali inclinatione ad timorem ingloriationis, & sic puer dormiens est verecundus. Secundo modo pro passione consequente ad talem inclinationem, & sic juvenis quandoque reprehenditur de suis actibus de quibus verecundatur. Tertio modo capitur pro confusione quam homo incurrit propter deprehensionem in suis actibus turpibus; & in proposito capitur pro passione propriè seu actu consequente ad inclinationem.

Quartum. Differentia virtuosi & vitiosi.

Quartò notandum est, quòd in hoc est differentia inter vitiosum & virtuosum, quia virtuosus plus timet proprii actus turpitudinem, quam deprehensionem ipsius in suo actu turpi, sed vitioso est per oppositum, quia plus timet propter deprehensionem hominis in suo actu turpi, quam actum suum turpem.

Quintum.

Quintò notandum est, quòd nulla dispositio seu conditio quæ reperitur in juvenili ætate frequentius quam in senili ætate est virtus moralis, patet hoc satis ex intentione Philosophi Primo Ethicorum: ubi dicit quòd juvenes non sunt sufficientes auditores moralis scientiæ, quia sunt inexperti de actibus humanis, quia intellexit quoad finem hujus scientiæ, quæ est facere auditorem [illegible] virtuosum, modò juvenes non sunt adhuc virtuosi.

Sextum.

[illegible]ndum est, quòd licet in actibus qui sunt mali de se contingat agere [illegible]et, & deficere plus quam oportet: tamen in illis nunquam con[illegible] oportet, & virtuosè, ut contingit furari plus quam oportet, & [illegible]t, & tamen non contingit furari ut oportet, & hoc de primo.

Secundus articulus.

[illegible]undum articulum. Sit prima conclusio: virtuosi bene viven[illegible]civiliter in nullo casu debent verecundari. Probatur, quia

Prima conclusio.

[illegible]irtuosi debent facere aliquem actum turpem propter quem [illegible] patet consequentia, & antecedens probatur, quia verecundia [illegible]onis propter actus turpitudinem, & talis actus non reperitur [illegible]dò sic: ille qui verecundatur plus timet reprehensionem quam [illegible]m: sed virtuosus est è contra. ergo. patet consequentia. Et an[illegible]tum ex uno notabili prius posito. Tertiò sic: ille qui verecunda[illegible] ab actibus pure civilibus, sed virtuosus non est hujusmodi. igitur. [illegible] patet de se, quia hoc facit propter timorem servilem; juxta hoc oderunt peccare mali formidine pœnæ. Et minor patet, quia oderunt peccare boni virtutis amore.

Secunda.

Secunda conclusio: verecundia non est virtus moralis. Probatur, quia est passio. ergo. patet consequentia per Philosophum, qui assignat differentiam inter eas, & antecedens patet, per diffinitionem verecundiæ. Secundo, quia propter verecundiam fit mutatio in corpore: & tamen nunquam propter virtutem in corpore reperitur mutatio. Tertiò sic: verecundia non reperitur in vitisperfectis. Item verecundia magis reperitur in juvenibus quam in senibus. ergo. patet consequentia, & antecedens similiter.

Ad rationes quæstionis.

Ad rationes quæstionis. Ad primam negetur antecedens. Ad probationem, cum dicitur quod propter verecundiam laudamus, negatur hoc de viro perfectæ ætatis, quia ille non debet aliquem actum facere propter quem debet verecundari.

Ad secundam probationem dicitur, quando dicitur, quòd contingit plus verecundari quam oportet, negetur antecedens, & hoc loquendo de homine existente in ætate virili.

Ad secundam rationem principalem negetur antecedens, & etiam patet consequentia. quia tales homines qui sunt bonitatis superabundantes non debent facere actum propter quem debeant verecundari, & auctoritas illa non est universaliter vera, ut patet de albedine & nigredine quantum ad multitudinem suarum specierum in medio, quæ species non sunt contrariæ, quia sunt simul in medio adæquate.

Ad tertiam: quando dicitur Tertio Rhetoricæ homines non solum. &c. concedit illa & dicitur, quòd nunquam virtuosus active in propria intentione dat signum mali. quia virtuosus det eleemosynam, aliqui possunt vituperare illum, & male interpretari: sed hoc non est active in eo.

Ad quartam conceditur loquendo de turpitudine quæ venit ex propriis actibus, & quando dicitur virtuosi timent. &c. dicitur quòd ille timor non est verecundia, quia non est propter turpitudinem propriorum actuum.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XXI.

De differentia amicitiæ & justitiæ Politicæ.

QUæritur vigesimoprimò & ultimò. Utrum in bono regimine politico amicitia sit præferenda justitiæ?

Arguitur. Arguitur quod non, quia bonum commune est præferendum bono privato. sed amicitia est bonum privatum, & justitia est bonum comune. igitur. patet consequentia, & major Primo Hujus, minor patet per Philosophum Octavo Ethicorum dicentem: quòd justitia est ad multos & Nono Ethicorum, quòd amicitia est solum ad unum.

Secundò sic: justitia est præclarissima virtutum, ergo. patet consequentia, & antecedens probatur per Philosophum Quinto Ethicorum dicentem, quòd *præclarissima virtutum est justitia, & neque Lucifer neque Hesperus ita admirabilis.*

Tertiò sic: veritas est amicitiæ præferenda, ergo, & justitia erit amicitiæ præferenda. patet consequentia, quia justitia est quædam veritas, ut patet Quinto Ethicorum & antecedens probatur, per Philosophum Primo Ethicorum dicentem, quòd duobus existentibus amicis sanctum est perhonorare veritatem.

Quartò sic: justitia præcipit secundum omnem virtutem vivere, & prohibet omnem malitiam. igitur. patet consequentia, quia amicitia non habet tantam prærogativam, & antecedens patet, per Philosophm Quinto Ethicorum, ubi ista expresse ponit in forma.

Quintò sic: justitia est virtus Cardinalis, & amicitia non est virtus Cardinalis, igitur. patet consequentia, & major per Senecam in suo libello de quatuor virtutibus. minor patet, quia sunt quatuor virtutes Cardinales, ut patet in eodem libello.

Sextò sic: justitia est amicitia, igitur. patet consequentia, & antecedens pro multos qui ita credunt.

Septimò

Septimò sic: illud est per se fugiendum sine quo non potest esse convictus humanus seu civilis: sed sine justitia non potest esse convictus humanus: & sine amicitia potest, ergo. patet consequentia, & major ex terminis, & minor patet per Philosophum Primo Hujus dicentem: quòd homo separatus à justitia est pessimum animalium, & Secundo Hujus dicit, quòd homo sine justitia omni bestia dejector; sed quòd possit esse convictus humanus sine amicitia, patet per Tullium dicentem: operosum est omnes homines amicos facere, & sic non est de necessitate, sed solum de bene esse.

Octavò sic: oppositum justitiæ est multùm pejus quam oppositum amicitiæ. Hoc consequentia patet, & antecedens; nam sæviissimè est justitia ferens arma, & oppositum amicitiæ est inamicitia, & homines citius expellunt injustitiam quam inimicitiam: ergo.

Oppositum arguitur per Tullium in libro de amicitia dicentem, *virtuti vos ipsum ad amicitiam omnibus bonis anteponatis, & sequitur: nihil est ita prosperum ad versis sicut amicitia.* *In Oppositum.*

Secundò probatur per conditiones quas ponit Philosophus in isto Quinto & Octavo Ethicorum: Prima est: nam amicitia est ad vitam necessaria. Secunda prærogativa est: quia nullus sine amicis eligeret vivere habens reliqua omnia bona. Tertia conditio: nam in quolibet statu sive juvenili sive senili homo amicitiam indiget. Quarta est: quòd amicitia generat omnes benevolos & civiles naturaliter, unde homo est animal civile & politicum à natura & amabile, ut patet Primo Hujus. ergo, si non sit amicabilis non est communicabilis nec civilis. Quinta conditio, quòd legislator in politia bona plus amat homines esse amicos quam justos, & causa est, ut dicit Philosophus, si in politia omnes homines essent amici non indigerent justitia, & si omnes essent justi adhuc indigerent amicitia. *Conditiones amicitiæ.*

Tertiò sic: nam collatio boni est delectabilior, liberalior & placentior, quam prohibitio mali. sed propter justitiam malum prohibetur, & per amicitiam bonum tribuitur, ergo. patet consequentia & antecedens similiter.

Quartò sic: concordia naturalis & pax est multò melior quam concordia violenta. sed per amicitiam habetur concordia naturalis sine hoc quòd fiat violenta, ergo. consequentia est nota, & antecedens similiter.

Quintò sic: nam amicitia habet conservare, & justitia destruere, ergo. patet consequentia, & antecedens pro prima parte, quia sicut justitia corrumpit malum; sic amicitia unit. Pro secunda parte patet de justitia punitiva.

In quæstione erunt tres articuli. In primo videbuntur aliqua. scilicet utrum plus peccat ille qui rem substrahit Domino sciente vel non. In secundo videbitur, utrum amicitia sit virtus. In tertio respondebitur ad quæsitum. *Primus articulus.*

Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd justitia sic describitur: *Justitia est habitus secundum quem homines sunt operativi justorum & operantur justa, & volunt justa.* Et in ista definitione tria includuntur, sciendum, quòd ad virtutem moralem tria requiruntur. Primò requiritur naturalis inclinatio, & hoc tangitur ibi operativi. Secundò requiritur, quòd talis operetur secundum vi rectam illam quotiescunque materia occurrit, & hoc tangitur ibi operantur justa. Tertiò requiritur, quod talis voluntarie agat actum suum. *Primum notabile. Descriptio Justitiæ. Tria requiruntur ad virtutem moralem.*

Secundò notandum est, quòd duplex est justitia: quædam est universalis, *Secundum.*

quæ

quæ est tota virtus, & intelligitur, quòd ad ipsam concurrit aggregatio omnium virtutum. Alia est justitia particularis, quæ est unus simplex habitus, de qua dicit Philosophus Quinto Ethicorum, quòd *non omnis virtus est justitia*, & hoc est verum secundum rem.

Tertium. Qualibet virtus habet duas prærogativas.

Tertiò notandum est, quòd quælibet virtus moralis habet duas prærogativas. Prima est secundum quam perficit habentem. Secunda est secundum quam proficit alteri, & ideo dicitur Secundo Ethicorum, quòd virtus est quæ habentem perficit, & ejus opus bonum reddit. Et isto modo dicitur, quòd quælibet virtus moralis secundum alterum istorum considerata est justitia partialis, & ob hoc dicit Philosophus; quòd quælibet virtus secundum rem est justitia.

Quartum. Duplex est justitia simplex. Triplex differentia inter distributivam & commutativam justitiam.

Quartò notandum est, quòd duplex est justitia simplex: quædam est distributiva, alia est commutativa. Et est triplex differentia inter istas duas, quia justitia distributiva est distributiva dignitatum, sed alia consistit in commutationibus, scilicet quando æquale datur pro æquali. Secunda differentia est, quia justitia distributiva est superioris, sed alia est inter personas æquales. Tertia differentia est, quia justitia distributiva fit secundum proportionem Arithmeticam, & alia fit secundum proportionem Geometricam.

Quintum. Duplex commutatio. Duplex non voluntaria.

Quintò notandum est, quòd justitia commutativa variatur secundum varias & diversas commutationes: Unde commutatio est duplex: nam quædam est voluntaria, & est quando utraque pars consentit: alia est non voluntaria, & est quando una pars in tali contractu rectè non consentit, & est duplex: nam quædam fit per ignorantiam: alia fit per violentiam. Per ignorantiam, ut furtum; per violentiam, ut quando aliquis cogitur consentire alicui contractui.

Sextum notabile. Sex sunt species justitiæ commutativæ quod emptio.

Sextò notandum est, quòd sicut colligitur ex dictis Philosophi Quinto Ethicorum: sex sunt species justitiæ commutativæ: scilicet emptio, venditio, depositio, consensio. Aliæ duæ sunt plenaria volitio, & plenaria consentio, Emptio est quando tantum pro tanto datur, & in concessionem usus mutatur, dominium autem non. In depositione autem utrumque mutatur.

Dubium.

Sed circa hoc est dubium: quis plus peccat, aut ille qui rem substrahit domino ignorante, ut in furto; aut qui rem substrahit domino non ignorante, ut per rapinam.

Arguitur.

Et arguitur, quòd plus qui domino ignorante rem substrahit, quia furtum est pejus rapina; ergo, Patet consequentia. Et antecedens probatur tripliciter. Primò, quia per furta infertur nocumentum pluribus, quam per rapinam: ergo, Patet consequentia: quia vitium quanto est deterius, tanto est fugibilius, & antecedens probatur; quia per furtum infertur nocumentum tam divitibus quam pauperibus, sed per rapinam solùm in potentibus & debilibus. Secundò patet idem antecedens. Nam homo plus verecundatur de furto quam de rapina, ergo. Patet consequentia; quia verecundia est de turpi actu: antecedens notum est. Tertiò probatur idem antecedens, Nam furtum fit cum dolo & fraude; sed rapina non; igitur. Patet consequentia, & antecedens notum est, quia furtum fit cum dolo sine scientia domini.

In oppositum.

Oppositum arguitur. Nam per rapinam homo pluribus modis injuriatur, quam per furtum; igitur. Patet consequentia, & antecedens. nam per rapinam capitur res aliena: & hoc modo violentia domino infertur: sed per furtum non fit violentia domino, licet capitur alienum, quia dominus ignorat, & etiam non infert domino rei violentiam.

Pro

Pro intellectu hujus ſciendum eſt, quòd aliquid poteſt dici dupliciter involuntarium vel invitè; Uno modo implicitè. Alio modo explicitè. Implicite, quia licet talis homo hoc velit, tamen ſi ſciret hoc non eſſe poſſibile non vellet. Explicitè: quia licet hoc ſit notum tali: tamen propter actum nocendi non ſe conformat. *Primum notabile. Aliquid dicitur involuntarium dupliciter.*

Secundò notandum eſt, quòd cæteris paribus vitium quanto pluribus præbet occaſionem ruinæ & ſcandali, tanto eſt deterius. Patet de ſe. *Secundum.*

Tertio notandum eſt, quod licet in furto dolus & fraus committantur. tamen non infertur alteri injuria expreſſe ſeu explicitè; nec dolus quantum eſt ad hoc voluntarius. *Tertium.*

His poſitis ponitur concluſio.

Prima concluſio: qui rem alterius ſubſtrahit per violentiam plus peccat, quàm qui per furtum. Probatur; quia in rapina pluribus infertur nocumentum, quàm per furtum; igitur. Patet conſequentia ex dictis. Et antecedens patet, quia tantum fit nocumentum in rapina, ſicut in furto, & cum hoc plus. Item quia, ut in pluribus, eſt occaſio ruinæ & ſcandali: igitur. Antecedens apparet ex prædictis. *Prima concluſio.*

Et tunc ad rationes. *Ad rationes.*

Ad primam quando dicitur. Furtum eſt deterius, &c. negatur, Ad probationem, quando dicitur pluribus infertur nocumentum, negatur antecedens. Et dicitur, quod homo per furtum pluribus poſſet rem ſubſtrahere: tamen per furtum non tantum peccat: ſicut per rapinam: & ſic fur non curat de potentibus vel impotentibus, & ſic ſolum eſt illud de per accidens, quia non peccat explicite contra dominum.

Ad ſecundam partem quando dicitur, homines plus verecundantur per furtum, quàm per rapinam, conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Ad probationem dicitur, quòd licet homines plus verecundantur, hoc tamen eſt propter turpitudinem modi procedentis: ſed non quia pluribus injuriatur. Ad tertiam probationem: cum dicitur furtum ſit cum dolo & fraude, conceditur; & dicitur quod injuriæ & fraudes illatæ domino rei in rapina præponderant dolo & fraude commiſſis in furto: quia in tali dolo non dat aliis occaſionem ruinæ & ſcandali. In rapina autem eſt ſubſtractor ruinæ ſcandali, & diſplicentiæ domini, vilipenſionis, & multorum aliorum malorum.

Sed tunc dubitatur. Utrum in aliquo tali caſu furtum eſt licitum? Arguitur quod ſic: quia aliquis in neceſſitate conſtitutus poteſt furari panem, vel aliquid aliud ad nutriendum ſe. *Dubium. Arguitur.*

Secundò furtum non eſt de ſe malum: igitur licite poſſet fieri, patet conſequentia. Et antecedens probatur: quia præceptum fuit pueris in Egypto ut furarentur vaſa aurea Egyptiis.

Tertiò ſic: de duobus malis minus malum eligendum, & majus fugiendum: ſed melius eſt furari, quàm homicidium: igitur. Pro iſto dubio notandum eſt, quod triplex eſt actus humanus: quidam eſt de ſe bonus: alius de ſe malus; tertius eſt indifferens: actus qui de ſe eſt bonus non poteſt fieri male: ſed actus alius non poteſt fieri bene: tertius bene & male poteſt fieri, & circa tales ſunt virtutes. Unde furtum de ratione ſui eſt malum. *Notabile. Triplex eſt actus humanus.*

Oppoſitum eſt lex & jura: his notatis, ſit prima concluſio. In nullo caſu licitum *Inoppoſitum.*

tum est furari: patet, quia furari est de se malum.

Ad rationes dubii.

Ad rationes. Ad primam negatur Antecedens, quia tunc talis non raperet rem alienam. Ex his sequitur, quod homo constitutus in necessitate de illis quæ pertinent ad vitæ necessitatem non potest committere furtum.

Ad secundam dicitur, quòd non fuit furtum, nec capitur ibi furtum proprie; sed capitur improprie: scil. pro capere rem alienam invite apparenter & domino non existente.

Unde dicitur, quòd illi qui habebant vasa non erant domini vasorum.

Et aliqui volunt super isto dicere, quod quando aliquis homo peccat mortaliter perdit omnia bona.

Ad tertiam conceditur ad illum sensum; quòd majus malum est magis fugiendum, ubi minus non potest evitari. Et quando dicitur. In casu minus malum est furari quàm homicidium. Dicitur, quòd in tali casu: si homo esset obligatus ad vitium faciendum, quòd tunc non esset furtum, nisi in casu postquam fecerit habeat complacentiam in tali furto commisso: & sic non multùm peccat si non consentiat: postea si sit obligatus facere, tunc propriè ibi non est furtum.

Secundus articulus. Dubia.

Quantum ad secundum articulum videbitur, utrum possibile sit inter solos virtuosos esse amicitia. In secundo videbitur, utrum omnia bona amicorum debeant esse communia.

Arguitur.

Primò contra primum arguitur sic: Inter vitiosos est benevolentia mutua & manifesta. igitur. Consequentia est nota ex terminis. Antecedens patet. Nam visum est inter vitiosos esse benevolentiam manifestam: sic quòd majus bonum alterius volebat.

Secundò: effectus amicitiæ reperitur inter vitiosos homines. igitur, &c. patet consequentia, eo quod ubicunque reperitur proprius effectus alicujus causæ & causa etiam reperitur. Antecedens etiam satis patet; quum proprii effectus amicitiæ sunt convivere & delectari, & voluntatem suam divinæ voluntati conformare, &c. Modò notum est, quòd omnia illa inter Amesium & Amesiam reperiuntur.

Tertiò sic: inter bonos & malos reperitur justum. ergo. Consequentia patet per Philosophum, 6. *Ethicorum* dicentem, *quòd inter quoscunque reperitur justum, inter illos reperitur amicitia.* Antecedens patet, quia in omni communicatione justitia est necessaria.

In Oppositum.

Oppositum est de intentione Philosophi Sexto Ethicorum: & etiam de intentione Tullii in libro suo de amicitia. Etiam ex intentione Senecæ in epistolis multis.

Primum notabile.

Pro quo notandum est, quòd si uramur istis terminis, scil. amicitia & amor proprie, tunc se habent ad invicem, sicut superius & inferius: nam amor est indifferenter tam ad res animatas, quam inanimatas; sed amicitia est inter res animatas solum, ergo omnis amicitia est amor, & non è contra.

Secundum. Tres conditiones ad amicitiam requiruntur.

Secundo notandum est, quod ad bonam amicitiam requiruntur tres conditiones: prima est inter amicos tales sit benevolentia, videlicet amicus debet velle amico bona, & propter hoc dicimus, nec ad unam rem inanimatam nec ad aliam rem esse amicitiam: quia res inanimata non vult aliquid bonum. Secundò requiritur redamatio inter illos duos amicos. Unde si Sortes diligeret Johannem

nem per se, & non è contra, scilicet, quòd Sortes non diligeretur ab ipso. ibi non est amicitia: tertia conditio est: quod ibi sit manifestatio: scil. quòd amor unius sit manifestus alteri, & è contra.

Unde licet benevolentia sit ad homines ignotos, tamen inter illos non est amicitia. Ex istis patet diffinitio amicitiæ. Amicitia est amor benevolus, mutuus & manifestus. *Definitio amicitia.*

Tertio notandum est, quod utendo hoc nomine amicitia communiter triplex est amicitia: scilicet propter bonum utile, propter delectabile, & propter honestum. Unde licet sit aliquod delectabile bonum, & utile, sive honestum: illud tamen non est propriè amor sive amicitia, cum idem posset esse bonum utile, delectabile, & honestum; scil. virtus. *Tertium. Triplex est amicitia.*

Prima conclusio: Loquendo de bono utili sive delectabili prout distinguitur contra bonum honestum realiter possibile est esse amicitiam inter malos, etiam propter bonum delectabile. Apparet clare. Unde non est dubium, quin inter viventes vitiosè reperiatur amicitia propter bonum delectabile. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: Loquendo de amicitia quæ est bonum honestum, inter solos virtuosos est amicitia. Patet satis conclusio: quia amicitia simpliciter & illa inter simpliciter bonos reperitur. *Secunda.*

Tertia conclusio quæ sequitur est hæc: amicitia est virtus moralis, vel ipsa non est sine virtute morali. Apparet per tertiam conclusionem. *Tertia.*

Notabile.

Pro illo notandum est, quòd amicitia capitur dupliciter. Uno modo pro quadam passione opposita odio: & sic non est virtus moralis. Secundo, pro quodam habitu inclinativo vel inclinante ad benevolentiam mutuam & manifestam, & sic capitur in proposito, & in conclusione. *Dupliciter capitur amicitia.*

Ad rationes istius dubii. quando dicitur, quod inter malos reperitur amicitia: negatur antecedens. Ad probationem negatur, quòd unus velit alteri bonum: quia licet velit alteri bonum utile, vel bonum delectabile: non tamen sequitur, quod illi velit bonum simpliciter, ut hic sumitur: sed solum bonum secundum quid. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam conceditur illa: loquendo de amicitia secundum quid: sed ut hic sumitur negatur. Ad probationem conceditur.

Pro isto notandum est, quod duplex est delectabiliter vivere: quoddam est delectabiliter vivere: loquendo de delectatione simpliciter dicta, & isto modo negatur, quod reperiatur inter malos delectabiliter vivere. Alia est delectatio secundum quid, & sic delectabiliter vivere reperitur inter vitiosos. *Notabile. Duplex est delectabiliter vivere.*

Ad tertiam conceditur illa: loquendo de justa punitione: sed negatur consequentia: loquendo de amicitia simpliciter. Unde sicut justum quandoque sumitur Metaphoricè: sic etiam amicitia capitur Metaphoricè. Unde inter raptores quandoque dividitur rapina, & ibi reperitur rapina bene: scilicet rapina non simpliciter, sed secundum quid: sic amicitia reperitur inter vitiosos non simpliciter: sed secundum quid.

De secundo dubio est videndum: utrum omnia bona amicorum debeant esse communia. *Secundum dubium.*

Et arguitur quòd non, quia inter principem & servum est amicitia, & tamen bona illorum non sunt communia: igitur. Consequentia est nota, & major patet, quia manifestum est, quòd si omnia bona principis essent communia, *Arguitur.*

non esset ratio, quare princeps plus principaretur servis, quam è contra; scilicet servus principi.

Secundò, illud non est ponendum per quod amicitia frequenter corrumperetur: sed per hoc: quod bona amicorum essent communia amicitia corrumperetur: ergo non est licitum: ergo &c. Consequentia patet, & major & minor: quia forsan unus esset magis negligens quam alius: & sic oriretur lis: & dissolveretur amicitia.

In oppositum. Oppositum patet per illa quæ tractantur in Sexto & Quarto Ethicorum, & per Tullium & Senecam dicentes; *quod amicus est alter ipse.*

Primum notabile. Primò notandum est, quod servi sunt & dicuntur sex modis: quidam sunt per naturam: quidam per violentiam: quidam per indigentiam: quidam per malitiam: quidam per denominationem extrinsecam: quidam per benevolentiam. Unde servi per naturam sunt illi, qui licet corpore sint robusti, tamen industria, capacitate, & subtilitate ingenii deficiunt sine intellectu, sicut patet in principio hujus libri. Domini sunt qui corporibus sunt debiles, tamen industria, capacitate, & intellectu sunt florentes, & sic inter dominos & servos suos reperitur amicitia vera. Servi per benevolentiam sunt illi, qui licet quoad mores sunt aliis æquivalentes, verumtamen propter benevolentiam & benignitatem volunt aliis famulari: & inter tales servos, & dominos suos est vera amicitia. Sed servi per indigentiam sunt illi, qui ut succurrant suæ paupertati aliis ditioribus famulantur à quibus recipiunt emolumenta, per quæ vita eorum sustentatur: & inter tales servos & dominos suos est bene amicitia. Sed servi per malitiam sunt homines mali, qui famulantur aliis, ut habeant delectationem malè agendi: sed domini eis correspondentes sunt illi, qui ex vocatis nobilibus procreantur, & clarum est, quod secundum veritatem quandoque stat, quod servi secundum denominationem sint meliores, quam domini eis correspondentes. Sed alii sunt servi per violentiam: scil. quando unus per alium compellitur alteri famulari, & tales servi sunt frequenter boni, sed inter tales & dominos suos eis correspondentes non reperitur vera amicitia.

Secundum. Duplicia sunt bona amicorum. Secundò notandum est, quod bona amicorum sunt duplicia: quædam sunt intrinseca, quædam extrinseca. Intrinseca sunt duplicia: scilicet, bona animæ, & bona corporis, ut robur & sanitas. Bona extrinseca sunt sicut divitiæ, & bona fortunæ.

Tertium. Tertiò notandum est, quod dubium dupliciter intelligitur. Uno modo per participationem. Alio modo per auctoritatem.

Quartum. Quartò notandum est, quod dubium potest adhuc dupliciter intelligi. Uno modo quoad usum. Alio modo quoad dominium.

Prima conclusio. Prima conclusio: Loquendo de bonis interioribus amicorum illa bona debent esse communia, ad istum sensum, quod amicus debet velle, quod amicus ejus habeat tanta bona sicut ipse: Patet, quia verus amicus debet se amico conformari, sic quod ipsorum idem debet esse nolle et velle.

Secunda. Secunda conclusio: Loquendo de bonis exterioribus amicorum bona debent esse communia quoad usum. Patet clarè, et hoc verum est quoad participationem.

Tertia. Tertia conclusio: Loquendo de bonis extrinsecis, amicorum bona non debent esse communia quoad dominium. Ista conclusio probatur per quartam

rationem

rationem in principio hujus articuli. Patet etiam, quia tale dominium potest esse causa dissentionis et destructionis talis amicitiæ.

Ad rationes istius dubii. Ad primam: quando dicitur, inter dominum et servum est amicitia. Negatur illa, loquendo de servis propter malitiam et de domino sibi correspondente, sed de alus servis bene conceditur: tamen hoc non obstante bona amicorum sunt bene communia quoad usum. *Ad rationes dubii.*

Quantum ad tertium articulum; Respondendum est ad quæstionem de comparatione justitiæ & amicitiæ, & ut responsio melius videatur; tria videbuntur. Primò videbitur, utrum proprius actus justitiæ sit alteri tribuere quod suum est. Secundò videbitur, utrum justitia sit principalissima virtus. Tertiò erunt conclusiones de quæsito. *Tertium articulus. Tria dubia.*

Primò arguitur quod non, quia dicit August. decimo-quartò de Trinitate: *ad justitiam subvenire pertinet misereri*, Modò non tribuimus miseris quod suum est, immo quod nostrum, igitur. Patet consequentia, & major in loco allegato. Minor nota est, quia nunquam fit subventio miseris de bonis propriis eorum. *Arguitur.*

Secundò sic: ad justitiam non solum pertinet res dispensare debito modo: sed etiam actiones vitiosas corrigere: sed distribuere alteri quod suum suum est pertinet ad dispensare res. ergo.

Tertiò sic: Nam Tullius dicit Primo de Officiis. *Justitia, quam liberalitatem licet nominari, virtus est.* Modò liberalitas non retribuit alteri quod suum est: immo quod proprium est.

Oppositum arguitur per Ambrosium in libro de Officiis dicentem, quod *Justitia tribuit unicuique quod suum est, alienum non vendicat, & propriam utilitatem negligit, communem utilitatem custodit.* *In oppositum.*

Pro quo notandum est, quod materia justitiæ est operatio exterior, secundum quam res, qua per justitiam utimur, proponitur alteri personæ ad quam sumus ordinati per justitiam: quia dicitur Quinto Ethicorum, quod justitia est ad alterum. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod illius est res cui secundum æqualitatem proportionis, & secundum proportionem æqualitatis debetur ipsa res. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quod licet ipsa justitia sit virtus cardinalis, tamen multas alias virtutes particulares sibi assumit; imo dicitur Quinto Ethicorum, quod *est principalissima virtutum*, & quod *est tota virtus.* *Tertium.*

Conclusio responsiva: proprius actus justitiæ est tribuere unicuique quod suum est. Probatur: nam justitia est ad rem exteriorem, qua per justitiam utimur, & talis res est illius cui debetur secundum proportionem æqualitatis: ergo est proprius actus justitiæ: Unde exercendo proprium actum justitiæ, ille qui se habet ad alterum dat sibi quod suum est. *Conclusio responsiva.*

Ad rationes. Ad primam ad auctoritatem August. bene conceditur: non tamen quantum est de proprio actu justitiæ: sed in quantum assumit sibi alias virtutes; ut amicitiam & pietatem. *Ad rationes.*

Ad secundam dicitur eodem modo, quod hoc non est de proprio actu justitiæ, ut justitia: sed in quantum assumit sibi illas virtutes.

Ad tertiam quæ est auctoritas Tullii dicitur, quod non voluit, quod realiter justitia sit liberalitas, sed quod secum convenit in pluribus.

Arguitur. Quantum ad secundum dubium. Arguitur quod non: Nam liberalitas est perfectior justitia. igitur. Patet consequentia. Et antecedens probatur: quia per liberalitatem homo subvenit alteri de proprio.

Secundò sic: fortitudo est perfectior justitiâ. igitur. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia dicitur Secundo Ethicorum, quod virtus est circa difficilè. ergo sequitur, quod quanto est magis difficile, tanto est perfectior, quia terribilissimum omnium est mors.

In oppositum. Oppositum arguitur: nam dicit Tullius de Offic. *Justitia fructu optimus est, ex quo justitia boni viri nominatur.* Ex quo dicto trahitur, quod inter virtutes omnes fructus justitiæ est optimus, & per consequens, ipsa est optima. Item idem est de intentione Philosophi Quinto Ethicorum, ubi dicitur, quod justitia est præclarissima omnium virtutum.

Primum notabile. Pro quo notandum est, quod dupliciter possumus loqui de justitia. Nam quædam est universalis: Alia particularis.

Secundum. Secundò notandum est, quod justitia subjectivè est in appetitu rationabili; scil. voluntate: sed aliæ virtutes sunt in appetitu sensitivo, prout videri potest in Secundo Ethicorum.

Tertium. Tertiò notandum est, quod justitia qualitercunque capiatur, non solum proficit habenti, immo alteri etiam.

Conclusio responsiva. Ex istis elicitur conclusio responsiva: Justitia, qualitercunque capiatur, est præcipua virtus, seu principalissima. Probatur: primò si sumatur pro justitia regali in universali non est dubium: sed & pro justitia particulari, patet, quia est in nobiliori subjecto, ut puta in appetitu rationabili. Secundò probatur ex parte objecti, quia justitia ista proficit habenti ipsam, & cum hoc alteri: sed aliæ virtutes secundum propriam rationem non proficiunt, nisi habentibus ipsas. Modò bonum quanto communius tanto melius, & ideo dicit Philosophus, quod *justitia est qua juste operamur & volumus.*

Ad rationes secundi dubii. Et tunc ad rationes. Ad primam negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod licet hoc sit verum, tamen justitia pluribus proficit: & dicitur, quod liberalitatis de propria ratione non est aliquid alteri tribuere de proprio: & hoc quoad actus interiores, ut patet in paupere liberali.

Ad secundam negatur antecedens. Et quando dicitur, quod virtus est circa difficile Secundo Ethicorum *&c.* negatur consequentia: sed bene sequitur, quod quanto virtus est circa difficilius & melius tanto est melior. Modò justitia est circa melius, ut patet ex dictis.

Tertius articulus. Quantum ad tertium articulum, seu punctum est videndum de quæsito principali.

Notabile. Et est sciendum quod quæstio intelligitur de justitia sententiativa, punitiva, & executiva illorum quæ insunt & pertinent in meritis & demeritis, videlicet pro quodam habitu rigoroso, quo princeps inclinatur ad puniendum & judicandum, ut jura sonant: Et sic patet sensus tituli quæstionis.

Prima conclusio. Prima conclusio: Ad bonum regimen politiæ & civitatis necessaria est justitia. Patet, quia illud est necessarium ad regimen politicum, sine quo habito conversatio hominum simul habitantium non est tranquilla: sed ita est sine justitia, ut notum est. Et ideo dicit Philosophus Tertio hujus, quod oportet principem esse potentem; non sic, quod potentia sua potentiam totius multitudi-

nis

nis excedat, ut ibi dicebatur, sed quod potentia sua potentiam particularem excedat.

Secunda conclusio est ista: Ad bonum regimen politicum, sive civile necessaria est amicitia. Probatur, quia requiritur amicitia principis ad subditos: & subditorum ad principem: ergo. Patet consequentia. Et antecedens probatur per Philosophum Quarto hujus. *Secunda.*

Tertia conclusio: Ad bonum regimen politiæ, sive civitatis illa duo requiruntur & sufficiunt, scilicet amicitia & justitia. Patet primò de justitia particulari, & secundò de amicitia per conclusionem præcedentem. Ideo dicit Philosophus Quinto Ethicorum, quod *legislatores puniunt injustos ipsos revocantes ad bonum, & alios retrahentes à malo.* *Tertia.*

Quarta conclusio: Si in politia omnes essent amici, & de perseverantia aliquid constaret, non requireretur justitia. Probatur, quia omnes essent amici. *Quarta.*

Quinta conclusio: Si esset in optione principis vivere cum justitia sine amicitia, vel cum amicitia sine justitia, esset amicitia eligenda. Patet, quia amicitia habet naturam conservare. *Quinta.*

Sexta conclusio & responsiva: simpliciter loquendo de bono regimine politico, justitia est amicitiæ præferenda. Probatur, quia justitia est ad inferiores, ad æquales, & ad superiores, amicitia vero ad æquales. igitur. Patet consequentia, quia tunc est communior. Et antecedens pro qualibet parte est notum. & quod amicitia sit solum ad æquales. Patet per Philosophum Octavo & Nono Ethicorum. *Sexta. Conclusio responsiva.*

Secundò sic: si justitia non esset præferenda amicitiæ, sequeretur, quòd in casu licitum esset mentiri. consequens est falsum. quia dicitur Tertio Ethicorum, melius est mori quam aliquid turpe commitere, probatur consequentia, quia si quæratur amicus propter furtum & meruit mori, & veniret ad cameram meam, tunc deberet dicere, quòd non esset ibi, si amicitia esset præferenda. Item patet per Philosophum Primo Ethicorum duobus existentibus. Item etiam patet per multos patres antiquos & sanctos, qui ita fecerunt.

Et si adducatur auctoritas Tullii in qua dicitur: *ego vos possum hortari, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis.* Dicitur quod comparat amicitiam ad omnia bona exteriora & extrinseca, quæ sunt bona fortunæ.

Ad rationes ante oppositum dicitur, quòd sunt pro ista conclusione.

Et rationes post oppositum sunt pro dictis.

LIBER

LIBER SEXTVS POLITICORVM.

QVÆSTIO I.

De Difficultate Voluntatis.

Circa initium sexti libri politicorum Primò quæritur. Utrum voluntas humana in aliquo actu suo potest difficultari?

Arguitur. Et arguitur quod non, quia si sic: sequeretur, quòd voluntas esset infinitæ virtutis, vel quòd ipsa posset impossibilitari. Consequens est falsum, pro utraque parte. Et patet consequentia. Nam detur unus actus respectu cujus per adversarium difficultatur: vel ergo infinitos tales potest elicere, & si sic, est infinitæ virtutis: vel non potest infinitos, & signentur actus illi, vel ergo potest producere ultra: & sic est adhuc infinita; vel non, & sic impossibilitatur.

Secundò sic: voluntas humana in instanti actum suum elicit: ergo. Patet consequentia: quia difficultas est causa successionis. Et antecededens probatur, primò, quia non est ibi aliqua resistentia ex parte voluntatis. Item ex alio, quia voluntas est indivisibilis; ergo & actus ejus. Item si sic: sequeretur, quòd ad qualitatem de prima specie esset verus motus.

Tertiò sic: voluntas humana æque libere se habet respectu utriusque oppositorum. igitur, non potest difficultari. consequentia est nota, quia voluntas intrinsecè est libera.

Quartò: nullus actus voluntatis est contra voluntatem, igitur. Patet consequentia. quia secundum Anselmum de libero arbitrio: nihil est pœnale vel tristabile voluntati, nisi illud quod est contra voluntatem. Et antecedens patet per Anselmum in libro de Conceptu virginali capitulo quarto, ubi expresse hoc ponit.

In oppositum. Oppositum arguitur. nam voluntas humana difficultatur circa suspensionem actus

actus circa delectabile. ergo etiam difficultatur circa objectum tristabile. Patet consequentia à simili. Antecedens patet per experientiam.

Secundò sic: Nam secundum processum Philosophi Secundo Ethicorum: *difficilimum est invenire medium virtuosum inter duas malitias*: & sunt duo modi quibus contingit errare, & tamen hoc fit per voluntatem.

Tertiò sic: si homo potest facere duo bona, quorum unum est alio majus, si faciat minus bonum, & dimittat majus bonum; præcipiet voluntatem mirabiliter difficultari, igitur.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur, si homo potens facere duo bona quorum unum est majus alio, dimittendo majus & faciendo minus, sic faciat vitiosè. In secundo videbitur de quæsito principali.

Quantum ad primum articulum. Arguitur quod non; quia talis faciens minus bonum agit cum debitis circumstantiis: ergo virtuosè operatur. consequentia patet. Et antecedens probatur, quia talis operatur cum bona intentione, ut patet, & ad bonum finem intendit. Et confirmatur. quia si talis faceret minus bonum non considerando majus, non ageret vitiosè, sed virtuosè. *Primus articulus.*

Secundò sic: Homo quandoque faciendo majus bonum & dimittendo minus peccat: ergo. Patet consequentia, & antecedens probatur. In casu quo homo videret aliquem in necessitate extrema, sic quòd moreretur nisi subveniretur ei: & tunc vadat ad defensionem reipublicæ, tunc faciet majus bonum, & tamen peccabit, quia fit homicidia.

Tertiò sic: ille qui sic se habet facit sic, quòd si oppositum faceret ipse peccaret. ergo. Patet consequentia. Et antecedens probatur, quia si unus nunc faciat bonum; & oppositum faciat ipse peccat.

Oppositum patet per rationem post oppositum. quia si de duobus malis majus malum est fugiendum; ita etiam in proposito de duobus bonis majus bonum est eligendum. *In Oppositum.*

Conclusio responsiva: ponens duo bona quorum unum est alio majus, si faciat minus dimittendo majus, talis virtuosè agit in casu aliquo. Probatur conclusio per rationem factam. *Conclusio responsiva.*

Et confirmatur, quia nunquam esset comedere vel bibere. Consequens est falsum. Et probatur consequentia. quia comedere est bonum, ut si fiat quando fieri debet, & tamen orare est majus bonum. Modò utrumque homo potest facere successive, & si sic non esset, deberet dimittere comedere, & deberet orare Deum. consequens est falsum. Patet, quia statim moreretur.

Secundò sic: si sic, sequeretur, quòd homo deberet eligere vitam austeram ducere per totum tempus vitæ suæ, consequens est falsum. patet consequentia, quia melius est toto tempore vitæ suæ propter Deum austerè vivere, quam per unum diem austerè.

Sed contra hoc arguitur. talis non facit hoc quod ipse tenetur facere semper quia semper talis tenetur facere majus bonum. *Arguitur.*

Secundò, quia quanto bonum majus est, tanto ejus carentia est pejor; sed sic est, quòd majus bonum est multò melius minori. igitur. Minor patet per experientiam.

Tertiò sic: ille operatur vitiosè, qui pervertit debitum & justum ordinem: sed talis qui sic vitiosè agit est hujusmodi. quia secundum rectum ordinem ma-

jus bonum semper debet minori bono præferri, & ideo bonum commune præferendum est bono privato.

Primum notabile. *Quis tenetur ad aliquid dupliciter.*

Pro solutione istarum rationum. Notandum est primò, quòd aliquis ad aliquid tenetur dupliciter. Uno modo ex præcepto & ex obligatione; Et isto modo dicitur, quòd ille qui vult facere duo bona quorum unum est majus alio, non tenetur majus bonum facere. Alio modo de congruitate quadam & electione, & ex superarrogatione, ut homo non tenetur comedere carnes die sabbati & isto modo conceditur, quòd homo tenetur facere majus bonum dimittendo minus bonum. Tamen & oppositum faciat, non peccat. Et sic patet, quòd tales rationes non concludunt.

Secundum articulus. *Prima conclusio.*

Quantum ad secundum articulum sit Prima conclusio: habitus difficultant voluntatem in eliciendo actus contrarios actibus illorum habituum. Probatur, quia habitus temperantiæ difficultant voluntatem ad faciendum actum intemperantiæ sicut patet de habitu liberalitatis &c. Et aliter probatur ratione: quia habitus oppositi facilitant voluntatem ad faciendum, ergo alii ejus oppositi difficultant eam. Patet consequentia, quia oppositorum oppositæ sunt operationes: & antecedens probatur, quia habitus reddunt voluntatem ita promptam, quòd sine difficultate & rebellione elicit actum delectabiliter & prompte.

Secunda.

Secunda conclusio est ista: passiones difficultant voluntatem ad faciendum actus oppositos & contrarios actibus ad quas illæ passiones inclinant. Et ob hoc dicit Philosophus, quòd Juvenem sic vel sic differre assuefaci Secundo Ethicorum.

Conclusio responsiva.

Ex isto sequitur conclusio responsiva; quòd nullo modo potest voluntas humana impossibilitari & violentari. patet, quia oppositum implicat, eo quòd voluntas intrinsecè est libera. prædictis non obstantibus voluntas humana potest difficultari in suis actibus.

Ad rationes.

Ad rationes. Ad primam negatur consequentia pro utraque parte. Ad probationem cum dicitur, quod detur unus &c. Dicitur, quòd infinitos actus potest elicere sumendo infinitos syncategorematice, licet non capiendo infinitos categorematice.

Ad secundam cum dicitur, quòd voluntas &c. Negatur antecedens. Ad probationem. quia non est resistentia, Dicitur quòd imo saltem large. quia non possunt omnia simul applicari: quia voluntas non fertur nisi in præcognitum vel præconsideratum, & dicitur, quod quantum est ex parte voluntatis non esset possibile, quòd in instanti mutaretur. Ad probationem secundam. quia voluntas est indivisibilis, conceditur: sed quoad actus non est divisibilis extensive, sed bene intensivè, & hoc non est inconveniens, quòd indivisibile extensivè sit divisibile intensivè.

Ad tertiam: quia sequeretur ad primam speciem qualitatis &c. Dicitur, quòd non est motus, ut capitur Septimo Physicorum, quia intelligitur de motibus immediatis, & non de motibus per modum sequelæ.

Ad tertiam principalem; cum dicitur voluntas humana æque libere se habet &c. conceditur: sed hoc non est æque facile.

Ad quartam: cum dicitur: nullus actus voluntatis est contra voluntatem, negatur illa: tamen non necessitatur.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆST.

QUÆSTIO II.

De Principantis Scientia.

QUæritur secundò. Utrum ad rectè principandum requiratur scientia?

Arguitur quod non: quoniam ad rectè principandum illud quod non habet differentiam respectu boni vel mali non requiritur; sed scientia in principante est hujusmodi. ergo non requiritur. Consequentia est nota, quia tale non debet plus haberi ad operandum benè quam malè, vel è contra. igitur. Minor probatur rationes quia scientia quandoque est in malo homine, & in hominibus simpliciter vitiosis. *Arguitur.*

Secundò sic: ad rectè principandum non requiritur illud quod non habet rationem boni, nec reddit habentem bonum: Sed scientia est hujusmodi; ergo non requiritur in principante. Major patet ex terminis, & minor probatur, nam secundum Philosophum Secundo Ethicorum; *intellectus propter scientiam non dicitur bonus sed verus.*

Tertiò sic: ad rectè principandum sola libertas voluntatis requiritur. ergo non requiritur talis habitus superadditus principanti. Patet consequentia, quia si sic: frustra haberetur talis habitus. Antecedens patet, nam cum voluntas sit libera potest elicere actum rectum, & dimittere perversum & vitiosum, circumscripto quocunque habitu inclinante voluntatem.

Quartò sic: ad directionem actuum humanorum, & vitæ humanæ non requiritur aliquis habitus, immo sola naturalis industria. igitur. Consequentia est nota. Et antecedens patet, primò, quia videmus aliquos juvenes bonæ industriæ, qui dirigunt vitam sine extrinseco adjutorio. Et antecedens patet per Philosophum Sexto Ethicorum dicentem: nihilominus videntur simul mores existere confestim à nativitate.

Oppositum est de intentione Philosophi in isto Sexto capitulo. Et arguitur sic ratione: ad rectè principandum requiritur regula directiva principis in actu principandi, & talis regula est scientia; igitur. major patet, quia de facili propter passionem principans mutaretur, & minor nota est, quia scientia est habitus directivus intellectus. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo videbitur, utrum ad rectitudinem humanorum actuum, & ad directionem vitæ requirantur virtutes cum prudentia. *Primum articulum.*

Quantum ad primum articulum. Notandum est primò, quod scientia, prout ad propositum sufficit, capitur dupliciter. Uno modo propriè, pro quodam habitu speculativo vero, & etiam firmo acquisito per demonstrationem vel demonstrationes. Et sic capitur Sexto Ethicorum, ubi ponitur habitus distinctus ab aliis habitibus intellectualibus. Secundo modo capitur largè & communiter pro habitu vero & necessario acquisito ex evidentioribus, sive talis habitus sit practicus, sive speculativus: Et isto modo non distinguitur contra artem, prudentiam, & sapientiam, & isto modo habitus prudentialis dicitur scientia. *Primum notabile. Scientia capitur duobus modis. Secundum.*

Secundò notandum est, quod differentia est inter habitus intellectuales & morales, *Differentia est inter habitus intellectuales & morales.*

morales, quia habitus intellectuales bene stant cum malitia morali, seu culpa; sed habitus morales bene nunquam? Alio modo differunt, quia habitus intellectuales perficiunt intellectum, ut sic: & dirigunt, sed morales perficiunt appetitum, sive appetitivam partem.

Tertium notabile.

Tertiò notandum est; quod quilibet volens dirigere ordinata in aliquem finem indiget aliquo habitu directivo, quo dirigatur in ordinando talia in suum finem.

Quartum.

Quartò notandum est, quod secundum diversitatem politiarum variantur habitus directivi talium politiarum in suos fines, sive talis habitus sit bonus simpliciter, sive apparenter. Apparet primo de regali politia, quia alius habitus ibi requiritur ad dirigendum ipsam in suum, & alius in politia transgressa, & sic de aliis.

Quintum.

Duplex est differentia inter artem & prudentiam.

Differentia est inter agibilia & factibilia.

Quintò dicitur, quod duplex est differentia inter artem & prudentiam. Prima differentia est ex parte objectorum, quia ars est circa factibilia, & prudentia est circa agibilia. Alia differentia est: nam prudentiam præcedit appetitus ordinatus & regulatus, sed artem non. Nam aliquis potest benefacere secundum artem aliquid, qui tamen est perversus & malus. Unde pro evidentia sciendum est, quod proprie utendo istis terminis agibilia & factibilia differunt. Unde factio est quando actio transit in materiam extrinsecam; sicut unus faber quando facit cultellum: Sed actio dicitur operatio, quæ non transit in materiam extrinsecam, sed manet in agente, ut sunt nolitio & velitio, & sic de aliis.

Sextum.

Differentia est inter duas propositiones.

Sextò notandum est, quod istæ duæ propositiones multùm differunt, scilicet habitus talis est bonus habenti eum, & talis habitus est bonus habenti eum quoad usum. Unde habitus qui dicitur ars fabrilis est bonus cuilibet, quia perficiens intellectum: sed non est bonus regi quoad usum, quia per hoc impediretur à majori bono.

Ex isto sequitur corollariè, quod licet scientia speculativa esset bona simpliciter in politia; tamen non esset sibi bona simpliciter quoad usum in ordine ad politiam; quia forsan impediretur.

Septimum.

Quid sit principem rectè dirigere politiam suam.

Septimò notandum est, quod principem rectè dirigere suam politiam non est aliud, quam politiam ordinate in suum proprium finem; sive talis sit bonus simpliciter, sive non. Unde Tyrannus ordinando Tyrannidem in suum finem, bene dicitur dirigere suam Tyrannidem.

Prima conclusio.

Prima conclusio: ad rectè principandum non requiritur scientia in principante, & hoc sumendo scientiam propriissimè. Probatur, nam habitus speculativus non est activus, neque factivus; ergo. Patet consequentia, quia talis habitu non indiget in regendo suam politiam. Antecedens notum est.

Secunda.

Secunda conclusio: sumendo scientiam largè, scilicet, secundo modo; ad rectè principandum in politia requiritur in principante scientia. Patet satis ex notabilibus. Nam bonus principans debet ordinare politiam suam in finem, in quem debet ordinari, & indiget habitu quodam directivo, & talis habitus non est speculativus, ut dictum est in prima conclusione, & non est etiam factivus. ergo est prudentia; & sic capitur hic scientia, ut se extendit ad prudentiam.

Dubium.

Sed dubitatur circa hoc, quia si sic esset; sequeretur, quod nullus principans debitè seu rectè principaretur, nisi esset virtuosus perfectè. Consequens est falsum,

falsum, ut patet de Tyranno ordinante Tyrannidem in suum finem, & sic ille Tyrannus diceretur non rectè principari; & consequentia manifesta est de se.

Pro quo sciendum est, quod dupliciter capitur prudentia: Uno modo pro perfecta prudentia; scilicet pro habitu prudentiali dicto simpliciter, & sic dicitur, quod prudentia est annexa aliis virtutibus, & sic dicitur quod non est possibile, quin princeps isto modo sit virtuosus. Alio modo capitur pro prudentia secundum quid, quæ dicitur astutia, & dicitur habitus directivus quo dirigitur aliquid in suum finem, & sic requiritur prudentia illo modo; & non oportet, quod sit virtuosus habens prudentiam. Et sic patet, quid sit dicendum ad instantiam. *Notabile.* *Dupliciter capitur prudentia.*

Unde dicitur, quod non requiritur prudentia propriè dicta, sed largè capta quam non oportet esse virtutem. *Responsio.*

Quantum ad secundum articulum. Videndum est primò: Utrum ad rectitudinem actuum humanorum, & ad directionem vitæ humanæ requiruntur virtutes morales cum prudentia. *Secundus articulus.* *Dubium.*

Et est notandum, quod licet vita quandoque capiatur pro prima vita; scilicet pro anima, tamen hic capitur pro vita secunda; scilicet pro vitali operatione procedente ab anima. *Primum notabile.* *Quomodo hic capitur vita.*

Secundò notandum est, quod vita sic capta est duplex: Quædam est speculativa, seu contemplativa. Alia est vita activa, & hoc declaratur, quia uniuscujusque vita est illud quo maximè delectatur: & quæritur modo aliqui sunt, qui maximè intendunt Deo; & tales habent vitam contemplativam. Alii sunt qui maximè intendunt, & etiam delectantur in operibus exterioribus, & secundum istos duos fines circa homines sumuntur illæ duæ vitæ. Modò quæstio intelligitur de vita activa specialiter. *Secundum.* *Duplex est vita sic capta.*

Tertiò notandum est, quod inter vitam activam & contemplativam sunt multæ differentiæ. *Tertium.* *Differunt vita activa, & vita contemplativa septem differentiis.*

Prima: quia objectum vitæ contemplativæ est prudentia & veritas quæ Deus est, & objectum activæ est extrinsecum opus.

Secunda differentia: quia in vita contemplativa homo est sibi-ipsi per se sufficiens. sed in vita activa non.

Tertia differentia est: quia vita contemplativa propter se quæritur, vita autem activa non, sed propter contemplativam quæritur.

Quarta differentia est: quia vita contemplativa est magis directiva actuum, quam activa.

Quinta differentia est: quia vita contemplativa est secundum illud quod est magis proprium homini; scilicet per vires intellectuales. Vita autem activa est circa vires inferiores, in quibus convenit cum brutis.

Sexta differentia est: quia in vita contemplativa est multò major delectatio, quam in activa.

Septima: quia vita contemplativa est circa divina. Activa vero circa humana. Ex quo sequitur, quod vita contemplativa est multò excellentior, quam activa.

Quartò notandum est, quod ad vitam contemplativam tria requiruntur: Primò requiruntur virtutes morales, tanquam dispositivæ ad vitam contemplativam, *Quartum.* *Ad vitam contemplativã tria requiruntur.*

nivam. Unde virtutes morales habent diminuere & remittere passiones, & impetus, qui frequenter nocent ad vitam contemplativam ducendam. Secundò requiritur contemplatio actuum divinorum, quatenus per illos deveniamus ad veritatem. Tertiò requiritur contemplatio divinæ voluntatis.

Quintum. Quintò notandum est, quod actus humani sunt duplices; nam quidam sunt
Duplices sunt actus humani. boni de genere, non tamen meritorii: ut si aliquis subveniat pauperi amico. Alii sunt boni, & cum hoc meritorii.

Sextum. Sextò notandum est, quod ad directionem vitæ humanæ requiruntur duo;
Ad directionem vita humana duo requiruntur. scilicet rectus appetitus de fine, & quod recto modo appetatur. Secundò requiritur vera & recta directio intellectus: scilicet quod dirigat quod est faciendum.

Septimum. Septimò notandum est, quod differentia est inter prudentiam ex una parte,
Differunt prudentia & virtutes morales. & alias virtutes morales ex alia parte. Unde prudentia est habitus intellectivus quo scitur quid sit agendum. Sed habitus moralis est habitus executivus illius quod est ordinatum & sententiatum, & determinatum per intellectum unà cum prudentia.

Primum corollarium. Ex isto patet, quòd prudentia est respectu mediorum ordinatorum in finem: sed virtus moralis est respectu finis.

Secundum. Secundò sequitur, quod prudentia est virtus intellectualis propriè, & virtus moralis non.

Tertium. Tertiò sequitur, quod prudentia habet dirigere intellectum; sed virtus moralis appetitum, seu voluntatem.

Quartum. Quartò sequitur, quod isto modo prudentia non est aliis virtutibus annexa, imo nulli virtuti moraliz in casu quo voluntas se difformaret judicio intellectûs, ità quod traheretur ad judicium sensûs: tamen prudentia aliter capitur; scilicet pro habitu intellectuali directivo agibilium humanorum, & executivo illius quod demonstratum est per rationem & intellectum: & ista modo est annexa aliis virtutibus moralibus.

Prima conclusio. Prima conclusio: ad habitum esse bonum moraliter requiritur adeptio finis possibilis intenti, seu boni operatio. Probatur, quia nisi sic; sequeretur, quod talis habitus esset nobis malus, consequens est falsum, & patet consequentia, quia si per talem habitum appetitus appeteret finem, & tamen finis non esset nobis possibilis: tunc illa adeptio plus nobis noceret quam valeret.

Corollariè sequitur, quod in homine non est habitus bonus moraliter inclinans ipsum ad perpetuationem ipsius, & in individuo patet, quia non est possibilis.

Secunda. Secunda conclusio: adeptio finis optati debet esse per medium bonum honestum & licitum. Primò patet sic: quia aliàs talis vita non esset bona. Secundò: quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.

Tertia. Tertia conclusio est ista: ad directionem vitæ humanæ requiritur quòd dispositio mediorum ordinatorum in finem sit bene circumstantionata, & discreta, & bona. Patet, quia si haberet finem bonum, & haberet medium à casu, & non à sua prudentia, non propter hoc vita sua esset bona.

Quarta. Quarta conclusio: ad directionem vitæ humanæ requiritur prudentia. Patet, quia prudentia dat nobis omnia media quibus possumus contra prædicta remediare. Item ad directionem vitæ humanæ requiritur regula directiva; ergo

go. &c. patet consequentia, quia talis regula est prudentia, & Antecedens est notum.

Quinta conclusio: ad directionem vitæ humanæ non sufficit prudentia primo modo, capiendo prudentiam scilicet pro habitu intellectuali discertivo bonorum: patet, quia cum tali habitu bene staret vitium, quia cum hoc requiritur appetitus rectus dirigens actus suos scilicet humanos secundum illam regulam, quæ est prudentia. *Quinta conclusio.*

Sexta conclusio: ad directionem vitæ humanæ, & rectitudinem actuum humanorum requiruntur & sufficiunt virtutes morales & prudentia: & intelligitur de rectitudine vitæ humanæ, & etiam de directione vitæ humanæ, quantum est possibile homini ex puris naturalibus, & sine influentia Dei speciali & miraculosa. Ista conclusio patet ex dictis: nam dicebatur prius, quòd duo sufficiebant ad directionem vitæ humanæ, scilicet, quæ prius dicta sunt, & hoc de isto. *Sexta.*

Ad rationes. Ad primam & secundam, quæ arguunt consimiliter, dicitur: quòd ipsæ bene arguunt de scientia speculativa, sed conclusio intelligitur de scientia morali activa, sive practica; scil. de habitu prudentiali directivo actuum humanorum. *Ad rationes.*

Ad tertiam conceditur quod voluntas humana est libera, non tamen est in sua libertate eligere actum bonum moraliter, vel meritorium ut sic; quia requiritur in intellectu prudentia, quia intellectus est sæpe seducibilis, quia aliquando sub majori male subsumit, & sic indebite infert conclusionem. Sub hac enim majore; omne bonum est faciendum, male subsumit, furari pro dando pauperibus est bonum; ergò furari est faciendum. Negetur consequentia, quia est deceptio in minore.

Ad quartam: quando dicitur quod ad recte principandum sufficit sola industria: dicitur quod non: unde licet aliquis ex naturali inclinatione inclinetur ad confestim volendum secundum rectam rationem, tamen potest impediri per appetitum continuè adversantem rationi.

Ratio post oppositum, &c.

QUÆSTIO III.

De Agricultura.

QUæritur tertiò, Utrum agricultura sit homini naturalis. Et arguitur quòd non, quia si sic: sequeretur, quòd omnes homines haberent naturalem inclinationem ad agriculturam. Consequens est falsum, & patet consequentia, quia illud quod est naturale alicui speciei convenit individuis ejusdem speciei, quia ignis ardet hic & alibi. *Arguitur.*

Secundo sic sequeretur; quòd omnes homines essent consimiliter inclinati ad agriculturam: consequens est falsum, quia diversis regionibus agricultura diversimode exercetur, & patet consequentia, quia nidificare omnibus avibus convenit, & similiter facere telam araneis omnibus.

Tertio

Tertio sic sequeretur; quòd homo non esset animal sociale seu communicabile; consequens est falsum, ex primo hujus; ubi dicit Aristoteles, quòd *homo est naturaliter animal sociale & communicabile*, & patet consequentia, quia status agriculturæ exigit, quòd agricolæ habitent in agris & in campis.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi in isto Sexto. Unde inter omnes Democraticas multitudines agricultura est melior immo optima. Et potest sic argui ratione: multitudo agriculturæ est pars civitatis: servus est à natura igitur. patet consequentia, quia si totum est naturale, ergo & quælibet pars. Similiter & antecedens probatur pro prima parte ex isto sexto. Et minor patet primo hujus, quia homo non esset animal civile naturaliter. In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo movebuntur dubia.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd aliquid dicitur à natura tripliciter. Primò initiative, & completivè, & perfectivè, sicut sunt herbæ nascentes sine cultura. Secundo modo initiative à natura, & completive ab arte; & sic dicitur quòd panis est à natura. Tertio modo completivè à natura, & ab arte initiative: sicut blada quæ seminantur.

Primum notabile.

Aliquid tripliciter à natura dicitur.

Secundum. Secundo notandum est, quòd titulus quæstionis dupliciter intelligitur: Uno modo, quòd agricultura insit homini à natura tam initiativè quam completivè. Alio modo initiative tantum.

Tertium. Tertio notandum est, quòd adhuc agriculturam inesse homini à natura dupliciter intelligitur. Uno modo, quòd insit homini, & hoc ex parte animæ, seu formæ: sicut risibile inest homini. Secundo ex parte naturæ quod est materia.

Quartum. Quartò notandum est, quod agriculturam inesse homini ex parte materiæ intelligitur dupliciter: uno modo, quòd insit materiæ absolute consideratæ. secundo modo quod insit materiæ sic complexionatæ vel dispositæ.

Quintum. Quintò notandum est, quòd licet complexio vel dispositio naturalis non necessitet intellectum vel voluntatem; tamen frequenter complexio vel dispositio naturalis inclinat intellectum vel voluntatem ad conformandum se multis judiciis. Et ideo dicit Philosophus, quòd natura posuit differentiam inter Dominum & servum, & ideo dicit Philosophus primo hujus, *quòd illi qui bene nutriti sunt in juventute sunt magis subtiles & ingeniosiores.*

Prima conclusio. Prima conclusio. Agricultura non inest homini naturaliter sic; quòd insit homini à natura tam initiative quam completive, quia si sic esset; sequeretur, quòd quilibet homo haberet ad eam naturalem inclinationem. Consequens est falsum, ut notum est; & consequentia nota est de se.

Secunda. Secunda conclusio: agricultura non inest homini à natura sic; quod insit homini ex parte formæ. probatur; quia cum forma sit ejusdem rationis essentialis in omnibus hominibus omnes essentialiter inclinarentur ad agriculturam; quod est falsum.

Tertia. Tertia conclusio: agricultura non inest homini à materia absolutè consideratâ. Patet, quia materia absolute considerata est ejusdem rationis in omnibus hominibus, &c.

Quarta. Quarta conclusio: agricultura inest homini à natura inchoative seu initive, & hoc ex parte materiæ sic vel sic complexionatæ. Patet conclusio: quia aliqui sunt sic dispositi vel ad membra frigida, quòd non possunt ministrare in-

tellectui;

intellectui, & tales non possunt bene mente providere secundum quod est consonum rationi; & tales sunt apti ad grossa opera. Et ob hoc dicit Philosophus primo hujus; quod nobilis est ille, qui potest mente providere, & habet membra inepta ad laborandum. Et oppositum dicit Philosophus de suo. Et quia complexio multum variat judicium intellectus, ideo dicitur Secundo de Anima, quod *molles carne aptos mente dicimus*. Et hoc de primo articulo.

Quantum ad secundum articulum est prima dubitatio: Utrum homo sit naturaliter socialis seu civilis. Arguitur quòd non; quia si sic sequeretur, quòd viri contemplativi & heremitæ, & qui vitam solitariam elegerunt, agerent contra naturam. Consequens est falsum, quia si sic; peccarent; patet consequentia, quia elegerunt multi sancti vitam solitariam, & fugerunt à consortio. *Secundus articulus. Primum dubium. Arguitur.*

Oppositum arguitur primo hujus: scilicet, quod homo est animal naturaliter civile, domesticum, & communicabile. Pro intellectu est notandum, quòd aliquid dicitur dupliciter naturale, uno modo quia convenit omni homini inseparabiliter qualitercunque etiam disposito; ut homini inest risibile. Secundò, quia convenit alicui, sed non omni homini: sed soli homini bene disposito & ordinato secundum exigentiam non orbato nec elevato super communem cursum hominum. *In oppositum. Primum notabile. Aliquid dicitur naturale duplicater.*

Sit ergo prima conclusio: sumendo naturale primo modo; homo non est naturaliter civilis seu communicabilis: patet, quia aliqui eligunt vitam solitariam, ut Deo serviant. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: sumendo naturale secundo modo; homo est naturaliter socialis seu communicabilis. Probatur, quia esse sociale convenit omni homini non orbato, & illam propositionem sic intelligit Philosophus primo hujus. *Secunda.*

Dubitatur secundò: Utrum homo posset licitè vitam solitariam eligere seu accipere. Et arguitur quod non, nam homo solitarius est pessimum omnium animalium: ergo. patet consequentia, & antecedens probatur per Philosophum primo hujus dicentem; quod homo solitarius est incivilis & pessimum animalium. *Secundum dubium. Arguitur.*

Oppositum patet, quia aliàs sancti viri & contemplativi errassent in via meritoriam vitam eligendo. Consequens est falsum. ergo. Pro intellectu hujus dubitationis notandum est, quod homo potest dici tripliciter solitarius: scilicet, à patria & à natura, ab electione & consuetudine. A patria; quia patria est sic male disposita quoad primas qualitates; scilicet quoad caliditatem & frigiditatem; sic quòd aliquando viri de illa patria nolunt ibi habitare; patet satis de illis qui habitant prope Tropicum Cancri; & tales non debent vituperari. Secundo modo à natura, quia licet habitant in bona regione, tamen per suam dispositionem naturaliter malam & complexionem insequuntur vitam solitariam, quia non possunt cum aliis convenire. Tertio ex electione vel consuetudine; quia licet habeant bonam patriam & animam bene habituatam, & materiam bene complexionatam; tamen propter certas causas eligunt vivere solitariè. *In oppositum. Primum notabile. Homo dicitur solitarius tripliciter.*

Secundò notandum est, quòd aliqui possunt eligere vivere solitariè propter duas causas: una est, ut liberius propter hoc & melius vitæ contemplativæ possunt vacare & intendere, & soli Deo servire. Alio modo propter aliam causam: ut propter leprositatem, vel aliam causam. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd aliquis potest dupliciter eligere vitam contem- *Tertium,*

Qui dupliciter elegit vitam contemplativam.

plativam. Uno modo: quia est abstractus, sic quòd nullo modo indiget vestimentis, nec victu humano, quibus homines communiter indigent, ut dicit salvator de Johanne non manducans neque bibens. Secundò: quia indiget omnibus illis quibus indigent communes homines, non vult tamen aliquid facere nisi contemplari seu speculari.

Prima conclusio.

Prima conclusio: loquendo de vita solitaria secundum quam vivunt contemplativi ita abstracti, quòd nō indigent cibis nec vestimentis communibus quibus indigent alii homines, illa vita est licita. patet conclusio de multis sanctis, qui talem vitam elegerunt, & tales homines sunt Domini & heroici.

Secunda.

Secunda conclusio: tales viri contemplativi secundum talem vitam solitariam non debent ita esse solitarii, quin quandoque habeant communicare cum aliis. patet, quia isti solummodo sibi ipsis proficerent: aliis autem non proficerent.

Tertia.

Tertia conclusio probabilis: vita solitaria, secundum quam vivunt viri sancti & contemplativi nolentes aliud facere quam Deo servire, indigentes cum aliis cibis & vestimentis quibus alii homines indigent, est periculosa, nec est in politia bona admittenda & suscipienda. patet, quia tales quandoque cadunt in magna vitia, vel contra civitatem, vel contra alia. Item vita contemplativa in communibus hominibus non debet esse sine vita activa: & sic intellexit Philosophus, quòd *homines solitarie viventes, aut sunt dii aut bestie. Item homo vivens sine lege est pessimum animalium.*

Ad rationes.

Ad rationes. Ad primam dicitur: quòd verum est, si esset à natura primo modo: scilicet initiative vel completive, & ita dicitur ad secundam rationem.

Ad tertiam dicitur, quòd illa bene arguit de homine non elevato & non erbato juxta tertiam conclusionem primi dubii secundi articuli.

QUÆSTIO IV.

De Eutrapelia.

Quid sunt Eutrapeli.

QUæritur quartò. Utrum Eutrapeli sint in civitate bene ordinata permittendi. Et sunt Eutrapeli homines qui bene se habent circa ludum, quando oportet, & quomodo oportet, & cum aliis circumstantiis.

Arguitur.

Arguitur primò quod non: quia Eutrapeli ducunt vitam otiosam. ergo non sunt permittendi. consequentia est nota, & antecedens est Philosophi Quarto Ethicorum dicentis; *quòd circa ludos est tempus otiosum.*

Secundò sic: illi non sunt permittendi in civitate bene recta qui intemperati & delusores sunt: sed Eutrapeli sunt hujusmodi. igitur non sunt permittendi. consequentia nota est de se. Et antecedens patet, si sic: tunc orirentur dissensiones in civitate bene recta, quod non deberet fieri. Sed minor patet, quia dicit Philosophus Septimo Ethicorum, quòd *ludus est opus intemperati & mobilis & delusorii.*

Tertiò sic: illi non sunt permittendi in civitate bene recta qui non exercent opus virtuosum, vel opus ordinatum ad virtutem: sed Eutrapeli sunt hujusmodi. ergo non sunt permittendi in politia, seu civitate bene recta. patet major, quia

quicquid

quicquid est in civitate bene recta debet esse virtuosum, vel bene ordinatum ad virtutem, minor patet, quia dicit Philosophus, quòd *arte & virtus sunt circa difficilia*, modò non est difficultas in ludo. minor patet, quoniam ludunt pueri & bruta.

Quartò sic: sequeretur, quòd ratione fortiore histriones essent permittendi in civitate bene recta, consequens est falsum, quia secundum illud quod dicitur quicquid datur histrionibus, illi qui dant, peccant, Et probatur consequentia, quia si Eutrapeli essent permittendi, hoc maximè esset, eo quòd essent lusores & se tenerent circa ludos, modò histriones sunt magis lusores. ergo Eutrapeli non sunt permittendi in politia.

Oppositum arguitur, Eutrapeli sunt virtuosi, ergo sunt permittendi in politia bene recta. consequentia tenet ex eo quod virtuosi in civitate bene recta sunt permittendi, Et antecedens patet per Philosophum Quarto Ethicorum dicentem: quòd *Eutrapelia est virtus moralis*. Consimiliter per illa quæ tractantur in isto tertio, capitulo tertio, per quæ habetur, quòd in politia bene recta aliqui habent naturam civium recreate, & tales sunt Eutrapeli. *In Oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd quandoque actus humani taliter se habent; quòd cum ipsis contingit vitiosè agere seu excedere, & tunc indigeremus virtute morali dirigente nos ad eligendum medium inter extrema vitiosa. Ista suppositio est Philosophi Secundo Ethicorum; ubi dicit, quòd *virtus consistit in medio*. *Primum articulus.* *Primum notabile.*

Corollariè sequitur, quòd non indigemus circa actus bonos secundum se, in sic virtute morali, quia non contingit vitiosè agere seu deficere. Secundò sequitur, quòd illa consequentia non valet: circa tales actus contingit deficere vitiosè & excedere, ergo circa tales actus est dare medium virtuosum; apparet, quia circa furtum contingit deficere & excedere vitiosè, & tamen ibi non est dare medium virtuosum, eo quod furtum est de se malum. Tertiò sequitur probabiliter, quòd propositum intelligitur de actibus humanis, qui possunt benefieri & malefieri. *Corollaria.*

Secundò notandum est, quòd duplices sunt viri heroici: scilicet viri divini & contemplativi, qui se dederunt simpliciter divinis. Alii sunt viri communicabiles, seu etiam civiles. Ista distinctio habetur ex primo hujus; modò dico, quòd quæstio quærit & intelligitur de viris civilibus & communicabilibus & non de heroicis primo modo. *Secundum.* *Duplices sunt viri heroici.*

Tertiò notandum est, quòd ludus fit quatuor modis: uno modo gratia ludi solum: alio modo propter lucrum, seu concupiscentiam lucri, Tertio modo potest fieri propter recreationem humanam. Quarto propter remotionem impedimentorum naturæ humanæ, nam quandoque per longam exercitationem vires interiores sunt debilitatæ, sic quòd non possunt intellectui servire. & tunc requiritur ludus. *Tertium.* *Ludus fit quatuor modis.* *Quartum.* *Circa ludos triplices sunt habitus.*

Quartò notandum est, quòd circa ludos humanos triplices reperiuntur habitus scilicet Bomolochia, Agrechia, & Eutrapelia; & secundum hoc homines se habent tripliciter circa ludos, unde dicuntur aliqui viri Bomolochi, aliqui Eutrapeli, & aliqui Agrechei. Unde Bomolochus est ille, qui in illis ludis vitio- *Tripliciter circa ludos se habent homines* se *quid homo loca-*

se excedit, scilicet aliter ludendo, scilicet tam in dictis quam in factis quàm oportet. Sed Agrestis vel Agricheus est ille, qui est ita durus qui per nullum ludum potest recreari ad usum: Sed Eutrapelus est ille; qui facta sua convertit in optimum finem, & ad sensum optimum quando oportet, & ubi oportet, & sic de aliis circumstantiis, & dicitur ab Εὖ quod est bene & τρέπειν, quod est vertere, quia talis convertit omnia dicta sua & facta in optimum finem & usum.

Quid Agricheus: quid Eutrapelus, & unde dicitur.

Quintum.

Quintò notandum est, quòd licet quilibet actus secundum se & secundum substantiam suam consideratus sit facilis; tamen omnis sic vel sic circumstantionatus est multùm difficilis; sed quamvis ludus secundum se consideratus non sit multùm difficilis; tamen ludere cum quibus oportet, & quando oportet, est multùm facile. ex quibus sequitur, quòd nullus actus humanus secundum se consideratus quià est humanus & secundum suam essentiam est bonus vel malus moraliter.

Secundus articulus.

Quantum ad secundum articulum Sit prima conclusio: ludere gratia lucri, vel propter concupiscentiam lucri, vel propter voluptatem lucri non est opus virtuosum. Probatur, quia illud opus non est virtuosum cujus finis est malus; sed finis ludi est malus, igitur. consequentia est nota, quia actus humanus non est de se bonus vel malus, & minor patet, quia sic ludere ordinatur ad malum finem. patet, quia concupiscentia est mala & ludere gratia lucri, & talis vita est otiosa simpliciter & non sustinenda.

Prima conclusio.

Secunda.

Secunda conclusio: ludere propter recreationem naturæ humanæ debito modo circumstantionatam est virtus moralis. Patet, quia finis ipsius est bonus, ergo. &c. Antecedens patet, quia est propter recreare spiritus ad juvandum intellectum. patet per Catonem dicentem. *Interpone tuis interdum gaudia curis.*

Tertia.

Tertia conclusio: Eutrapelia est virtus moralis. Probatur, quia est habitus circa ludos dirigens nos ad medium. ergo. consequentia est nota, & antecedens similiter.

Quarta.

Quarta conclusio: Eutrapeli in civitate bene recta sunt permittendi rationabiliter. Probatur, primò, quia tales sunt virtuosi. Secundò, quia tales sunt multùm utiles ad recreationem hominum. ergo. consequentia est nota. Et antecedens patet, quia notum est, quòd homines propter ludum recreantur, ut patet de hominibus in festis & plateis videntibus tales ludos.

Ad rationes quæstionis.

Quid otiosum.

Ad rationes. Ad primam negetur minor, quòd gerant vitam otiosam. Unde notandum est, quòd otiosum est illud quod propter aliquem finem ab operante fit, qui finis à tali operante non potest attingi. Vel sic: quando tale opus non ordinatur ad debitum finem, & hoc est de intentione Philosophi Secundo Physicorum loquentis ibi de fine, modò dico quod tales qui ludunt cum debitis circumstantiis ordinant suos actus in debitos fines.

Ad secundam negetur minor. ad probationem per Philosophum dicitur, quòd hoc est verum; quòd ludere non cum debitis circumstantiis est malum, quia non fit quando, & ubi oportet, vel non fit cum personis quibus oportet: & tales sunt Bomolochi. Modò dicitur quod Eutrapeli non sic ludunt immo propter finem debitum.

Ad tertiam negetur antecedens, quia ludere ab Eutrapelis est virtuosum opus, quia propter operationes Eutrapeliarum alii homines melius possunt in suos fines suas operationes dirigere.

Ad quartam dicitur; quod de ipsa videbitur infrà,

QUÆSTIO

QUÆSTO V.

De Principante in Oligarchia.

Quæritur quintò. Utrum principantes in Oligarchia ordinent consilium suum in bonum Oligarchiæ.

Et arguitur quod non: Oligarchia est politia transgressa, ergo nullum bonum consilium ordinatur in bonum Oligarchiæ. patet consequentia, quia talis finis est malus, & antecedens patet ex dictis. *Arguitur.*

Secundò sic: finis Oligarchiæ non est bonus, igitur, patet consequentia, quia Oligarchia est prava politia. patet etiam consequentia, quia ordinata in finem habent bonitatem à fine.

Tertiò sic: bonum Oligarchiæ non est in potestate principantium. ergo, patet consequentia, quia consilium non est nisi de illis quæ sunt in potestate nostra, & antecedens patet, quia communitas Oligarchiæ non est in potestate principantium in eâ; cum quilibet habeat proprium arbitrium.

Oppositum arguitur per Philosophum in isto sexto; quia principantes in politiis ordinant consilium in bonum illius politiæ. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de consiliabili, & in secundo videbitur de quæsito.

Quantum ad primum articulum. Primò notandum est de objecto consilii. Unde consiliabile sic diffinitur: *Consiliabile est contingens humanum operabile per nos dubium magnum, & quæsitum propter nos tanquam propter finem.* Corollariè sequitur, quod consilium est de contingenti humano operabili per nos; sed ut magis pateat definitio instatur. *Primus articulus. Primum notabile. Definitio consiliabilis.*

Contra eam Primò arguitur sic: consilium est de impossibili, igitur. &c. consequentia patet, quia impossibile & contingens distinguuntur. antecedens patet, quia frequenter homo consiliatur de aliquo, & si inveniat illud impossibile sibi quiescit. *Arguitur.*

Secundò patet illud, sicut debet videri, nam aliqui consiliantur de ascendendo Cœlum, ut patet de illis qui construxerunt turrim Babiloniæ.

Pro solutione hujus dicuntur duo: *De quo consiliatur.*

Primò, quod nullus consiliatur de illo quod scit sibi impossibile vel necessarium, sed de illo quod potest sibi contingenter evenire.

Secundò dicitur, quod nihil proprie dicitur consiliabile, nisi illud quod est habens rationem rectam judicandi esse consiliabile. *Quid dicitur consiliabile.*

Et tunc ad rationes. Ad primam negetur antecedens, saltem si consilians scit illud sibi impossibile. Et ad improbationem antecedentis; quando dicitur; quia aliqui. &c. negetur illa, quia cognitio quæ habetur per consiliatam inquisitionem est prima in intentione, juxta illud Philosophi Secundo Physicorum: *quia finis est primum in intentione, licet ultimum in executione.* quia finis dicitur cujus gratia, & etiam est medium per quod alio intelliguntur vel inveniuntur. Et tunc ad aliam rationem seu improbationem dicitur, quòd illi opinantur eis esse possibile ascendere Cœlum. *Ad rationes objectionis.*

Arguitur. Secundò arguitur contra ſecundam partem definitionis, ſcilicet humanum: quia quandoque nos conſiliamur de his quæ eveniunt à caſu, vel à fortuna, vel natura; ergo. Patet conſequentia: quia dux belli ſemper de his, quæ à caſu eveniunt ſolet petere ab Aſtrologis, ſcilicet, utrum ver erit pluvinoſum, aut non.

Notabile. Aliquid eſt dupliciter à natura futurum. Pro quo notandum eſt, quod aliquid dupliciter eſt futurum à natura. Uno modo, quia totaliter ſcilicet tam initiativè, quam completivè, & iſto modo nullus conſiliatur de illo quod eſt à natura. Secundo modo non completivè, imo eſt à nobis quodammodo operabile, & ordinabile in operationem noſtram, & de illo poſſumus conſiliari. Verbi gratia, quia poſſumus conſiliari circa talia: ſcilicet taliter vel taliter fieri, vel ordinare noſtra opera.

Secundò dicitur, quod nunquam de illo quod evenit à cauſa, vel à fortuna eſt conſilium. Patet, quia illud de quo conſilium eſt debet eſſe præviſum.

Tertiò arguitur contra illam tertiam partem: quia ſæpe nos conſiliamur de operabilibus per amicos noſtros & parentes: ergo. Patet conſequentia. Et antecedens notum eſt.

Notabile. Pro quo notandum eſt, quod ſecundum quod dicit Ariſt. Primo Ethicorum: *illud quod per amicos noſtros fit quodammodo per nos fit, quia amicorum idem eſt velle & nolle.* & per hoc patet ſolutio.

Quartò arguitur contra illam partem dubii: quia omne conſilium eſt quæſtio: Modò quæſtio eſt dubitabilis. ergo omne conſilium eſt dubium. Similiter nullus conſiliatur de aliquo ſibi certo vel noto.

Quintò arguitur contra illud, ſcilicet magnum: quia poſtquam conſilium debet eſſe dubium. ergo debet eſſe aliqua difficultas.

Sextò contra hoc arguitur quod dicitur; quæſitum propter finem, quia nunquam quis de fine conſiliatur: diceres ibique non de fine, ſed de ordinatis ad finem.

Contra hoc arguitur, quia conſiliamur de fœlicitate quæ eſt finis omnium activum humanorum, ut patet Primo Ethicorum.

Dupliciter poteſt eſſe conſilium. Reſpondetur, de aliquo poteſt eſſe conſilium dupliciter. Uno modo, tanquam principium conſiliativæ inquiſitionis: & ſic de fine bene eſt conſilium. Alio modo, tanquam de illo quod per conſiliativam inquiſitionem quæritur: & ſic de fine nunquam eſt conſilium. Et ſic patet quid ſit conſiliabile.

Secundum articulum. Notabile. Quid Oligarchia. Quantum ad ſecundum articulum. Notandum eſt, quod Oligarchia eſt communitas vel multitudo, in qua pauci ſunt divites: tamen propter exceſſum ſuarum divitiarum principantur. Vel verius; Oligarchia eſt principatus paucorum divitum: tamen propter exceſſum ſuarum divitiarum principantur.

Secundum notabile. Quatuor ſunt ſpecies Oligarchiæ. Secundò notandum eſt, quod ſicut habetur Quarto hujus; quatuor ſunt ſpecies Oligarchiæ. Prima eſt, principatus in quo principantur pauci divites ſecundum leges. Secunda ſpecies eſt principatus, in quo pauci ſunt divites, in quibus tam magni quam parvi principantur non ſecundum leges; ſic tamen quod principatus ſunt eligibiles. Tertia ſpecies eſt, in quo pauciores & ditiores quam primi principantur ſecundum legem, & principatus non ſunt eligibiles. Quarti ſpecies eſt quæ eſt peſſima, in qua pauciſſimi propter excellentiſſimas eorum divitias principantur non ſecundum leges, & filii eorum ſuccedunt patribus in principatu: & iſta ſpecies vertitur in Tyrannidem.

Tertiò

Tertiò notandum est, quod finem alicujus politiæ esse bonum dupliciter intelligitur. Uno modo, quod talis finis sit bonus simpliciter, sic quod judicetur à virtuoso esse bonus. Alio modo secundum quid licet non sit bonus; tamen est bonus, scilicet secundum exigentiam principantium in tali politia, & est secundum perversam politiam, vel intentionem eorum: & sic dicit Philosophus, quod finis Tyrannidis est bonus, quia ordinata in illum finem sunt bona. *Tertium notabile.*

Prima conclusio: princeps in Oligarchia sive loquatur de prima, sive de tertia, sive de quarta specie Oligarchiæ simpliciter non ordinat suum consilium in bonum Oligarchiæ simpliciter. Patet per rationes ante oppositum: quia ille finis non est bonus simpliciter. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: De Oligarchia quæ est prima species princeps in Oligarchia suum consilium ordinat in bonum Oligarchiæ. Patet, quia principatur secundum leges, & principatus illi sunt eligibiles in principantibus partibus. Et hoc patet per rationem post oppositum, & sic finis iste dicitur bonus ut sic, quia est principatus secundum leges: Et sic patet quid sit dicendum. *Secunda.*

QUÆSTIO VI.

De Personarum Electione.

Quæritur sextò. Utrum electio personarum contra justitiam distributivam sit peccatum?

Arguitur quod non, quia Deus est acceptator personarum: igitur. Patet consequentia. Et antecedens est Mathæi vicesimo quinto dicentis: *erunt duo in loco uno, unus assumetur, & alius relinquetur.* *Arguitur.*

Secundò sic: si sic esset, sequeretur, quod minus dignus nunquam esset assumendus in dignitatem dimisso meliori. Consequens est falsum, ut notum est: qua non semper melior est assumendus, sed utilior: & patet consequentia, quia in tali casu est electio de meliori, & non distribuit unicuique secundum quod meruit, & secundum merita sua.

Tertiò sic: si sic esset, sequeretur, quod prælati Ecclesiastici in promotionibus aliquorum errarent. Consequens est falsum, & patet consequentia, quia quotidie prælati citius promovent amicos quam alios: & non æqualiter distribuunt dignis.

Quartò sic: si sic, sequeretur, quod homo peccaret præferendo aliis in honoribus suos parentes, senes, & prudentes. Consequens est falsum, & patet consequentia, quia in talibus honoribus impendendis est personarum acceptatio.

Quintò sic: si sic, sequeretur, quod si rex daret filio suo canonicatum dimittendo personam digniorem quoad habitus intellectuales peccaret. Consequens est falsum, & patet consequentia de se.

Sextò sic: & ponatur casus, quod Episcopus habeat solum unum beneficium vacans conferre, & præsententur sibi duo, quorum unus sit indignus, alter sit dignus tali beneficio, & est inimicus ejus, & quod nepos suus semper sibi servivit,

vit, seu obedivit; si ergo ipse dat nepoti beneficium: ipse dat indigno secundum quod ipse scit. Si ergo non det indigno in isto casu, tunc ipse est ingratus: quia non facit illi mercedem, qui sibi servivit, & in omnibus obedivit.

Septimò sic arguitur: & ponatur casus, & nepos Episcopi reputetur dignus, & sufficientissimus ad beneficium obtinendum; sit ita tamen, quod Episcopus sciat vitium in nepote enorme propter quod non est dignus: & tunc habeat beneficium conferendum: & non præsentetur sibi alius à nepote, vel ergo in casu isto debet nepoti dare beneficium, & hoc non, quia daret indigno: & si non daret, tunc scandalizaret nepotem suum apud omnes homines.

Octavò sic: & ponatur casus quod Episcopus habeat duo beneficia inæqualia conferre, & præsententur sibi duo homines æquales in dignitate ad beneficium obtinendum: tunc cuicunque tribuit minus beneficium ipse accepta personas, & hoc ex necessitate, & sic tunc acceptatio personarum est peccatum, & tunc necessitabitur ad peccatum committendum, quod est impossibile, ergo sequitur propositum prius assumptum.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi Quinto Ethicorum dicentis; quod *in justitia distributiva personis æqualiter dignis præmia æqualiter conferenda.* Et patet etiam per expositores in Sexto isto.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur, utrum ad principandum sunt meliores eligendi & assumendi. Secundo videbitur de quæsito.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. *Arguitur.* Arguitur primò quod sic: Nam de possibilibus debet semper fieri quod melius est: sed melius est meliorem assumi. ergo. Consequentia est nota, & major: quia est una maxima in moralibus. Et minor patet, quia postquam promotus est dignior, melius ordinabit, & perfectius hominem in suum finem, & principatum; quia virtuosus circa singularia talia recte judicat.

Secundò sic: quanto principatus est primo principatui similior, tanto est melior; sed in principatu ubi est dignior, ille est similior principatui primo: ergo, illa major patet, & minor probatur: quia primus principatus est, ubi monarcha principetur, qui est optimus & dignissimus regens universum orbem: sic est in proposito. ideo dicitur, quod inter omnes principatus regalis est melior.

Primum notabile. Pro quo notandum est, quod duplex est principatus: quidam est bonus, & talis subdividitur. Nam quidam est regalis, alius est Aristocraticus, & alius Timocraticus. Malus etiam subdividitur: quia quidam dicitur Tyrannis. Alius Democraticus, & alius Oligarchicus.

Duplex est principatus.

Quid principatus regalis. Principatus regalis est; ubi unus solus principatur propter bonum commune, & bonum commune præfertur bono privato.

Quid Aristocraticus. Aristocraticus est, ubi pauci virtuosi principantur: tamen propter bonum commune principantur.

Quid ubi Democraticus. Timocraticus est, ubi totus populus principatur propter bonum commune, quilibet tamen principatur.

Quid Tyrannis. Tyrannis est, ubi unus solus principatur propter bonum proprium.

Quid Oligarchicus. Oligarchicus est, ubi pauci divites principantur, & non secundum legem, quia propter bonum privatum; & principantur secundum voluntatem suam.

Quid Democraticus. Democraticus est, ubi tota multitudo populi principatur, non propter bonum finem. Et dicit Philosophus, quod *isti principatus tres sunt politia transgressa.*

Secundò

Secundò notandum est, quod secundum intentionem Philosophi nulli debetur honor, nisi propter bonum honestum: scilicet propter bonum virtutis: quia dicit Philosophus secundum veritatem: *solum bonus est honorandus.* Et similiter honor est exhibitio reverentiæ in signum virtutis, & in ejus testimonium. Et causa est ista, quare aliqui appetunt honores à scientificis & reverendis viris: quia secundum quod dicitur Secundo Rhetoricæ: *quilibet appetit honorem.* *Secundum notabile.*

Tertiò notandum est, quod aliquis potest dici melior alio dupliciter. Uno modo in perfectione animæ intellectivæ, scilicet in habitibus moralibus, & etiam in intellectualibus simul. Unde licet habitus morales ponantur in intellectivo appetitu: tamen aliqui ponuntur in appetitu sensitivo. Alio modo aliquis dicitur alio melior secundum quid: quia melius & perfectius sit exercere officium, vel dignitatem quam habet, & hoc secundum quid: quia utile non est bonum, nisi secundum quid. *Tertium. Aliquid dicitur melior alio dupliciter.*

Prima conclusio: Ad principandum non semper est assumendus melior; probatur, quia non est utilior ad principandum: igitur. consequentia est nota ex terminis. Et antecedens notum est de se. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: ad principandum semper assumendus est ille qui melius & perfectius ordinat principatum suum, & subditos suos in debitum finem: sed talis utilior est hujusmodi: igitur. Major nota est de se. Et minor nota est ex terminis, & ex quid nominis. *Secunda.*

Corollarie sequitur, quod Episcopus licitè potest et sine acceptatione personarum suum nepotem in dignitatibus et principatibus aliis præferre. Patet, quia potest scire, quod ille nepos est melior alio. Secundò sequitur, quod non sequitur, iste præponit utiliorē minus utili; ubi tamen minus utilis est perfectior imperfectione animæ: ergo facit contra justitiam distributivam. Tertiò sequitur, quod non omnis præponēs minus dignum magis digno agit contra justitiam distributivam, vel etiam non sequitur quod sit personarum acceptator. Patet ex dictis. *Primum corollarium.*

Ad rationes. Ad primam: negatur major de illo quòd simpliciter est melius, quia in aliquo casu utilius est præferendum, & quando dicit melius &c. verum est, idem, utilius & non melius simpliciter. Ad secundam conceditur major, & minor etiam, licet non simpliciter, quia staret, quod aliquis haberet scientiam speculativam Dei, & tamen nesciret ordinare alios & regere in suum debitum finem, nisi cum hoc etiam haberet scientiam practicam. *Ad rationes.*

Quantum ad secundum articulum notandum est, quod ille qui confert alteri aliquid duplicem potest habere considerationem. Uno modo quoad proprietatem personæ, propter quam proprietatem illud quod sibi confertur est sibi debitum, & hic proprie non est acceptio personarum, sed acceptio causæ. Alio modo, aliquis potest considerare non illud propter quod datur debitum: sed propter aliam causam dat illud sibi quod sibi confert, & hujusmodi datio proprie est acceptio personarum: ut si aliquis daret alteri beneficium, quia est de suo genere. *Secundus articulus. Primum notabile.*

Secundo notandum est, quòd conditio personæ quandoque reddit personam dignam respectu unius, & indignam respectu alterius. Unde si diceretur, quod consanguinitas esset conditio alicujus, quia est dignus hæreditate: illa conditio non reddit hominem dignum quoad beneficium obtinendum. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd duplicia sunt distributibilia. Nam quædam sunt in *Tertium:*

Duplicis sunt distributiva.

in quibus distributor habet dominium & proprietatem, ita quòd est dominus rei, & in talibus non est acceptio personarum. Alia sunt in quibus distributor est solum minister. Ex isto potest inferri, quòd Deus per nullam potestatem potest esse acceptator personarum: patet, quia respectu nullius rei Deus potest esse dispensator, ita quòd non habet jus paternale: vel hæreditatem, & ibi committitur acceptatio personarum. Et etiam ex alio patet, quia acceptatio personæ est in distributibilibus facta propter merita, Modò non habemus aliquid propter merita nostra à Deo saltem in ista vita.

Quartum notabile.

Quis sit acceptor personarum.

Quartò notandum est, quòd propriè acceptatio personæ est indistributibilibus factis propter merita: quando alicui personæ tribuitur aliquid propter proportionem dignitatis ejus. Ex quo sequitur, quod acceptator personæ est minister præferens personam personæ, scil. indignam dignæ propter causam determinatam, & contra speciale mandatum Dei & præceptum.

Quintum notabile.

Duplex est datio.

Quintò notandum est, quòd adhuc duplex est datio.

Nam quædam est secundum justitiam distributivam, & est quando alicui datur illud quod sibi debetur. Alia est, quæ pertinet ad meram liberalitatem, & est quando aliquid datur gratis; illud tamen quod sibi non est debitum: respectu primæ dationis non est acceptatio personæ, sed respectu secundæ.

Sextum notabile.

Sextò notandum est, quod sicut prius dicebatur, duplex est dignitas personæ: quædam est simpliciter dicta, & est major, quia magis abundat in bonis spiritualibus animæ: alia est dignitas secundum quid, secundum quam aliquis est aptior, utilior, & magis idoneus ad bonum commune & ad remp.

Prima conclusio.

Prima conclusio: absque acceptatione personarum in dispensatione spiritualium bonorum simpliciter minus digni sunt præferendi melioribus, & magis dignis. Et istam conclusionem posuit sanctus Tho: & sic patet, quod ad dignitatem principatus non sunt semper meliores assumendi & promovendi.

Secunda.

Secunda conclusio: omnis acceptatio personarum in communicatione politica, immo in quacunque communicatione, est peccatum contra *justitiam distributivam*: probatur, quia omnis acceptator personæ peccat contra justitiam distributivam, & est vitiosus. consequentia est nota. & antecedens probatur, quia inferebatur in quarto notabili præcedenti, quod acceptator personæ est minister præferens personam personæ, scil. indignam dignæ propter causam declaratam, & contra speciale domini mandatum. Ex quo sequitur, quod omnis justus distributor debet considerare proprietatem, propter quam persona redditur digna illo quod sibi datur. Ex quo sequitur secundo, quod nunquam in distributione distributibilium, in quibus distributor habet dominium, seu proprietatem, committitur acceptatio personæ.

Ad rationes quæstionis.

Ad rationes. Ad primam, cum dicitur Deus est &c. negatur, quia in datione quæ solum pertinet ad justitiam distributivam potest esse acceptatio personarum. Modo talis datio non competit nobis, quia Deus gratis omnia dat illis quæ dat, & sic si uni Deus dat bonum, & alteri non, hoc modo nihil injuritur.

Ad secundam, negatur consequentia, quia non semper melior in dignitatibus & principatibus est assumendus, sed sufficit quod aptior & utilior ad dispensationem bonorum spiritualium, & Ecclesiasticorum, quia non sequitur: ille præfert personã indigniorem digniori: ergo est acceptator personarum: sed opor-

tet

et ibi addere propter causas indebitas.

Ad tertiam quando dicitur, sequeretur, quod quotidiè &c. negatur consequentia, si ipse primo inspiciat ad personæ dignitatem, & ad proprietatem propter quam illa persona est dignior illo beneficio: sed si respiceret aliam causam, scil. cognitionem, peccaret.

Ad quartam negatur consequentia: quia si tales respiciant ad conditiones personarum propter quas illæ personæ sunt dignæ tali honore: tunc non est acceptatio personæ, si ad aliam causam respiciant, ipsi sunt acceptatores personarum.

Ad quintam dicitur, quòd si talis sit dominus, & habet jus hæreditarium, ipse non acceptat.

Ad sextam dicitur, ad casum ipsum dimittendo: & dicitur quòd vel suus nepos servit ad privatam utilitatem communem: scil. Ecclesiæ: si primo modo, debet dare beneficium & non nepoti suo, & sic non committit simoniam. sed si servit sibi ad utilitatem Ecclesiæ, tunc debet dare cognoto suo sub ista condizione & intentione: quia multa servitia fecit Ecclesiæ propter quæ bene esset dignus.

Ad septimam de alio casu, sit unus cognatus Episcopi, qui reputetur bonus & sufficiens, & dignus ab omnibus aliis ab Episcopo, & solus Episcopus sciat magnum vitium in eo, &c. admittitur casus. Et dicitur, quòd talis debet quærere pro posse suo omnes cautelas & dissimulationes propter quas populus non credat, quòd sit vitiosus nepos suus: nec debet dari nepoti suo beneficium: & non est dubium, quin potest haberare taliter quod non scandalizet alium.

Ad octavam quando dicitur: ponatur casus, quòd Episcopus habeat, &c: potest dici, quòd si non sit alia causa providendi, vel evadendi, ipse potest sine acceptatione personarum distribuere dicta beneficia, nec propriè præfert unam personam alteri, ut supponitur, quia non dat nisi respiciendo ad illas dignitates illorum duorum.

Ratio post oppositum, &c.

QUÆSTIO VII.

De perplexitate voluntatis.

Quæritur septimò, Utrum inter duo mala potest aliquis esse perplexus?

Arguitur primo quòd sic. Nam ponatur, quòd amicus meus ab hostibus volentibus eum occidere fugeret, ita quòd veniant ad cameram meam, & quærant à me si sit in camera mea, & constat mihi, quòd si reperiant eum, ipsum interficient. Quid dicam? si dicam quod non, tunc peccо: quia dico mendacium: si dicam quod sic, tunc ipsum prodo, & ero causa suæ mortis, & sic ero perplexus inter homicidium & mendacium. *Arguitur.*

Secundo sic: si sit casus, quod ego juraverim, quod ego interficiam Johannem si ipsum inveniam: sit ita quòd ipsum inveniam, quæritur, quid sum facturus: si non interficiam, committo perjurium: si sic, faciam homicidium, vel ero perplexus inter duo mala.

Tertio sic: ponatur, quòd sint in una domo duo homines inter quos sit unus qui ab alius interficiatur, nisi ab illa domo extrahatur: non possum nisi eum extrahere, & tamen si extrahitur, dicitur quod omnes alii se interficient, tunc dicitur: quid sum facturus? si non extraham illum incurro homicidium: quia poteram illum liberare & tamen non liberavi: si extraham illum, sic incurro homicidia.

Quarto sic: ponatur casus, quòd præsbyter missam suam celebrans existens in secreto suo recordetur de peccato mortali; queritur quid faceret si dimittat missam: tunc ibi erit magnum scandalum; si continuet missam faciet contra conscientiam suam: & sic erit perplexus.

In oppositum. Oppositum est de intentione moralium Philosophorum. In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo erunt dubitationes.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum primò notandum est, quòd duplex est malum: scilicet culpæ, & pœnæ. Et quando dicitur: utrum aliquis possit esse perplexus inter duo mala: potest intelligi dupliciter: scil. vel de pœnalibus malis vel de malis culpæ.

Primum notabile.

Duplex est malum. Secundo notandum est, quòd malum culpæ duplex est: quoddam est quoad culpam mortalem: aliud est quoad culpam venialem.

Secundum. Tertio notandum est, quod homo dicitur perplexus inter duo mala, quando

Duplex est malum culpæ. mala sic involvunt hominem, quod non potest evitare, quin ipse in alterum vel in ambo incidat.

Tertium. Quartò notandum est, quòd aliquis inter duo mala dupliciter potest esse per-

Quomodo homo dicitur perplexus. plexus; uno modo verè, alio modo secundum suam opinionem, quia non potest remedium invenire propter suam insufficientiam.

Quartum. Quintò notandum est, quòd sicut habetur inde summâ confessorum; duplex

Quintum. est perplexitas scil. juris & facti. Perplexitas juris dicitur ad quam occurrunt auctoritates sacri canonis, quæ videntur esse contrariæ, quamvis in rei veritate non sit ita. Sed perplexitas facti est, quando propter suggestionem Diaboli ita

Duplex est perplexitas. involvitur, quod videtur sibi, quod non potest evadere, quin peccet & sibi videtur.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio: aliquis secundum veritatem potest esse perplexus inter duo mala quorum unum est pœnale, & aliud est culpabile. Patet etiam conclusio de multis. Nam quandoque evenit, quòd occurrunt duo mala; quorum unum est pœnale, & aliud culpabile, ita quòd non potest evadere, quin in aliquid illorum incidat.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: aliquis secundum veritatem inter duo mala pœnalia potest esse perplexus. Conclusio patet de Susanna; patet etiam in moralibus.

Tertia. Tertia conclusio: aliquis secundum suam opinionem potest esse perplexus inter duo mala, nedum pœnalia, sed etiam culpabilia: patet, quia aliqui sunt ita turbati, quòd non possunt evadere, quin peccent. Et dicitur, quòd debent consulere peritos viros ad inveniendum modum per quem possunt evadere.

Quarta. Quarta conclusio: aliquis potest esse perplexus inter duo mala secundum veritatem; quorum utrumque per se sumptum si eligeretur esset imputandum ad peccatum mortale: patet satis conclusio de se, & hoc etiam facit, & de duobus malis minus est elegendum, & majus malum est fugiendum.

Quinta. Quinta conclusio: Nullus potest esse perplexus inter duo mala secundum

 veritatem

veritatem perplexitate juris, Patet conclusio ex quid nominis perplexitatis juris, quòd oporteret, quod sibi occurreret sacri canones contrarii, & cum hoc stat quod aliquis potest esse perplexus secundum suam opinionem.

Sexta conclusio & responsiva. Nullus potest esse perplexus secundum veritatem inter duo mala culpæ, quia talis vel potest unum sine alio, vel non; si non; sic non est perplexus: si neutrum potest evitare, tunc est necessitatus ad peccandum: quod non est dicendum, & sic nullus potest esse perplexus, ut dicitur quarta conclusione. *Sexta.* *Conclusio responsiva.*

Quantum ad secundum articulum. Restat arguere contra conclusionem responsalem. *Secundus articulus.*

Et arguitur quod sic: quia aliquis secundum veritatem potest esse perplexus inter culpam mortalem & offensam propriæ conscientiæ: igitur. Patet consequentia. Et antecedens patet de Judæis qui erant perplexi.

Secundò sic: aliquis vere & realiter potest esse perplexus inter duo peccata venialia. igitur. consequentia est nota. Et antecedens patet. Nam asserat homo verbo similiter, quòd ipse potabit plusquam oportet: si faciat; peccat moraliter. si non faciat; facit contra dictum suum: & sic peccabit venialiter.

Tertiò sic: aliquis potest esse perplexus vere & realiter inter homicidium & perjurium; igitur. consequentia est nota. Et antecedens patet. ponendo casum, quòd aliquis portet arma sua apud me, & quòd juraverit alicui, quòd quotiencunque ille repetet, quod dabit tunc præsente inimico volente inimico volente eum interficere: si alius petat & non reddat, erit perjurus, si reddat, tunc committit homicidium, quia ille inimicus interficiet ipsum.

Quartò sic: aliquis potest esse perplexus inter offensam juris naturalis & transgressionem ejus. ergo. Patet consequentia, & antecedens probatur. sit casus talis, quòd Prælatus præcipiat subdito suo, quod nihil det alicui seculari, & occurrat unus secularis in extrema necessitate constitutus; tunc vel talis subditus dabit illi seculari panem vel non; si non; facit contra inclinationem juris naturalis, quo in necessitate omnia sunt communia: si sic; facit contra obedientiam.

Quintò sic: voveat Sortes solemniter, quòd ipse intrabit religionem talem: si Abbas illius loci dicat sibi verum; tunc si sors veniat ad Abbatem, & dicat sibi Abbas; tu non intrabis religionem, tunc si intrat religionem, ergo Abbas non dicit sibi verum, & sic tenetur intrare religionem juxta casum.

Pro ista materia ponuntur quinque propositiones: Prima propositio est: quòd nulla promissio obligat nisi licite possit adimpleri. Ista propositio communiter sequitur, quia nullus obligatur ad impossibile. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: Illud quod est licitum frequenter quando permutatur propter mutationem factam si illicitum in illo cui permittitur. Patet conclusio per tertiam rationem in forma. quia intentio permittentis sic potest adimpleri. *Secunda.*

Tertia conclusio: Nihil potest contra jus naturale, aut divinum cadere sub obedientia. *Tertia.*

Quarta propositio: Vota, in quibus est vere repugnantia, post votorum emissionem non obligant. Patet, quia talia non possunt adimpleri. *Quarta.*

Quinta propositio: Non obstantibus istis talia vota sic scienter facta sunt impu- *Quinta.*

putanda ad pœnam mortalem, ita quòd illi, quia talia vota faciant, debent conteri, & confiteri illis à quibus possunt absolvi.

Ad rationes. concussionis vel fortalis.

Ad rationes. Ad primam negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quòd Judæi non fuerunt perplexi secundum veritatem, sed tantum secundum eorum opinionem fatuam, & ideo debebant Apostolos & alios sanctos consulere.

Ad secundam negatur antecedens. Ad probationem, licet aliquis potabit plusquam decet; dicitur secundum unam propositionem, quòd talis non est perplexus secundum veritatem, quia talis promissio non obligat cum: quia licitè fieri non potest.

Ad tertiam negatur antecedens. Ad probationem admittitur casus, & dico quòd in illo casu non debet restituere arma, quia intelligebatur promissio dum licitè potest adimpleri, nec incurritur perjurium.

Ad quartam negatur antecedens. Ad probationem si præcipiat Prælatus &c. Dicitur, quòd ipse debet dare, quia oppositum facere est facere contra jus naturale, & hoc non cadit sub obedientia: quia præceptum Dei intelligitur in casu in quo licitè possit adimpleri, aliàs non.

Ad quintam. Voveat Sortes, quòd debeat intrare religionem &c. Dicitur, quòd debet intrare religionem. Et dicitur ulteriùs, quòd est repugnantia post voti emissionem: & sic non oporteat, quòd obliget, & scienter faciens tale votum debet puniri & pœnitere.

Ad rationes quæstionis.

Ad rationes ante oppositum quæstionis. Ad primam quando dicitur. Respondetur, quòd illi ponentes talem casum dicunt quòd debet simpliciter tacere. Et quando dicitur, quòd ille qui tacet consentire videtur. Dicitur, quòd non semper habet veritatem.

Ad secundam dicitur, quòd non tenetur eum interficere. Et quando dicitur, quòd incurrit perjurium. Dicitur quòd non, quiâ promissio non licitè potest adimpleri, & sic peccavit quando tale votum fecit. Et sic dicitur, quòd turpe votum non debet restitui. Ideo dicitur: *in turpe vota vescinde fidem.*

Ad tertiam cum dicitur, sint duo homines &c. Dicitur, quòd tenor ejicere unum. Et quando dicitur quòd ipsi dicunt, quòd interficient mutuo se. Dicitur, quòd non habeo jurare, quia quamdiu homo est in vita potest non desperare.

Ad quartam de Præsbytero. Dicitur quod Præsbiter debet ultra procedere, & debet nunc quantum potest pœnitere de illo peccato, & promittere Deo, quòd post celebratam missam ipse confitebitur aliud peccatum, & sic Deus indulgebit.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO VIII.

De perplexione voluntatis.

QUæritur octavò. Utrum licitum sit ad conservationem civitatis justas sententias demandare executioni.

Arguitur.

Et arguitur quod non, illud non est expediens per quod turbatur tranquillitas civitatis; sed hoc est per executionem causarum justarum: igitur, mitur

patri,

patet, quia videmus, quòd aliqui incurrunt multas injurias propter hoc, quòd sunt justitiæ executores.

Secundò sic: illud non est expediens in aliqua civitate per quod pax turbatur sed hoc est per hoc: quòd justæ sententiæ executioni demandantur. Major est nota. Et minor probatur, quia executores redduntur aliis abominabiles.

Tertiò sic: si sic, sequeretur, quòd homicidium in aliqua civitate esset licitum. Consequens est falsum, quia est de se pravum.

Et patet consequentia. quia non est possibile, quòd justæ sententiæ demandantur executioni nisi per homicidium.

Quartò sic: in nullo casu licitum est hominem interficere. igitur. consequentia est nota. & antecedens probatur, quia quilibet tenetur diligere proximum sicut se ipsum.

Oppositum habetur per Philosophum Septimi hujus cap. Sexto ubi dicit, quòd *incivitate necessarium est unus principans, qui justas sententias habet demandare executioni.* *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur: utrum licitum sit in aliquo casu seipsum interficere. In secundo videbitur de quæsito.

Quantum ad primum articulum, Primò arguitur quòd sic. Licitum est habenti publicam auctoritatem interficere malefactores; sed aliquando ipse est malefactor: igitur. Patet consequentia, quia quod de aliis judicat de se ipso debet judicare. Major nota est. Et minor patet per experientiam. *Primus articulus.* *Arguitur.* *Ad dubium.*

Secundò sic: licitum est unicuique, quòd ipse subeat minus malum, ut ipse evitet majus malum: sed quandoque minus malum est seipsum interficere. igitur licitum est seipsum interficere. patet consequentia. Et major & minor patent. quia minus malum esset seipsum occidere, quam incurrere injurias & infamias.

Tertiò sic: Sampson interfecit seipsum, ut habetur Judicum decimo sexto & tamen inter sanctos reputatur. igitur.

Pro intellectu hujus dubitationis ponuntur sex propositiones: Prima est: non est justum seu licitum seipsum interficere, ut ad vitam transeat fæliciorem. Patet, quia non est in potestate hominis, ut de hac vita transeat ad fæliciorem. ergo. patet consequentia. quia nullus debet eligere incertum & dimittere certum. Unde beatus Thomas dicit, *licet homo sit dominus omnium quæ includunt vitam; tamen eorum quæ excludunt vitam non est dominus.* *Propositiones.* *Prima.*

Secunda conclusio: Non est licitum homini seipsum interficere propter vitandas miserias hujus mortalis vitæ. Patet, quia ultimum malum quod homo potest habere est terminus vitæ: quia omnium terribilissimum est mors: modò licitè nullus potest subire majus malum ut evitet minus. *Secunda.*

Tertia propositio: Non est licitum homini seipsum interficere propter peccatum ab eo commissum. Patet, quia tunc sibi tolleret sibi tempus ad faciendum penitentiam. Secundò, quia percutere pravos non pertinet ad personam privatam: sed ad personam fungentem publica auctoritate. *Tertia.*

Quarta propositio: Non est licitum mulieri seipsam interficere, ut ab aliis non corrumpatur. Patet, quia non est licitum propter alienum peccatum proprium peccatum incurrere, sed si mulier corrumpatur per violentiam non peccat & peccaret si seipsam interficeret. *Quarta.*

Quinta

Quinta: Quinta propositio. Non est licitum homini seipsum interficere, ne peccato consentiat, patet, quia non sunt facienda mala ut bona inde eveniant.

Sexta. Sexta conclusio & responsiva: In nullo casu licitum est hominem interficere seipsum, probatur quadruplici ratione seu radice. Primò, quia hoc esset contra legem naturalem: quia quodlibet appetit naturaliter permanere in esse. Secundò, quia faceret contra charitatem. Tertiò, quia faceret contra Rempubl. quia homo est pars communitatis. Quartò, quia hoc esset contra divinam potestatem: quia solius Dei est propriè dare vitam & auferre: & sic propriam vitam tollere est divinam potestatem usurpare.

Ad rationes dubii. Ad rationes. Ad primam dicitur concedendo majorem: & hoc est, quia licitum est tali de per se judicare de malefactoribus, & conceditur minor, & negatur consequentia: quia non habet dominium supra proprium factum, quia nullus debet esse Judex sui ipsius, seu in propria sua causa. Dicunt tamen aliqui, quòd talis potest licitè se exponere Judici.

Ad secundam conceditur major. loquendo de illis super quæ liberum arbitrium se extendit.

Ad tertiam quando dicitur, quòd Samson se occidit: de isto casu dicit August. primo de civitate Dei, quòd *Samson in hoc excusatur, quia Spiritus Sanctus sibi injunxerat, qui per eum multa mirabilia faciebat & revelabat*, & sic hoc fuit per Spiritum Sanctum.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum quatuor sunt videnda. Primum est: utrum

Quatuor dubia. Judex potest licitè ferre sententiam super illum qui non est subditus sibi. Secundò: utrum aliquis subditus auctoritate Judicis sui possit compelli ad detegendum secretum sibi commissum. Tertiò videbitur, quæ sit sententia juris. Quartò videbitur de quæsito.

Ad primum dubium. Arguitur. Quantum ad primum arguitur sic: quia Daniel dedit sententiam contra senes Judices propter testimonium falsum, & tamen seniores non erant subditi. Major patet Danielis. 13. ubi dicitur: *Daniel suos seniores falso testimonio convictos Jure Judicio condemnavit.*

Primum probabile. Secundò, Christus Salvator non fuit subditus Judicio hominis, & tamen justo Judicio se exhibuit: igitur, patet consequentia, & major & minor etiam.

Quid Judicis sententia. Pro intellectu sciendum est, quòd sententia Judicis non est nisi lex quædam specialis in facto speciali & particulari.

Secundum. Secundò notandum est, quòd nunquam sententia Judicis est vere efficax, nisi utraque pars constringatur ad sententiam Judicis observandam.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd in actibus humanis nullus propriè habet vim & potestatem compulsivam, sive coercivam, nisi qui funguntur auctoritate publica.

Quartum. Quartò notandum est, quòd illi qui funguntur auctoritate publica communiter vocantur superiores respectu illorum in quos talem potestatem accipiunt, seu talem potestatem habent ordinare, seu per commissionem. Et alii sunt subditi, ex isto sequitur conclusio responsiva: Judex nunquam habet sententiam ferre contra aliquem, nisi sibi sit subditus aliquo modo vel per ordinationem publicam, vel per commissionem. Patet per prædicta.

Conclusio responsiva. Ad rationes. Ad primam dicitur de Daniele, quod secundum beatum Thomam hoc habuit ex instinctu spiritus sancti; & hoc satis patet quia habetur ibidem; *suscitavit Dominus spiritum junioris, cui nomen Daniel.*

Ad rationes.

Ad

Ad secundam de Christo est notandum, quod aliquis in operibus nostris se potest subjicere purè & spontaneè voluntati alicujus ad hoc qd sententiam ejus subeat; non tamen eò quòd sit ejus subditus & sit etiam in multis commutationibus & conventionibus, & sic tales conventiones sunt vallandæ certis pœnis: non sic dicitur de Christo; quia licet non fuerit subditus; tamen spontaneè se subjecit. *Notabile.*

Ad tertiam dicitur, quod in tali casu Clericus est subditus illius Episcopi, in cujus Episcopatu deliquit, seu furtum comisit.

Quantum ad secundum dubium. Notandum est Primò, quòd duplex est secretum alicui commissum: unum est in sacramento confessionis, aliud est sine sacramento confessionis. *Secundum dubium.* *Primum notabile.*

Secundo notandum est, quòd judex humanus nullo modo potest dispensare in illis quæ sunt contra jus naturale. *Secundum notabile.*

Tertiò notandum est, quòd illa quæ sunt in secreto commissa sunt duplicia; quædam sunt commissa quæ quoniam cito veniunt in sui notitiam tenentur revelare, quando non sunt sibi commissa in sacramento confessionis. Alia sunt quæ sic se habent, quod non est periculum, sive prohibeantur, sive non. Et sic dicitur, quòd in tali casu secundum veritatem judex potest licitè compellere subditum ad tegendum secretum sibi commissum sine sacramento confessionis: sed dicitur ulterius, quòd judex humanus non potest licite compellere subditum vel alium ad detegendum secretum sibi commissum sub sacramento confessionis. Patet, quia homo nescit ut homo; sed ut minister Dei; & ob hoc obligatur per sacramentum, scil. non revelare etiam judici humano propter sacramentum confessionis: persolvens enim vinculum juris subditus, in illis non tenetur obedire homini. Dicitur secundò, quòd ubi est testimonium ad liberandum hominem à morte, vel à notabili damno; homo tenetur reddere testimonium, si quæratur à suo superiori. Dicitur tertio, quod in illis quæ non sunt ad damnationem vel ad grave damnum homo non tenetur reddere testimonium, si non requiritur à suo superiori, ut patet de se. *Tertium.*

Quantum ad tertium articulum. Videndum quæ est justa sententia, & quæ non est justa sententia. *Tertius articulus.*

Pro quo notandum est, quòd ad hoc quòd aliqua sententia sit justa requiruntur tres conditiones. Prima est, quòd talis sententia procedat ex justitia inclinante. Secunda est, quòd procedat ex auctoritate præsidentis: Tertia: quòd talis sententia procedat secundum ordinem prudentiæ, & secundum rectam rationem. *Primum notabile.* *Tria requiruntur ad sententiam esse justã.*

Secundò notandum est, quòd sententia tripliciter redditur injusta. Primò, quia non fit ex justitia inclinante, sed potius ex rigore, vel odio, vel favore; & talis sententia vocatur pernitiosa. Secundo modo, quando non procedit à persona publica; sed privata, & talis vocatur usurpata. Tertio modo quando non procedit secundum rectum ordinem prudentiæ, quia non est de illis quæ sunt nota illis judicantibus, & talis vocatur suspecta seu temeraria, ut quando aliqui sententiant non diligenter veritatem inquirendo. *Secundum.* *Tripliciter redditur sententia injusta.*

Tertiò notandum est, quod ubicunque in aliqua sententiarum deficit una istarum conditionum dicitur simpliciter sententia injusta. *Tertium dubium.*

Sed dubitatur tertiò. Utrum quicunque est causa injustæ acceptionis secundum

Arguitur. cundum justam sententiam tenetur ad restitutionem. Arguitur quod non sequeretur, quod ille qui sciret alium furem vel latronem deberet illum manifestare: consequens est falsum, quia nullus debet se periculo exponere propter manifestum bonum. Et probatur consequentia, quia ille tunc est causa furti.

Primum notabile. Pro quo sciendum est, quòd quis potest esse causa injustæ acceptionis dupliciter: uno modo directè, quia percipit vel participat de lucro: alio modo indirectè, quia non impedit, possit tamen impedire.

Quis potest esse causa injustæ acceptionis. Secundo notandum est, quod in generali novem sunt modi injustæ acceptionis; qui patent per versus:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus:
Participans, mutans, non obstans, non manifestus.

Secundum. *Tertium.* Tertio notandum est, quòd inter istos novem modos quinque sunt principaliores, quibus aliquid propriè dicitur causa injustæ acceptionis; scil. *jussio, consilium, consensus, recursus, & participans.* Primus: quando aliquis præcipit. Secundus: quando dat consilium. Tertius: quando dat consensum suum. Quartus: quando recipit acceptores malos. Quintus: quando participat de lucro, & in istis quinque acceptionibus homo tenetur ad restitutionem; verum est tamen quòd si alter illorum restituat, alter non tenetur restituere parti læsæ.

Quartum. Quartò notandum est, quòd aliis quatuor modis homo non dicitur causa injustæ acceptionis ita principaliter, quia frequenter talia verba non sunt ita efficacia quòd inducerent aliquē ad injustam acceptionem, immò potius declinaret à facto illo: imò frequenter homo non posset obstare propter impedimenta alia. Item non tenetur semper manifestare, quia inde posset ingravius damnum venire. Et ulterius ubi verisimile esset, quòd una hominis resistentia, vel manifestatio non sufficeret ad inducendum hominem, quatenus dimitteret injustam acceptionem non tenetur resistere, si verisimile est, quod per alterum istorum modorum raptor dimitteret rem alienam, & non faceret, teneretur ad restitutionem.

Quartum dubium. *Notabile.* Quantum ad quartum dubium videndum est de responsione ad quæsitum. Et est sciendum, quòd justam sententiam demandare executioni intelligitur dupliciter: uno modo, quòd demandetur secundum rectum ordinem justitiæ: scil. per personam publicam. Secundò modo, posset demandare, ubi deficeret aliquis modus justitiæ requisitus ad verum processum juris.

Conclusio responsiva. Conclusio responsiva: expediens est justas sententias secundum rectum ordinem juris latas demandare executioni: probatur, quia illud est licitum per quod civitas manet in bono statu, & mali à suis malis retrahuntur operationibus.

Dubium. *Arguitur.* Sed dubium est; utrum executor justæ sententiæ licite possit aliquem mutilare vel occidere. Arguitur quod non, illud non est licitum quod est contra naturam; sed mutilare hominem est contra naturam, quia membra habent naturalem inclinationem ad opera ad quæ sunt facta.

Primum notabile. *Tria sunt considerandа in bono corporis.* Pro solutione hujus notandum est, quod in bonis corporis tria sunt considerandа: primum est, integritas substantiæ corporalis cui detrimentum affertur per mutilationem. Secundum est: delectatio vel quietatio sensus, cui opponitur verberatio, vel quodcunque affligens sensum aliquo dolore. Et tertium est motus vel usus membri quo impeditur per macerationem, vel ligationem, vel per quodcunque aliud deterius.

Secundò

Secundò notandum est, quod incarceratio potest dupliciter fieri secundum in justa sententiæ executionem: uno modo in pœnam, quia demeruit. Secundo ad cautelam scilicet ad evitandum malum futurum, quod talis potest perpetrare. *Secundum.* *Dupliciter fit incarceratio.*

Tertiò notandum est, quod ille qui abutitur aliqua potestate sibi data illam debet amittere. Istam propositionem omnes concedunt. Ex quo sequitur, quòd si aliquis utatur membris corporalibus non in debitum finem; talis debet amittere potestatem illorum membrorum. Ex quo patet quid sit dicendum ad istud dubium. *Tertium.*

Ad quod dicitur quod sic, sive in pœnam, sive in cautelam. Ad rationem conceditur major, & negetur minor, si hoc fiat secundum debitum ordinem juris & justitiæ. Ad improbationem: cum dicitur, quia hoc est inferre bonum membrorum: dicitur quod hoc non est contra naturam, quia ille perdidit potestatem membrorum & auctoritatem, & est ipsius judicis & personæ communis, ut patet per tertium notabile: & ideò dixit unus expositor, quod unus executor sententiæ latæ est necessarius in communitate. *Responsio ad dubium.*

Ad rationes ante oppositum sunt solutæ omnes per prius dictæ.

Finis Sexti Libri Polit. Arist. *Sequitur Septimus:*

LIBER

LIBER SEPTIMVS POLITICORVM.

QVÆSTIO I.

De fœlicitate in bonis interioribus & exterioribus.

CIrca initium Septimi libri Politicorum Quæritur primò Utrum humana fœlicitas consistit in bonis interioribus aut exterioribus.

Arguitur. Arguitur quod consistit in bonis exterioribus, quia *fœlicitas est status omnium bonorum aggregatione perfectus*: igitur. Consequentia est nota. Et antecedens patet per Boëtium tertio de consolatione, qui sic describit fœlicitatem: nam numisma secundum Philosophum est fidejussor hominum pro quacunque necessitate.

Secundò sic: divitiæ exteriores sunt summè appetibiles. Et antecedens patet per Philosophum primo hujus dicentem, quod appetitus divitiarum est in infinitum.

Tertiò sic: fœlicitas hominis maxime consistit in illis quibus fortuna habet dominium: sed hoc est in divitiis exterioribus: igitur. major patet per Philosophum Secundo Physicorum dicentem, quòd *fortuna est idem fœlicitati, vel propter fœlicitatem.* Minor est nota.

Deinde arguitur quòd fœlicitas consistat in honore, quia honor est præmium virtutis, igitur. Patet consequentia, quia honor debet esse præmium virtutis. Et ideo describitur: quòd *est exhibitio reverentiæ in signum virtutis.*

Quid honor. Secundò sic: honor est maximè appetibilis: igitur; patet consequentia, ut prius, & antecedens patet, quia videmus quòd viri sanctissimi & solemnissimi homines naturaliter honorem appetunt.

Tertio sic: fœlicitas consistit in amicis seu amicorum multitudine. igitur. Patet consequentia. Et antecedens probatur, nam secundum intentionem Philosophi

Sexto

Sexto Physicorum, nullus sine amicis eligeret vivere habens reliqua bona.

Oppositum vult Philosophus in principio hujus septimi, ubi contra errantes probat conclusionem, scilicet; quòd fœlicitas non consistit in bonis exterioribus. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd in isto Septimo agitur de fœlicitate vel beatitudine nobis possibili, & ista vocatur secundum aliquos fœlicitas meritoria non tractando de fœlicitate quæ est in patria. *Primum articulus.*

Secundò notandum est, quòd secundum Morales Philosophos sic describitur: *fœlicitas est operatio hominis secundum vitam perfectam, & in vita perfecta.* *Primum notabile.* *Secundum.* *Quid fœlicitas.*

Unde sciendum est, quòd vita perfecta dupliciter capitur: uno modo, pro operatione animæ quæ est ejus perfectio, & sic non capitur hic: alio modo, pro vita diuturna seu longa, sic quòd talis operatio diu duret, & sic dicitur Primo Ethicorum, quòd *sicut una hirundo non facit ver, nec pulchra dies ætatem. sic una operatio virtuosa non facit hominem fœlicem.* *Vita perfecta dupliciter capitur.*

Tertiò notandum est, quòd sicut habetur in isto Septimo triplicia sunt bona hominis; scilicet bona animæ, corporis bona, & bona exteriora. Bona exteriora sunt divitiæ & honores. Bona corporis sunt sanitas, fortitudo, pulchritudo, colores. Bona animæ sunt virtutes. *Tertium.* *Triplicia sunt bona hominis.*

Quartò notandum est, quòd in hoc convenerunt omnes Philosophi, qui posuerunt fœlicitatem esse summum bonum quod haberi posset in hac vita, & correspondenter objectum fœlicitas debet esse tale; quòd adeptio ejus satiet nostrum appetitum in hac vita. *Quartum.*

Quintò notandum est; quòd diversi sunt appetitus, & ideo diversi diversimodè opinati sunt de objecto fœlicitatis, quia aliqui crediderunt, quòd honores essent objecta fœlicitatis, ut ambitiosi. alii divitiæ, ut avari. alii virtutes intellectum perficientes; ut Morales Philosophi, & operationes quæ sequuntur habitum. *Quintum.*

Sextò notandum est, quòd cum quæritur, utrum fœlicitas &c. Primo intelligitur, an consistit principaliter in bonis exterioribus aut instrumentaliter aliquo modo. *Sextum.*

Quantum ad secundum articulum. Sit prima conclusio: fœlicitas non consistit in bonis exterioribus quæ sunt gustabilia & tangibilia. Probatur, quia talibus contingit male uti seu abuti. Modò fœlicitate non contingit bene uti nec abuti. Secundò: quia talia bona concupiscibilia frequenter generant dolores & miserias, cum quibus non stat fœlicitas. Tertiò, quia talia bona non sunt in potestate hominis, fœlicitas autem est in potestate hominis, & talia bona non sunt bona; quia contingit ipsis malè uti: ergo in eis non consistit fœlicitas. Corollariè sequitur, quòd delectatio, quæ sequitur hujusmodi circumstantias concupiscibilium, non est fœlicitas. *Secundus articulus.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: fœlicitas humana non consistit primo & principaliter in bonis exterioribus. Probatur, quia tales divitiæ exteriores indifferenter advenient & bonis & malis. Secundò, quia superfluitas omnium bonorum seu divitiarum nocet habenti. ergo, patet consequentia, & antecedens est Philosophi *Secunda.*

Quartò dicitur, quòd juſtitia proportionatur ſanitati, quia ſicut juſtitia conſervat æqualitatem & debitum medium in dando: ita etiam ſanitas conſervat æqualitatem & debitum medium humorum corporalium adinvicem. Ex quibus patet, quòd Euſtrachius bene dicit ubi prius fuit allegatus.

Quartum. Quartò notandum eſt, quòd ſicut corpus ordinatur ad animam tanquam minus principale ad magis principale, & minus perfectum ad magis perfectum: ita etiam bona corporis ad bona animæ. Prima pars patet, quia corpus eſt ad ſerviendum animæ, & non niſi ad bonum animæ. & ſic deterius eſt ſemper gratia melioris. Ex quo ſequitur, quòd nullum bonum corporis eſt bonum honeſtum, licet ſit bonum utile. patet, qui nullum bonum corporis eſt propter ſe eligendum; ſed quod ſit bonum utile ſatis patet de ſe.

Secundum articulum. Quantum ad ſecundum articulum. Sit prima concluſio: fœlicitas humana non conſiſtit primo & principaliter in bonis corporis. Patet primò, quia fœlicitas non debet nobis ineſſe à natura; ſed debet nobis ineſſe acquiſita: ſed bona corporis inſunt nobis à natura. igitur.

Prima concluſio. Secundò ſic: fœlicitas non debet eſſe communis nobis & brutis, ſed corporis ſunt hujuſmodi. imo multa bona corporis ſunt in brutis, ſunt in nobis.

Tertiò ſic: fœlicitas non debet eſſe communis bonis & malis.

Quartò ſic: fœlicitas non debet nobis præbere occaſionem pe bona corporis ſunt hujuſmodi. igitur.

Quintò ſic: quia fœlicitas non debet nobis eſſe bonum propter lius acquirendum; quiâ fœlicitas eſt ultimus finis: ſed bona corpo quærenda propter ſe.

Sextò ſic: bona animæ ſunt perfectiora bonis corporis. igitur, p quentia, quia ſunt poſteriora viâ generationis, & ſunt priora viâ per quoniam natura ſemper procedit de imperfecto ad perfectum, & ideo dic loſophus in fine Hujus Septimi: quòd *pueri ſunt prius introducti in imperfectoribus*: modò bona animæ ſunt poſteriora viâ generationis bonis corporis.

Secunda. Secunda concluſio eſt iſta: in bonis corporis primo & principaliter humana fœlicitas non conſiſtit; tamen organicè & inſtrumentaliter & minus principaliter bona corporis ſunt neceſſaria ad fœlicitatem humanam. Prima pars patet ex præcedenti concluſione. Secunda pars ſatis patet per Philoſophum Secundo Ethicorum; quia anima ſine ſenſuum vivacitate non poteſt bene exercere opera virtutum & operationes virtuoſas, ideo dicit Philoſophus, quòd quædam ſunt ad fœlicitatem neceſſaria, & quædam quæ habent continuare.

Ad rationes. Ad rationes ante oppoſitum. Ad primam quando dicitur; voluptas eſt bonum quæſitum propter ſe &c. negetur iſta. loquendo de bono ultimato. Unde ſicut debet alibi videri non eſt inconveniens, quando ſunt plures fines ſubordinati. unde bene ſtat quòd aliquid propter ſe acquiratur, & hoc eſt ſolum ab illis qui habent appetitum corruptum.

Ad ſecundum cum dicitur, quòd voluptas eſt ſummè appetibilis; negetur illa loquendo ſimpliciter. ad probationem, quia triſtitia ei oppoſita eſt ſummè triſtabilis & fugibilis; negetur illa loquendo de triſtitia voluptati oppoſita, quiâ melius eſt omnem triſtitiam ſuſtinere quam aliquo modo animam maculare.

Ad tertiam negetur antecedens. ad probationem dicitur de delectatione, quia

quia quandoque capitur pro voluptate; quandoque non.

Ad quartam, quando dicitur, quòd sanitas est quid optimum; dicitur quod ista ratio bene arguit, quòd sanitas est necessaria; non tamen in illo principaliter consistit fœlicitas.

Ad quintam dicitur, quòd in bona animæ consistit: ad probationem, dicitur, quòd consequentia non valet, & eodem modo argueretur, quòd finis esset meliorordinatis in finem.

Ad sextam, negetur, ad probationem, cum dicitur, quòd mors est ultimum terribilium, licet ita sit; tamen melius multo est vivere virtuosè per modicum tempus & statim mori, quam è converso, ad probationem dicitur, quòd loquitur contra illos qui ponebant fœlicitatem humanam in bonis exterioribus.

Ratio post oppositum est prodictis.

QUÆSTIO III.

...citate qua ponitur in habitu & actu:

...rum fœlicitas humana consistat in virtute, vel in o-

...onsistit in virtute auctoritate Senecæ in libro de vita ...jusdem in multis epistolis. Item auctoritate Tullii in ...beata dicit Seneca: *quid petam de virtute, ipsâ nihil ...a dicit, quòd est quoddam bonum honestum, quod nunpo-* ...& tale est virtus. Item Tullius dicit, quòd *bonum bonestum trahit, & sua virtute nos allicit*. & illud est virtus. *Arguitur.*

...positum.

...sic: fœlicitas consistit in illo quod est bonum seipso, & non ex alio; sed virtus est bona seipsa, quia esset propter se eligibilis, esto quòd nullum bonum inde sequeretur. Item patet, quòd una operatio secundum substantiam in uno est bona, & in alio est mala: & sic patet, quòd operatio seipsa non est bona; immò totam bonitatem capit à virtute. Tertiò sic: principaliter fœlicitas humana debet principaliter consistere in illo secundum quòd homo dicitur bonus simpliciter: sed non dicitur bonus operatione. Ergò. major patet, & minor probatur: nam non laudamus aliquem ex opere suo, nisi percipiamus opus suum provenire ex virtute & bono habitu: & ideo dicit Philosophus: non fortissimi & optimi coronantur, sed agonizantes, verum est, dum sciamus talem operationem provenire ex habitu bono & virtuoso: etiam patet exemplo, quod nunquam virtus moralis est in aliquo, nisi in bono: nos autem sumus domini operationum nostrarum usque ad finem.

Quartò sic: operatio virtutis non est delectabilissima. ergo. patet consequentia, quia fœlicitas humana est quid delectabilissimum. Antecedens probatur, quia operatio est laboriosa, cum ipsa sit circa difficile; ut habetur Secundo Ethicorum, modò laboriosum non est delectabile.

Quintò sic: virtus moralis est melior & præstantior operatione ejusrigitur, &c.

Primo Ethicorum dicentis; quòd multi propter divitias perierunt. Tertia ratio fœlicitas debet esse quid perfectissimum & propter se quæsitum, non sic est autem de bonis exterioribus. Quartò, quia fœlicitas debet esse quid sufficientissimum, sic non est de divitiis exterioribus. Quintò, quia fœlicitas debet esse maximum bonum; sed tales divitiæ sunt minimum bonum. Ex ista conclusione sequitur corollarie, quòd delectatio quæ sequitur possessionem talium divitiarum non est fœlicitas.

Tertia. Tertia conclusio: fœlicitas non consistit primo & principaliter in bonis exterioribus. Patet primò, quia honor est faciliter amissibilis. Secundò, quia honor tam bono quam malo convenit. Tertiò, quia fœlicitas debet quæri propter se; honor autem non. Corollariè sequitur, quòd delectatio quæ sequitur ex exhibitione honoris non est fœlicitas.

Quarta. Quarta conclusio: fœlicitas non consistit principaliter in amicorum possessione. Probatur, quia talis amicitia non est in potestate alicujus. Secundò, quia est amissibilis. Tertiò, quia ipsa contingit male uti.

Quinta conclusio. Ultima conclusio: fœlicitas humana non obstantibus prædictis conclusionibus instrumentaliter & secundaria intentione & minus principaliter consistit in bonis exterioribus. quia homo non potest faciliter moraliter agere sine divitiis.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam, negetur antecedens. Ad probationem, dicitur, quia numisma est fidejussor: dicitur, quòd hoc non intelligitur de bonis utilibus, sed de honestis, cujusmodi sunt bona animæ. de quibus non est fidejussor numisma.

Ad secundam, negetur antecedens loquendo primo & principaliter. ad probationem Primo Ethicorum, dicitur quòd verum est, & hoc intelligitur, quòd bona exteriora faciunt ad fœlicitatem instrumentaliter, & hoc ponitur in ultima conclusione.

Ad tertiam dicitur, quòd duplex est præmium virtutis; scilicet essentiale & accidentale.

Ad quartam; negetur antecedens simpliciter; verum est tamen inter bona exteriora.

Ad quintam, negetur antecedens simpliciter loquendo. ad probationem, dicitur quòd loquitur de bonis interioribus cujusmodi sunt scientiæ & virtutes.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO II.

De fœlicitate in bonis corporis

Arguitur. QUæritur secundò: Utrum fœlicitas consistat in voluptatibus vel in aliquo bono corporis?

Arguitur primò quod consistat in voluptatibus, quia voluptas est bonum propter se quæsitum; sed fœlicitas est hujusmodi. igitur. major patet primo Rhetoricæ capitulo octavo, in quo dicitur *delectatio omnia prosequitur & contrahit.*

Secundò

Secundò sic: voluptas est summè appetibilis. igitur, patet consequentia, quia omne summè appetibile est conditio fœlicitatis. antecedens patet, quia tristitia voluptati opposita est summè fugibilis, ut patet per Philosophum Tertio Ethicorum dicentem: quòd *tristitia stupefacit & corrumpit naturam habitus habentis.*

Tertiò sic: voluptas est quid delectabilissimum, igitur. patet consequentia, & antecedens declaratur, quia nihil est delectabilius quam illud quod est delectatio essentialiter, modò voluptas est delectatio essentialiter.

Deinde quartò arguitur, quòd fœlicitas consistat in aliquo bono corporis, scilicet in sanitate; fœlicitas consistit in illo quod est optimum; sed sanitas corporis est optima. ergo, major patet Primo Ethicorum. minor patet, quia sanitas corporis conservat esse & vivere & usum rationis.

Quintò sic: nam fœlicitas humana consistit in bonis virtutis, vel in sanitate, non in bono virtutis. ergo in sanitate. igitur. major est nota: & minor probatur, quia sanitas conservat corpus & bonum corporis & animæ.

Sextò, sanitas corporis est summè appetibilis. igitur. patet consequentia, & antecedens probatur, quia mors, quæ est oppositum vitæ, cujus vitæ sanitas est conservativa, è ultimum terribilium. ergo. vita est ultimum delectabilium. Patet consequentia per regulam Topicam; si oppositum in opposito & propositum in proposito. Et antecedens patet per Aristotelem Quarto Ethicorum dicentem: quòd *omnium terribilissimum est mors.*

Oppositum est de intentione Philosophi; ubi dicit, quòd fœlicitas non consistit in bonis corporis. Unde sicut anima est pretiosior corpore & passione; ita etiam dispositiones animæ dispositionibus corporis sunt pretiosiores. ergo magis consisteret fœlicitas in bonis animæ quam corporis. *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli: In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones. *Primum articulus.*

Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quòd voluptas dicitur propriè delectatio corporis. Unde sic describitur: *voluptas est delectatio sensu provenions ex conjunctione objecti convenientis ad sensum, & maximè ad sensum gustus vel tactus.* Ex quo sequitur, quòd voluptas est bonum corporis. *Primum notabile. Descriptio voluptatis.*

Secundò notandum est, quòd secundum Eustrachium in Primo Ethicorum, sicut in anima quatuor sunt principalissimæ virtutes quæ dicuntur Cardinales: scil. *justitia, fortitudo, prudentia, & temperantia*; ita etiam in corpore reperiuntur quatuor bona illis quatuor virtutibus corporis proportionabilia; ut sunt *vivacitas sensuum, pulchritudo corporis, robur corporale, & sanitas.* *Secundum. Quatuor sunt in anima principaliores virtutes.*

Tertiò notandum est, quòd prudentia in anima proportionatur vivacitati sensuum in corpore: quia sicut per prudentiam dirigitur anima ad bene agendum circa agibilia: ita vivacitas sensuum dirigit corpus seu animam sensitivam ad assentiendum. *Tertium. Cui proportionatur prudentia, temperantia, fortitudo, & justitia.*

Secundò dicitur; quòd temperantia in anima proportionatur pulchritudini in corpore ad assentiendum. quia per temperantiam anima est commensurativa passionum propter quas redditur decor in corpore.

Tertiò dicitur, quòd fortitudo animæ proportionatur robori corporis, quia sicut fortitudo reddit animam constantem: ita etiam robur reddit corpus robustum ne deficiat.

Quartò

Quartò dicitur, quòd justitia proportionatur sanitati, quia sicut justitia conservat æqualitatem & debitum medium in dando: ita etiam sanitas conservat æqualitatem & debitum medium humorum corporalium adinvicem. Ex quibus patet, quòd Eustrachius bene dicit ubi prius fuit allegatus.

Quartum. Quartò notandum est, quòd sicut corpus ordinatur ad animam tanquam minus principale ad magis principale, & minus perfectum ad magis perfectum: ita etiam bona corporis ad bona animæ. Prima pars patet, quia corpus est ad serviendum animæ, & non nisi ad bonum animæ. & sic deterius est semper gratia melioris. Ex quo sequitur, quòd nullum bonum corporis est bonum honestum, licet sit bonum utile. patet, qui nullum bonum corporis est propter se eligendum; sed quod sit bonum utile satis patet de se.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum. Sit prima conclusio: fœlicitas humana non consistit primo & principaliter in bonis corporis. Patet primò, quia fœlicitas non debet nobis inesse à natura; sed debet nobis inesse acquisita: sed bona corporis insunt nobis à natura. igitur.

Prima conclusio. Secundò sic: fœlicitas non debet esse communis nobis & brutis, sed bona corporis sunt hujusmodi. imo multa bona corporis sunt in brutis, quæ non sunt in nobis.

Tertiò sic: fœlicitas non debet esse communis bonis & malis. igitur.

Quartò sic: fœlicitas non debet nobis præbere occasionem peccandi: sed bona corporis sunt hujusmodi. igitur.

Quintò sic: quia fœlicitas non debet nobis esse bonum propter aliud melius acquirendum; quia fœlicitas est ultimus finis: sed bona corporis non sunt quærenda propter se.

Sextò sic: bona animæ sunt perfectiora bonis corporis. igitur. patet consequentia, quia sunt posteriora viâ generationis, & sunt priora viâ perfectionis; quoniam natura semper procedit de imperfecto ad perfectum, & ideo dicit Philosophus in fine Hujus Septimi: quòd *pueri sunt prius introducti in imperfectioribus*: modò bona animæ sunt posteriora viâ generationis bonis corporis.

Secunda. Secunda conclusio est ista: in bonis corporis primo & principaliter humana fœlicitas non consistit; tamen organicè & instrumentaliter & minus principaliter bona corporis sunt necessaria ad fœlicitatem humanam. Prima pars patet ex præcedenti conclusione. Secunda pars satis patet per Philosophum Secundo Ethicorum; quia anima sine sensuum vivacitate non potest bene exercere opera virtutum & operationes virtuosas, ideo dicit Philosophus, quòd quædam sunt ad fœlicitatem necessaria, & quædam quæ habent continuare.

Ad rationes. Ad rationes ante oppositum. Ad primam quando dicitur; voluptas est bonum quæsitum propter se &c. negetur ista. loquendo de bono ultimato. Unde sicut debet alibi videri non est inconveniens, quando sunt plures fines subordinati. unde bene stat quòd aliquid propter se acquiratur, & hoc est solum ab illis qui habent appetitum corruptum.

Ad secundum cum dicitur, quòd voluptas est summè appetibilis; negetur illa loquendo simpliciter. ad probationem, quia tristitia ei opposita est summè tristabilis & fugibilis; negetur illa loquendo de tristitia voluptati oppositæ, quia melius est omnem tristitiam sustinere quam aliquo modo animam maculare.

Ad tertiam negetur antecedens, ad probationem dicitur de delectatione, quia

quia quandoque capitur pro voluptate; quandoque non.

Ad quartam, quando dicitur, quòd sanitas est quid optimum; dicitur quod ista ratio bene arguit, quòd sanitas est necessaria; non tamen in illo principaliter consistit fœlicitas.

Ad quintam dicitur, quòd in bona animæ consistit: ad probationem, dicitur, quòd consequentia non valet, & eodem modo argueretur, quòd finis esset meliordinatus in finem.

Ad sextam, negetur, ad probationem, cum dicitur, quòd mors est ultimum terribilium, licet ita sit; tamen melius multo est vivere virtuosè per modicum tempus & statim mori, quam è converso, ad probationem dicitur, quòd loquitur contra illos qui ponebant fœlicitatem humanam in bonis exterioribus.

Ratio post oppositum est prodictis.

QUÆSTIO III.

De fœlicitate qua ponitur in habitu & actu.

QUæritur tertiò. Utrum fœlicitas humana consistat in virtute, vel in opere virtutis.

Arguitur quod consistit in virtute auctoritate Senecæ in libro de vita beata. Item auctoritate ejusdem in multis epistolis. Item auctoritate Tullii in libro de Officiis. De vita beata dicit Seneca: *quid petam de virtute, ipsâ mihi melius esset ipsa.* Item dicit, quòd *est quoddam bonum honestum, quod non potest augeri vel minui*: & tale est virtus. Item Tullius dicit, quòd *bonum honestum est, quod sua vi nos trahit, & sua virtute nos allicit*. & illud est virtus. ergo. patet propositum. *Arguitur.*

Secundo sic: fœlicitas consistit in illo quod est bonum seipso, & non ex alio; sed virtus est bona seipsa, quia offert propter se eligibilis, esto quòd nullum bonum inde sequeretur. Item patet, quòd una operatio secundum substantiam in uno est bona, & in alio est mala: & sic patet, quòd operatio seipsa non est bona; immò totam bonitatem capit à virtute. Tertiò sic: principaliter fœlicitas humana debet principaliter consistere in illo secundum quòd homo dicitur bonus simpliciter: sed non dicitur bonus operatione. Ergò. major patet, & minor probatur: nam non laudamus aliquem ex opere suo, nisi percipiamus opus suum provenire ex virtute & bono habitu; & ideo dicit Philosophus: non fortissimi & optimi coronantur, sed agonizantes, verum est, dum sciamus talem operationem provenire ex habitu bono & virtuoso: etiam patet exemplo, quod nunquam virtus moralis est in aliquo, nisi in bono: nos autem sumus domini operationum nostrarum usque ad finem.

Quartò sic: operatio virtutis non est delectabilissima. ergo. patet consequentia, quia fœlicitas humana est quid delectabilissimum. Antecedens probatur, quia operatio est laboriosa, cum ipsa sit circa difficile; ut habetur Secundo Ethicorum, modò laboriosum non est delectabile.

Quintò sic: virtus moralis est melior & præstantior operatione ejus: igitur, &c.

patet consequentia, quia fœlicitas est optimum possibile homini in ista vita, antecedens probatur, quia virtus moralis debet dirigere operationem, modo dirigens est nobilius directo.

Sexto sic nam si fœlicitas consisteret in operatione virtutis, sequeretur quòd pluries in die contingeret esse fœlicem eundem hominem & miserum. Consequens est falsum, ut notum est. Consequentia patet, quia contingit frequenter in die operari secundum virtutem, & frequenter ab illo opere cessare.

Septimò: operatio virtutis non est perfectissima. igitur. consequentia patet, quia notum est, quòd fœlicitas debet esse quid perfectissimum. Et antecedens probatur, quia operatio virtutis per delectationem virtutis perficitur, quia dicitur decimo Ethicorum; quòd delectatio perficit operationem.

Octavo sic; fœlicitas humana debet esse diuturna; sed operatio virtutis non est hujusmodi; imo nec virtus. ergo. patet consequentia & major ex terminis: quia aliter possibile esset, quod fœlix fieret miser. minor probatur, quia operatio est laboriosa, & non potest ei vacare. sed oportet quandoque aliis vacare.

Nono sic: fœlicitas humana consistit in scientiis speculativis, quæ sunt quædam virtutes intellectuales, igitur. patet consequentia ex terminis, & antecedens principale probatur per Commentatorem in Septimo Ethicorum in prologo; ubi dicit, quod *tota perfectio hominis consistit in scientia speculativa*: modo tota perfectio hominis est fœlicitas sua.

Decimo sic: possibile est aliquem esse fœlicem sine operatione. ergo. consequentia patet, & antecedens probatur, quia virtus moralis acquiritur, vel potest acquiri sine operatione exteriori. Item pauper est ita liberalis sicut dives.

In oppositum. Oppositum tamen vult Philosophus in isto Septimo, & in Primo Ethicorum. Et arguitur sic quibusdam rationibus: quia si fœlicitas consisteret in virtute, sequeretur, quod possibile esset aliquem fœlicem multas habere miserias. Consequens est falsum, quia fœlicitas excludit omnem miseriam. Et probatur consequentia, quia dicit Philosophus in 1. Ethic. quòd *habentem virtutem multa infortunia tribulant*. Secundo sic: fœlicitas magis consistit in illo quod quæritur propter se, quam quod quæritur propter aliud: sed virtus quæritur propter aliud, & opera non: ergo. Major patet de se, & minor patet, quia virtus est quæ habentem perficit & opus ejus bonum reddit. Tertio sic: excellentius & perfectius est operari secundum virtutem, quam habere virtutem & non operari secundum eam, modò fœlicitas est excellentior semper, ergo. Major patet à simili, quia excellentius est uti divitiis, quam habere & non bene uti eis; ita esset in proposito, & etiam potest adduci illa auctoritas in Olympiadibus: *non optimi & fortissimi coronantur, sed agonizantes*: major patet clare, quoniam fœlicitas est quid optimum & perfectissimum.

Quarto sic: fœlicitas est quid delectabilissimum; sed delectatio operationis est necessariò annexa operationi & non virtuti; major patet, & minor per Philosophum 4. Ethicorum dicentem: *delectationes inseparabiles sunt ab operationibus*.

Quintò sic: fœlicitas est quid sufficientissimum; sic quod habita fœlicitate nihil ulterius ab homine quæritur. Sed virtus moralis non est quid sufficientissimum. igitur. Patet major, quia fœlicitas debet nostrum appetitum quietare, minor patet, quia virtute habita homo petit adhuc secundum illam virtutem operari.

Sextò

Sextò sic: fœlicitas humana consistit in contemplatione summi boni, ergo, patet consequentia, quia talis contemplatio est quædam operatio: antecedens non est dubium.

Septimò: fœlicitas consistit in illo per quod immediatius unitur potentia fœlicitabilis cum objecto fœlici, sed hoc est per operationem virtutis, & non per virtutem. ergo. Patet consequentia, & antecedens patet pro utraque parte, ut notum est, verum est quòd Aristoteles & Seneca in ista materia sunt contrarii: sicut patet ex istis & ex auctoritatibus Senecæ allegatis in epistolis suis hinc inde, & idem dicit Tullius cum Seneca, sicut oppositum est ante oppositum. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum articulum. Primò notandum, quòd fœlicitas uno modo capitur pro statu eligibilissimo in ista vita, & sic non est aliquid unum; sed est aggregatus ex omnibus illis quæ virtuosus mallet habere quam non habere: & sic non capitur hic, quia non solum consistit in virtute vel opere virtutis; sed in omnibus simul. Et sic capitur à Boetio 3. de consolatione. Secundo modo capitur pro quodam bono simplici, quod est optimum inter omnia bona possibilia homini in hac vita; ut est speculatio Dei: & isto modo capitur hic; cum quæritur utrum fœlicitas est operatio, vel virtus illius operis, vel actus.

Primum articulus.
Primum notabile.
Dupliciter capitur fœlicitas.

Secundo notandum est, quod duplices sunt operationes: quædam sunt interiores, quæ dicuntur elicitæ, aliæ sunt exteriores operationes in potestate nostra; ut eleemosynas dare.

Secundum.
Duplices sunt operationes in homine.

Tertio notandum est, quod inter operationes elicitas & imperatas sunt duplices differentiæ. Prima est; quia operationes elicitæ sunt per se liberæ, & operationes imperatæ non; quia illæ necessario sequuntur effectivè volitionem. Secunda differentia: quia operationes imperatæ non sunt meritoriæ vel demeritoriæ, bonæ vel malæ, nisi propter bonitatem vel malitiam operationum elicitarum. Sed communis opinio est, quod actus exteriores non addunt bonitatem vel malitiam operationibus interioribus. Tertia est: quia operationes elicitæ animam perficiunt sed operationes imperatæ animam decorant per istum modum; scil. si percipiamus operationes exteriores frequentatas; dicimus animam esse decoram. Quarta differentia est: quia operationes exteriores reguntur per operationes interiores, licet non è contra.

Tertium.
Quadruplex est doctrina inter operationes elicitas & imperatas.

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio: operationes exteriores non sunt perfectiores virtutibus; patet conclusio; quia virtutes morales perfectius informant animam, quam operationes exteriores. Item, quia virtutes ipsis sunt bonæ. Item non laudamur propter operationes exteriores, nisi quia percipimus quod ab illis habitibus virtuosis proveniunt.

Secundus articulus.
Prima conclusio.

Secunda conclusio; operatio interior & elicita est melior & perfectior virtute cujus est actus. probatur, quia operatio fœlicitabilis per operationem interiorem intimiùs unitur cum subjecto ipsam beatificante; ergo. patet consequentia, quia quanto actus intimiùs unitur cum subjecto, tanto est melior & antecedens probatur, quia per actualem speculationem Dei, qui est finis omnium, magis quietatur mens quam per purum habitum. Item non proficeret homini habere habitum & nunquam exire in operationem, imò nullus tales habitus eligeret. Tertiò: nam homines magis laudantur per tales actus interiores. ergo. Patet consequentia, & antecedens probatur, quia tales operationes sunt in potestate

Secunda.

nostra, postquam sunt acquisitæ, modo magis laudamur propter illud quod est in potestate nostra, quam è converso:

Quarto sic: operationes sunt causæ virtutum, ergo. patet consequentia, & antecedens probatur per Philosophum Secundo Ethicorum dicentem: *Ex actibus secundum rationem commensuratis fiunt & generantur virtutes. Et ideo fabricando fabri sumus, & sytharizando sytharistæ.*

Tertia. Ex istis sequitur conclusio responsiva: quod fœlicitas consistit in operatione

Conclusio responsiva. virtutis, & non in virtute. Patet conclusio ex dictis, quia fœlicitas est eligibilis propter se, & debet esse ultimus finis, & omnia alia debent propter ipsum acquiri. Modò omnia ista conveniunt operationi virtutis. Et istud patet ex definitione fœlicitatis: nam fœlicitas est operatio, etiam ut prius patuit.

Tertium articulus. Quantum ad tertium articulum. Sit prima dubitatio. Utrum fœlicitas capta ut dictum est sit eligibilissima. Arguitur quod sic: quia alias non haberet contentare appetitum hominis.

Primum dubium.

Arguitur.

In Oppositum. Oppositum arguitur sic: nam fœlicitas isto modo capta cum minimo bono sumpta redditur eligibilior; & tamen est possibile, quòd cum alio bono connumeretur. ergo. patet conclusio ex dictis Philosophi primo Ethicorum. Et minor patet, quia contemplatio Dei conjungi potest cum amicitia & possessione

Prima conclusio. bonorum exteriorum; & sic tale bonum est eligibilius. Pro intellectu hujus sit prima conclusio: fœlicitas capta primo modo non est eligibilior, melior & perfectior fœlicitate sumpta pro simplici bono meliori inter omnia bona possibilia homini.

Secunda. Secunda conclusio: inter omnia bona possibilia homini fœlicitas secundo modo capta est quid optimum & perfectissimum. patet, quia est finis ad quem omnia alia ordinantur.

Tertia. Tertia conclusio: non obstante secunda conclusione fœlicitas capta secundo modo connumerata cum minimo bono redditur eligibilior: patet per Philosophum primo Ethicorum. Et tunc ad argumentum: quando arguitur est bonum eligibilissimum: verum est inter bona simplicia homini possibilia in vita: cum hoc tamen stat, quod actus est eligibilior in quo habetur fœlicitas secundo modo dicta.

Secundum dubium. Secundo dubitatur: Utrum ille qui cessat ab operatione in qua fœlicitas humana consistit compulsus naturali necessitate, ut comestione vel dormitione; & sic de aliis, reddatur miser.

Arguitur. Et videtur quòd sic, quia omnis status qui recedit à fœlicitate est miseria. igitur.

Notabile. Pro quo notandum est, quòd miseria capitur dupliciter. Uno modo, prout

Miseria capitur dupliciter. opponitur contrariè fœlicitati, & sic ad esse miserum non sufficit carere fœlicitate: sed quòd homo natus sit in malitia. Secundo modo est carere fœlicitate in subjecto apto nato, quando debet esse, & quomodo. & qualiter, & cum aliis circumstantiis: & sic sumendo miseriam, Dicitur, quòd non est miser qui cessat à tali operatione in qua est humana fœlicitas solum compulsus naturali necessitate, & isto modo dicitur miseria privativè: & ideo homo dicitur cæcus, quia non videt sed est aptus natus ad videndum, & ita est in proposito, quia adhuc est in fœlicitate habituali: sic quòd omnes operationes quas exercet ordinat in operationem, quæ est fœlicitas humana; ut scilicet comedat: vel dormiat; quòd

hoc

hoc faciat ut melius & liberius possit divinæ speculationi vacare.

Dubitatur tertio : Utrum possibile sit per potentiam liberam habituatam habitu vitioso bonam operationem eligere ? Et videtur quod sic : quia aliàs non esset libera. *Tertium. Arguitur.*

Oppositum arguitur. Nulla est operatio bona, nisi ab habitu bono, nec mala, nisi ab habitu malo : ergo, patet consequentia, & antecedens notum est, quia dicitur Secundo Ethicorum, quòd *virtus est quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit*. *In oppositum.*

Pro quo est notandum, quòd ad bonam operationem interiorem elicitam frequenter requiruntur duæ causæ, una principalis : scilicet potentia libera, alia vero instrumentalis, quæ est directiva : quatenus promptius talem actum producit : & vocatur virtus, & isto modo dicitur ; quòd virtus perficit opus. *Primum notandum. Ad bonam operationem interiorem duæ requiruntur. Secundum.*

Secundò notandum est ; quòd quantum est de se potentia libera quantumcunque habituata potest producere actum vitiosum vel virtuosum ; verum est tamen quòd quandoque facilitatur & dirigitur, ut dictum est, à virtute & habitibus. Ex istis patet, quòd virtus non est principium bonæ operationis principale.

Ad rationes. Ad primam ad auctoritatem Tullii & Senecæ. Dicitur quòd fuerunt illius operationis. *Ad rationes.*

Ad secundam conceditur : fœlicitas consistit in illo &c. negatur minor, & dicitur, quòd operatio in quo consistit fœlicitas, de qua est ad propositum, est de se bona, & non potest malefieri, & virtus ordinatur ad talem operationem, ut sunt dilectio : vel contemplatio : vel visio Dei.

Ad tertiam quando dicitur ; fœlicitas magis consistit in illo &c. Dicitur conformiter negando minorem, loquendo de operatione de qua est ad propositum, ut clarum est. & talis operatio est optima, & non potest melius acquiri in hac vita : sed homo potest melius quærere quam virtutes.

Ad quartam cum dicitur : operatio virtutis non est delectabilissima. negatur illa ; loquendo de operatione ista. Et quando dicitur, virtus est circa difficilia & laboriosa. Dicitur, quòd licet sit tristitia quantum ad membra deservientia intellectui & vires inferiores ; tamen illa tristitia propter delectationem & fruitionem vel visionem totaliter & omnino exterminatur.

Ad quintam negatur antecedens. Ad probationem. dicitur, quòd hoc facit virtus instrumentaliter & non principaliter.

Ad sextam negatur minor. loquendo de operatione de qua est hic ad propositum. Et quando dicitur ; delectatio perficit operationem. Dicitur, quod hoc est verum ; loquendo de operationibus ordinatis in illam operationem. primò dicitur ; quòd secundum aliquos delectatio est ipsamet fœlicitas.

Ad septimam negatur consequentia, & dicitur, quòd sufficit quòd aliquis sit actu vel habitu fœlix.

Ad octavam dicitur consimiliter.

Ad nonam dicitur ; quòd magis videbitur post : scilicet, utrum fœlicitas consistat in actibus intellectûs vel voluntatis.

Ad decimam dicitur, quòd consistit in actu interiori, & ille actus est perfectior.

QUÆSTIO IV.

De fœlicitate in delectatione.

Quæritur quarto. Utrum fœlicitas sit realiter delectatio?

Arguitur. Arguitur quod non. nulla passio est fœlicitas: sed delectatio est passio, consequentia est nota, & major probatur. quia sicut dicit Bustras quòd *passio est animi irrationalis motus*, modò clarum est, quod hoc non conveniat fœlicitati, ex alio patet, quia propter passiones non laudamur, ergo. major patet per Philosophum in Tertio Ethicorum, & in aliis multis locis.

Quid passio.

Secundò sic: fœlicitas est operatio; sed delectatio non est operatio. ergo. consequentia est nota, & major ex diffinitione fœlicitatis, ubi dicitur; quòd *fœlicitas est operatio secundum virtutem*. Et major probatur, quia delectatio auget operationem & sequitur eam; ut habetur Sexto Ethicorum, & per consequens sequitur propositum.

Tertiò sic: nulla delectatio sponte & libere elicitur; sed fœlicitas libere elicitur. igitur. consequentia est nota, & major patet per Philosophum Secundo Ethicorum, qui per hoc probat, quòd virtutes non sunt passiones, quia in aliis videmus, quòd multi delectari volunt & non possunt. Apparet etiam, quòd tristitia non libere elicitur. minor patet, quia aliàs propter ipsam non laudaremur nec redderemur habiles.

Quartò sic: fœlicitas & delectatio habent objecta distincta. ergo. consequentia est nota ex eo, quia *habitus adinvicem distinguuntur per objecta*, secundo de anima. antecedens probatur, nam objectum fœlicitatis est ipse Deus, objectum delectationis est actus animæ.

Quintò sic: fœlicitas est actus rectus, & delectatio est actus reflexus, & non rectus. ergo. consequentia est nota, & major patet, quia est actus quo potentia fœlicitabilis immediate & recte fertur in objectum delectabilissimum: sed delectatio est actus reflexus, qui fertur super actum animæ.

Sextò sic: fœlicitas secum compatitur dolores & tristitias: ergo. consequentia est nota, quia delectatio non secum compatitur tristitias, & antecedens patet per Philosophum Quinto Ethicorum dicentem; quod multa infortunia circumdant.

Septimò sic: tristitia & miseria non sunt illud. ergo. patet consequentia per regulam; Si oppositum in opposito &c. Et antecedens probatur, quia jam diceretur tristitia.

Octavò sic: si sic esset; sequeretur, quod omnes virtutes morales essent passiones. consequens est falsum, ut patet per Philosophum Secundo Ethicorum. probatur consequentia, quia passionem sequitur delectatio: similiter ad virtutem moralem sequitur fœlicitas; cum fœlicitas sit finis eorum.

Nonò sic: per Philosophum Primo Ethicorum dicentem; quod fœlicitati est delectatio admixta, & etiam arguitur auctoritate ejusdem in Septimo Ethicorum dicentis; quòd delectatio implicatur in fœlicitate. Tertia auctoritas est Primo Ethicorum, ubi dicitur, quòd fœlicitas habet delectationem in seipsam.

Oppositum

Oppoſitum eſt de intentione Philoſophi Decimo Ethicorum; ubi hoc dicitur, & concluditur hinc inde. *In Oppoſitum.*

In quæſtione erunt duo articuli. In primo reſpondebitur ad quæſitum. In ſecundo erunt dubia.

Quantum ad primum articulum. Videndum eſt de quæſito principali, & primò præmittitur, quod in præſenti quæſtione ſit mentio de fœlicitate meritoria homini poſſibilis in hac vita. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Secundò notandum eſt, quod fœlicitas prout ſufficit ad propoſitum debet eſſe ſatiativa appetitus rationalis, & quietativa humanæ voluntatis. hoc patet. quia fœlicitas debet eſſe quid optimum & delectabiliſſimum: modò nullum eſt tale, quin ſit ſatiativum & quietativum. Et ob hoc dicit Auguſt: *Domine inquietum eſt cor meum donec in te requieſcat.* *Secundum.*

Tertiò notandum eſt, quòd in generali actus ipſius animæ ſunt duplices; quidam ſunt producti naturaliter, & non mediante conſilio: ut ſunt ſenſationes; ſicut etiam ſunt primi actus voluntatis qui conſequuntur naturalem rei juſtitiam aut delectationem. alii ſunt actus ipſius animæ qui conſequuntur primos actus animæ, & quandoque duos; ut ſunt triſtitiæ & delectationes. Et iſti actus vocantur paſſiones animæ. *Tertium.* *Duplices ſunt actus animæ.*

Quartò notandum eſt, quod circa actus animæ, qui dicuntur paſſiones animæ, adhuc ſunt duplices: quidam qui conſequuntur naturalem apprehenſionem objecti ſine diſcurſu primo: ut ſi præſentetur aliquod ſenſibile excellens alicui homini: manifeſtum eſt, quod auget, & triſtitiam compatitur. *Quartum.* *Circa paſſiones animæ ſunt duplices actus.*

Unde *paſſio eſt repentinus impetus ſequens naturalem notitiam ſive apprehenſionem naturalem*, ut dicit Commentator Secundo Metaſed aliæ ſunt paſſiones quæ conſequuntur operationes animæ ſponte & liberè elicitas, ut volitio, nolitio. *Quid paſſio.*

Quintò notandum eſt, quod differentia eſt inter paſſiones conſequentes naturalem apprehenſionem objecti, & inter paſſiones conſequentes operationem animæ libere, quia ſecundum primas paſſiones nec laudamur nec vituperamur, quia tales non ſunt in poteſtate noſtra & voluntate: ſed ſecundum ſecundas paſſiones nos laudamur & vituperamur. *Quintum.* *Differentia eſt inter paſſiones conſequentes apprehenſionem objecti & inter conſequentes operationem voluntatis.*

Sextò notandum eſt, quòd delectationes conſequentes operationes animæ liberè & ſponte elicitas ſunt duplices: Nam quædam ſunt corporales: aliæ ſpirituales & intellectuales. Primæ vocantur voluptates, Secundæ vocantur delectationes ſecundum quas aliquis dicitur temperatus vel intemperatus, & non ſecundum ſecundas. *Sextum.*

Septimò notandum eſt, quòd conformiter diſtinguere poſſumus de triſtitia & miſeria; ſicut dictum eſt in quæſtione præcedenti. nam quædam ſunt ſenſibiles: aliæ ſunt ſpirituales & intellectuales. *Septimum.*

Prima concluſio: loquendo de delectatione corporali ſeu ſenſitiva; humana fœlicitas non eſt delectatio: probatur, quia illa delectatio non eſt in fœlicitate quæ ſic ſe habet; quòd quanto plus reputatur, tanto dicitur beatior: ſed delectatio ſenſitiva ſeu corporis eſt hujuſmodi: ergo. conſequentia eſt nota. & major ſimiliter. Minor patet per Philoſophum in iſto Septimo Hujus, qui expreſsè hoc ponit. *Prima concluſio.*

Secunda concluſio: cum fœlicitate homini poſſibili in hac vita bene ſtant miſeria *Secunda.*

miseriæ & dolores corporales sensitivæ. Ista conclusio est de mente Philosophi Ethicorum Primo, ubidicit, quòd multa infortunia tribulant fœlicem: sed illis tribulationibus refulget bonum.

Tertia. Tertia conclusio: cum fœlicitate possibili in hac vita non stat miseria sine tristitia speciali. probatur conclusio: quia fœlicitas debet esse operatio partis rationalis secundum perfectissimam virtutem & in vita perfecta, & pro moderamine sequentis conclusionis capitur ibi fœlicitas pro summo bono simplici, quod est optimum inter omnia bona homini possibilia in hac vita.

Quarta. Responsiva. Quarta conclusio responsiva: loquendo de delectatione spirituali & intellectuali quæ est potissima fœlicitas, de qua est in proposito, est delectatio. probatur, quia sola delectatio talis est simpliciter quietativa & satiativa perfecti nostri appetitus. consequentia est nota, & antecedens probatur, quia clarum est, quòd quicquid habeatur, sive sit bonum corporis, sive bonum animæ, nunquam appetitus satiatur; nisi habeat delectationem.

Secundò: delectatio nostra propter seipsam acquiritur propriissime, ergo. consequentia est nota, & antecedens probatur. quia si quæcunque bona haberentur, & non delectatio; adhuc delectatio quæreretur.

Tertiò: illud formaliter & propriissime est fœlicitas, quod formaliter & intrinsecè opponitur miseriæ & tristitiæ: sed delectatio est hujusmodi: ergo.

Quartò: miseria summa est summa tristitia: ergo summa delectatio est summa fœlicitas, consequentia patet, & antecedens notum est.

Quintò sic: illud est fœlicitas quod propriissime omnes appetunt: sed omnes appetunt delectationem: igitur, consequentia est nota. & antecedens similiter.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, ponuntur dubitationes. prima est: utrum fœlix sit major fœlicior?

Primum dubium. Arguitur. Arguitur quòd non, quia omnis fœlix est fœliciſſimus. ergo, consequentia est nota & antecedens, quia fœlicitas est eligibiliſſima: modò bono summo nihil est melius.

Secundò sic; sequeretur quòd minus fœlix non esset fœlix, Consequens est falsum, ut notum est. Patet consequentia, quia ad hoc quòd aliquis sit fœlix, oportet quòd appetitus ejus sit satiatus, & sic minus fœlix appeteret esse magis fœlix.

In oppositum. Oppositum arguitur, quia minus virtuosus est virtuoso virtuosiori ergo. Consequentia patet, quia sicut se habent virtutes ad virtutes; ita se habent operationes ad operationes. Item Johan: 10. *in domo patris mei multæ mansiones sunt.*

Notabile. Duo sunt in fœlicitate considerando. Pro quo notandum est, quod in fœlicitate sunt duo consideranda: scil. objectum fœliciſativum, quod est ipse Deus. aliud est, adeptio illius objecti seu summi boni; & est dilectio, seu cognitio ipsius boni: si fœlicitas ponatur in actu ipsius intellectus, sic est cognitio; si in actu voluntatis, sic est dilectio. Primum est fœlicitas objectalis. Secundum est fœlicitas formalis.

Prima conclusio. Prima conclusio: Loquendo de fœlicitate objectali. unus fœlix non est alio fœlice fœlicior. Probatur, quia idē est objectū fœlicitatis, objectalis, & formalis.

Secunda. Secunda conclusio: Loquendo de fœlicitate formali unus homo est alio fœlicior. Probatur, quia unus fœlix cognoscit perfectiori modo objectum fœliciſativum quàm alius: ergo. Consequentia est nota, & antecedens probatur, quia secundum hoc quod potentiæ fœliciſabiles diversificantur secundum hoc ille magis & minus cognoscunt.

Ad

Ad rationes dubii. Ad primam; negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod verum est, loquendo de fœlicitate objectali: sed non loquendo de formali. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam; negatur consequentia. Ad probationem negatur antecedens, quia quilibet de sua fœlicitate contentatur.

Dubitatur secundò: utrum fœlicitas humana sit amissibilis.

Arguitur quod sic: quia operatio intellectus vel voluntatis est amissibilis; sed fœlicitas est hujusmodi operatio: igitur. *Dubium secundum.*

Secundò sic: fœlicitas habet principium & initium: ergo habet finem. Consequentia tenet, quia principio correspondet finis. Antecedens notum est. *Arguitur.*

Oppositum arguitur, quia virtus non est amissibilis: ergo. Consequentia tenet. Et antecedens patet per Philosophum Primo & Secundo Ethicorum. *In oppositum.*

Pro solutione sit prima conclusio: fœlicitas meritoria, quæ est homini possibilis in hac vita, est amissibilis saltem difficulter. Probatur per rationes antecedentis oppositum, quia homo semper habet libertatem arbitrium, & dicitur difficulter: ergo fœlicitas est habitus. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: fœlicitas præmiatoria non est amissibilis. Probatur, quia nullus est simpliciter beatus, nisi habeat firmam opinionem quod sic perpetuo remanebit: tunc arguitur sic: vel illa opinio est vera; & tunc habetur propositum: vel opinio illa est falsa; & sic intellectus est deceptus, & falsum est objectum ejus, & per consequens non est fœlix: & tunc sequitur quòd fœlicitati sit malum admixtum. *Secunda.*

Secundò, si sic esset, vel hoc esset, quia voluntas libere alteri objecto fœlicitabili converteret se; vel quia tale objectum se abstrahit à voluntate, nullum istorum potest dici: ergo. Primum non, quia voluntas nunquam ab illo se abstrahit, ideo non judicat esse aliquod incommodum. Nec secundum potest dici, quia hoc non faceret, nisi esset in potentia fœlicitabili, quod non est ibi ut supponitur. Ratio post oppositum arguit, quòd fœlicitas non est de facili amissibilis.

Dubitatur tertiò: utrum omnes appetant fœlicitatem? Arguitur quod non, quia non omnes cognoscunt fœlicitatem; ergo non omnes appetunt eam. Consequentia tenet, quia appetitus saltem sensitivus non intellectualis non fertur, nisi in cognitum. Et antecedens patet, quia multi antiqui multas opiniones habuerunt de fœlicitate. Secundò, dicit Augustinus, quòd *fœlix est qui habet quicquid vult.* *Dubium tertium.* *Arguitur.*

Oppositum arguitur: quia fœlicitas est ultimus finis humanæ vitæ: ergo. Patet consequentia, quia omnes homines appetunt finem. Antecedens patet, quia fœlicitate habita quietatur intellectus. *In oppositum.*

Pro intellectu hujus notandum est, quod fœlicitas dupliciter accipitur: Uno modo, pro illo quod est optimum secundum rationem ejus communem. Alio modo, secundum ejus rationem specialem in qua consistit, cui attribuuntur omnia ista prædicata: scilicet optimum: perfectissimum: sapientissimum: & per se, & in isto multi defecerunt: sed non in alio, scil. in primo; quia sciverunt omnes quod est unum primum ens optimum. *Notabile.* *Duplicitèr capitur fœlicitas.*

Prima conclusio est: loquendo de speciali ratione fœlicitatis non omnes homines appetunt appetitu rationali fœlicitatem. Patet per primam rationem antecedentis oppositi. *Prima conclusio.*

te oppositum: quia non omnes cognoscunt fœlicitatem.

Secunda. Secunda conclusio: loquendo de generali ratione fœlicitatis omnes homines naturaliter, & naturali inclinatione appetunt illud quod est perfectissimum & sufficientissimum per se. Loquendo de appetitu animali: & etiam loquendo de hominibus utentibus bona ratione & recta.

Quartum dubium. Quartum dubium: utrum fœlicitas humana insit à principio, quo quis sit fœlix, & duret usque in finem vitæ?

Arguitur. Et arguitur quod non, quia natura humana est labilis, & per consequens sequitur, quod potest duci ad oppositum.

Secundò sic: quia fœlicitas est operatio virtutis: modò homo non semper operatur opera virtuosa, ergo sequitur, quod non semper est fœlix.

In oppositum. Oppositum arguitur per definitionem fœlicitatis: *quæ est operatio animæ rationalis secundum vitam perfectam, & in vita perfecta.* i. continuata, & nullo modo corrupta vel interrupta.

Quid fœlicitas.

Prima conclusio. Pro intellectu dubii sunt conclusiones. Prima est: nulla hominis fœlicitas permanet aut durat à tempore quo homo sit fœlix usque ad finem vitæ per exclusionem corporis stante naturali necessitate. Patet, quia nullus est, quin habeat corrumpere & non continuare actus fœlicitatis propter naturalem necessitate incumbentem, ut propter comedere, vel potare, vel bibere.

Secunda. Secunda conclusio: nullus hominis fœlicitas permanet à tempore quo homo primò est fœlix usque ad finem vitæ per miseriæ exclusionem. Probatur, quia quantumcunque homo sit fœlix, adhuc non est tantum ejus intellectus habituatus, quin sit liber.

Tertia. Tertia conclusio: Cujuslibet hominis fœlicitabilis fœlicitas permanet à tempore, quo homo primò est fœlix usque ad finem vitæ suæ per exclusionem miseriæ faciliter consequentis. Probatur conclusio, quia homo postquam habituatus sit operationibus virtuosis non faciliter trahitur ad oppositum.

Quarta. Quarta conclusio: eadem fœlicitas est totaliter, vel æquivalenter, actualiter, vel habitualiter homini à tempore quo est fœlix usque ad finem vitæ suæ. Patet conclusio per Eustra: Primo Ethicorum dicentem: quod homo non operatur semper virtuosè, tamen omnes illas operationes ordinat in ipsam fœlicitatem.

Ad rationes. Ad rationes dicitur, quod faciliter possunt solvi ex iis quæ dicta sunt in primo articulo, per distinctionem de passione & miseria.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO V.

De fœlicitate in actu intellectus & voluntatis.

QUæritur quintò. Utrum fœlicitas consistat in actu intellectus, vel in actu voluntatis. Et est idem, ac si quæreretur: Utrum fœlicitas humana sit volitio vel dilectio Dei.

Arguitur. Et arguitur primò, quòd consistat in actu voluntatis; quia secundum actum voluntatis

voluntatis meremur, & non ſecundum actum intellectus: ergo. Conſequentia eſt nota: quia fælicitas eſt in illo per quod meremur. Antecedens patet, quia cognoſcendo non meremur; ſed diligendo & amando Deum, quia operationes intellectus non ſunt voluntariæ.

Secundò ſic: fælicitas humana conſiſtit in charitate, & tamen charitas eſt habitus voluntatis, & non intellectus: ergo. Major patet, quia inter omnes habitus homini poſſibiles ſuperior eſt charitas. Minor probatur, quia charitas conſiſtit in hoc; quod eſt diligere & amare Deum, quod eſt actus voluntatis.

Tertiò ſic: fœlicitas humana rationabiliter conſiſtit in actu illius potentiæ, per quem homo intimius & perfectius unitur cum objecto beatifico; ſed hoc eſt per voluntatem, ergo. Major patet de ſe, & minor probatur, quia humana voluntas per actum ſuum maximè unitur objecto, quia volumus illud quod accepimus: ſed indifferenter intelligimus illa & alia refutanda. Item amans per voluntatem ad amatum transformatur: ergo.

Quartò ſic: per actum voluntatis homo plus Deo placet ut ſic, quam per actum intellectus ut ſic, ergo. Patet conſequentia. Et major probatur, quia manifeſtum eſt, quod una vetula quæ habet magnam dilectionem Dei plus placet Deo, quam clericus magnus habens magnam cognitionem de Deo.

Quintò ſic: actus voluntatis eſt melior quam actus intellectus: ergo. Conſequentia patet, quia fœlicitas eſt quid optimum, & quid ſummè deſideratum. Antecedens patet, quia diligere eſt actus amicitiæ, qui ſolum reperitur inter bonos; ſed actus intellectus reperitur tam inter bonos quam inter malos.

Sextò ſic: fœlicitas humana potius conſiſtit in actu illius potentiæ quæ ſemper in objectum ſuum fertur ſub ratione boni, quam illa quæ fertur in ſuum objectum ratione boni veri vel apparentis; Intellectus autem fertur in ens ratione boni veri vel apparentis: ergo.

Septimò ſic: actus voluntatis eſt delectabilior quam actus intellectus: ergo. Patet conſequentia, quia fœlicitas eſt quid delectabiliſſimum & optimum: & antecedens patet, quia ſolius voluntatis eſt delectari, Modò unaquæque potentia magis delectatur in proprio actu quam in actu alterius potentiæ, & proprius voluntatis actus eſt dilectio: igitur.

Octavò ſic: odire Deum eſt multùm pejus quam ignorare Deum: ergo, diligere Deum eſt multò melius quam cognoſcere. Conſequentia tenet per illam maximam: Si oppoſitum de oppoſito. Et antecedens notum eſt, quia unum eſt demeritorium, & alius non, & ſic unum eſt pejus alio.

Nonò ſic: Dilectio eſt actus voluntatis; ſed fœlicitas conſiſtit in dilectione: ergo. Patet conſequentia, & major patet, quia ſolius potentiæ volitivæ eſt delectari. Et minor patet per prædicta.

Decimò ſic: Voluntas eſt nobilior potentia, quam intellectus: ergo. Patet conſequentia, quia fœlicitas eſt operatio partis rationalis ſecundum optimam potentiam: & antecedens probatur, quia voluntas humana ut ſic eſt libera, & intellectus ut ſic non eſt liber: modò liberum eſt nobilius non libero.

Undecimò ſic: actus voluntatis eſt perfectior actu intellectus: ergo. Patet conſequentia, quia poſteriora viâ generationis ſunt priora viâ perfectionis. Patet etiam per Auguſt. *invisa poſſumus diligere, incognita autem nequaquam.*

Duodecimò ſic: Habitus voluntatis eſt minor quam habitus intellectus, igi-

tur. Patet consequentia, quia si habitus est melior, ergo & actus. Antecedens probatur, quia bene habituatum quoad voluntatem dicimus bonum simpliciter; non autem habituatum quoad actum intellectus, & habitibus intellectualibus dicimus bonum simpliciter, sed dicimus ipsum bonum Grammaticum: & sic de aliis habitibus.

In oppositum. Oppositum arguitur: & probatur, quòd fœlicitas consistit in actu intellectus, quia fœlicitas humana consistit in speculatione summi entis: sed speculatio est actus intellectus: ergo. Consequentia est nota, & major patet per Philosophum Decimo Ethicorum, & Septimo dicentem: quòd vita speculativa est eligibilior practicâ. Minor probatur, quia ut sic voluntas est cœca.

Secundò sic: intellectus ut sic est melior & perfectior quam voluntas, ergo. Consequentia est nota. Et antecedens probatur multipliciter: scil. quod intellectus sit potentia nobilior. Nam dicit Seneca, *ad divitias optimum quid est de homine.* & sequitur, *sola ratio perfectum verum facit.* Secunda auctoritas est in alia epistola: *in Philosophiam te transfer, sivis esse securus, quod maxima est, si vis esse liber.* Modò Philosophia pertinet ad Metaphysicum, ut sic. Et sequitur: *si vis omnia tibi submittere, submitte te rationi.* Idem Philosophus patet per Tullium in libro de Paradoxis, ubi omnes sapientes vocat liberos, & omnes ministros vocat stultos. modò sapientia est virtus moralis & intellectualis. Et sic sequitur, quod ratio seu intellectus est nobilior voluntate, ergo est perfectior, tenet consequentia, quia liberius est perfectius minus libero, ut dicebam in una ratione ante oppositum: scilicet in prima. Et antecedens probatur, quia intellectus est ante actum voluntatis, sic quod voluntas nunquam suos exercet sine intellectu. Item intellectus est dominus actuum voluntatis, quia habet videre quæ sunt bona, & quæ sunt mala.

Secundò sic: actus voluntatis non propter se quæritur: sed actus intellectus propter se quæritur, quia est speculari quod propter se quæritur, & objectum voluntatis non propter se quæritur: sed propter bonitatem.

Tertiò patet, quia intellectus exercere actus suos potest sine actibus voluntatis. Item Joa. 17. *hæc est vita æterna ut cognoscam te.* Item August. in libro de civitate Dei. *quod visio Dei est tota merces.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de comparatione intellectus ad voluntatem penes liberum ad servum. In secundo respondebitur ad quæstum.

Primus articulus. Dubium primum: Arguitur. Quantum ad primum articulum est prima dubitatio: utrum voluntas sit magis libera, quam intellectus. Et arguitur, quòd voluntas sit magis libera, quia voluntas se habet ad intellectum sicut dominus ad servum: ergo. patet consequentia, quia dominium arguit libertatem. Antecedens probatur, quia *ratio semper ad optima deprecatur* Primo Ethicorum. Ex quo sequitur, quòd cum intellectus deprecatur aliam potentiam; sequitur, quòd est servus, & non respectu appetitus sensitivi, ut notum est: ergo sequitur, quòd est respectu appetitus intellectivi, qui est voluntas.

Secundò sic: Nam secundum voluntatem nos sumus domini nostrarum operationum, & non secundum intellectum: ergo sequitur, quòd voluntas dominatur in ordine ad intellectum. Patet consequentia. Et antecedens probatur, quia solum operationes voluntatis sunt meritoriæ & demeritoriæ.

Tertiò

Tertiò sic: Ipsa voluntas præcipit intellectui, & non è converso: igitur. patet consequentia, quia præcipere pertinet ad dominium. Et antecedens patet, quia voluntas præcipit intellectui ut speculetur, & ita speculabitur si non sit impedimentum.

Secundò sic principaliter arguitur: quia voluntas non potest cogi, & intellectus potest cogi: igitur. patet consequentia; & antecedens pro secunda parte: quia nisi sic, voluntas non esset voluntas. Et antecedens patet pro prima parte, quia posito primo principio in intellectu terminis intellectis intelligit de necessitate in actum intelligendi.

Tertiò sic: Voluntas omnibus similiter se habentibus potest in utrumque oppositorum, & intellectus non: igitur. patet consequentia, & major & minor probantur, quia intellectus determinatur à voluntate ad speculandum.

Quartò sic. In potestate voluntatis est reddere hominem servum & liberum: & non est in potestate intellectus. igitur, patet consequentia & major. Minor probatur, quia in potestate voluntatis est, quòd homo sit bonus vel malus. Modò dicitur Primo Hujus, quòd virtus & vitium determinant & servum & liberum. Et minor nota est; quia multi sunt boni Clerici & speculativi; & tamen sunt mali & vitiosi.

In oppositum. Oppositum arguitur. Intellectus habet determinare quid sit agendum & quid dimittendum, quid volendum & quid acceptandum, & quid verificandum: igitur, consequentia est nota, & antecedens probatur. quia voluntas non fertur nisi in cognitum, & per consequens non fertur in actum; nisi intellectus eum determinet.

Primum notabile. Pro intellectu hujusmodi dubii est primò notandum: quòd tenendo viam communem & veram, scilicet quod in homine non est nisi una anima, quæ est intellectus & voluntas; quæstio de virtute sermonis est falsa. Loquendo de intellectu & voluntate in eodem homine, & in eodem suppposito. Apparet, quia voluntas est realiter intellectus, & è converso, & sic idem erit liberius seipso.

Secundum. Secundò notandum, quòd dubitatio debet recipi ad istum sensum; quando quæritur &c. i. e. utrum anima liberius producat actum intelligendi secundum quem dicitur intellectus: quam actum voluntatis secundum quem dicitur voluntas, quam è converso.

Tertium. Tertiò notandum est, quod duplex est libertas: quædam est quæ dicitur sui ipsius gratiâ, alia est libertas oppositionis. Unde agens liberè agit primo modo, sic quòd agit sui ipsius gratia principali intentione. & non gratia alterius, ad quem omnia habent ordinem & reductionem, & hoc modo solus Deus dicitur agens liberum. Oppositio modo aliquis serviliter dicitur agere; quando est agens respectu sui ipsius, quod dicitur agens particulare; sed illud dicitur libere agere libertate oppositionis quod potest in aliquod, vel in oppositum ejus omnibus eodem modo habentibus se; quantum est de se vel ad eligendum vel non eligendum, & istud est multiplex sicut est videri alibi.

Duplex est libertas.

Quid est libere agere libertate oppositionis.

Quartum notabile. Quartò notandum est, quod dupliciter actus potest esse in nostra potestate. uno modo, quia est immediatè & secundum se in nostra potestate, & talis actus vocatur elicitus. alius est actus solum in nostra potestate consecutivè, & secundum quid, & talis actus vocatur actus imperatus, quia consequitur actum imperantem, scilicet qui immediate & secundum se est in potestate nostra, & talis actus

Dupliciter actus dicitur esse in nostra potestate.

actus in comparatione veri actus eliciti sequitur: & ideo dicitur, quòd actus exteriores non addunt aliquam malitiam actibus interioribus.

Quintum. Quintò notandum est, quod quidam sunt actus primi, qui consequuntur simplicem apprehensionem objecti convenientis vel disconvenientis: ut sunt displicentia, & placentia. alii sunt executorii, ut sunt voluntas, & sic de aliis, & sic dicitur de actibus intellectus.

Qui sunt actus primi executorii.

Sextum. Sextò notandum est, quod secundum veritatem libertas oppositionis in finem ordinatur tanquam libertatem, quæ est sui ipsius gratiâ. Istud declaratur primò supponendo: quod non quicquid est apparens bonum est bonum simpliciter, vel quod apparet malum est malum moraliter.

Secundò quia libertas oppositionis non est nobis data ad acceptandum omne illud quod apparet bonum; vel refutandum omne illud quod apparet malum: sed est nobis data, ut si judicium non est bonum, possumus distrahere & suspendere actum volendi vel nolendi, quousque sciamus quòd judicium sit magis exquisitum firmum per intellectum habitum.

Istis suppositis declaratur notabile: quia data nobis est voluntas ut differatur actus; donec intellectus habeat veritatem ut sciat, & sic intellectus sui ipsius gratia immediatè operabitur post Deum, ut perficiatur melius, & sic tunc ejus voluntas operabitur. Item, quia nos non sumus liberi respectu ipsius Dei in actibus, quia Deus est gratia omnium. Item tertiò, quia in Deum omnia bona alia ordinantur: modò libertas est bonum humanum.

Corollaria. Corollariè sequitur, quòd illud est simpliciter bonum liberum, quod est liberum sui ipsius gratia. Et ratio est, quia multi Philosophi non attribuerunt libertatem oppositionis Deo.

Prima conclusio. Sit prima conclusio: Voluntas humana est libera libertate oppositionis. Probatur, quia aliàs nullus mereretur vel demereretur, quod est falsum, ut notum est.

Secunda. Secunda conclusio: Nulla potentia alia ab ipsa voluntate est ipsa liberior, loquendo de ipsa voluntate vel libertate. Patet conclusio, quia si aliqua esset alia liberior maximè esset potentia intellectiva, ut videtur: sed hoc non, ut patet ex dictis. Ex istis patet, quid sit dicendum ad dubium, loquendo de libertate oppositionis. Nam voluntas est sic libera.

Tertia. Tertia conclusio: Voluntas humana non est respectu omnium suorum actuum libera isto modo. Patet de actibus immediatè sequentibus apprehensionem objecti. Et ideo dicit Philosophus, quòd *primi motus non sunt in potestate nostra.*

Quarta. Quarta conclusio: intellectus humanus respectu multorum actuum est liber libertate oppositionis secundum quid, & libertate consecutiva. Conclusio patet, quia respectu complexionum mentalium intellectus humanus liberè formet diversos actus complexos, qui sunt imperati, & consequentes ad primos actus. Et sic patet quòd intellectus est liber. Et per hoc patet, quid sit dicendum ad dubium, loquendo de libertate oppositionis consecutiva.

Quinta conclusio. Quinta conclusio: Loquendo de libertate quæ est sui ipsius gratia; voluntas respectu suorum actuum est libera. Probatur, quia quando agit sui ipsius gratia agit, & non gratia alterius à Deo: igitur. consequentia est nota ex quid nominis. Et antecedens patet, quia sæpe producit actus ex quibus causatur habitus perficiens

perficiens ipsum intellectum. Similiter probatur de voluntate, quia producit multas volitiones ex quibus producitur & causatur virtus, quæ perficit voluntatem. Et dicitur notanter; aliquorum actuum & non omnium: quia si voluntas produceret actus ex quibus generatur vitium; non oportet tamen quòd causaretur assensus erroneus.

Sexta conclusio: Si actus optimus intelligendi, quem intellectus producere posset, est melior & nobilior optimo actu quem voluntas potest producere; sic intellectus est liberior voluntate, & non è converso. Probatur, quia si actus intellectus est melior, tunc magis perficit ipsum intellectum, & tunc intellectus magis operabitur sui ipsius gratia. Verum est tamen, & ista conclusio est hypothetica & suppositiva. Et de categorica conclusione videbitur in quæstione sequente. *Sexta.*

Ad rationes. Ad primam negatur antecedens: imo è contra dicitur, quòd intellectus se habet respectu voluntatis ad intelligendum; sicut dominus ad servum: quia dicit Philosophus, quòd *intellectus principatur voluntati principatu regali*. Et hoc patet Primo Hujus. Et ad probationem & ad auctoritatem Philosophi Primo Ethicorum dicitur; quòd non capitur ibi propriè deprecari: sed pro persuadere, seu hortari. Modò dominus bene hortatur suum servum. *Ad rationes.*

Ad secundam, cum dicitur, quòd secundum voluntatem sumus domini operationum nostrarum, dicitur quòd non: immo principalius secundum intellectum, quia nihil volumus nisi judicatum sit esse bonum per intellectum, & sic intellectus sententiare habet respectu voluntatis.

Ad tertiam probationem & auctoritatem: quòd voluntas præcipit intellectui. negatur hoc, & dicitur ulterius, quòd si præcipiat, hoc est ut speculetur & ordinetur in specularionem.

Ad tertiam rationem. cum dicitur: Intellectus potest cogi: dicitur quòd intellectus per puram intellectionem non plus potest cogi, quam voluntas per puram volitionem. Ad probationem dicitur, quòd causa necessitatis non est voluntas; sed aggregatum ex sententia & volitione conformi eis & hoc potius arguit præceptionem.

Ad tertiam dicitur, quòd bene arguit de libertate oppositionis.

Ad quartam dicitur, quòd hoc principalius & radicalius est in potestate intellectûs, & hoc quoad intellectum, quia nunquam voluntas exiret in actum bonum vel malum nisi sententia intellectus præhabita. Et hæc de primo articuli.

Quantum ad secundum articulum respondebitur ad quæstum, & videbitur primò, in quo consistit fœlicitas humana. Et quicquid dicam probabiliter dicam nihil asserendo. *Secundum articulum.*

Et est primo notandum, quòd quanto est actus nobilioris objecti, tanto cæteris paribus est nobilior & perfectior. Et dicitur notanter cæteris paribus, quia perfecta notitia quæ habetur de festuca est multo imperfectior cognitione confusa, quam habemus de Deo. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod ad omnem actum voluntatis esse liberum procedit actus intelligendi quoad objectum, quod apparet voluntati bonum vel malum. Patet suppositio, quia aliàs voluntas in eligendo actus liberos ferretur in actus incognitos. Et dicitur notanter actum liberum, quia quoad actus primos non oportet. *Secundum notabile.*

Tertiò

Tertium. Tertiò notandum est, quòd si de summa bonitate alicujus objecti habeatur judicium, sequitur perfecta acceptatio alicujus objecti, & perfecta volitio, & etiam perfectus amor. Et si judicium non sit perfectum non sequitur perfecta acceptatio. Prima pars patet, quia perfecta acceptatio objecti summi boni sequitur ad judicium, & non ad judicium imperfectum, quia voluntas prius ferretur in objectum quàm esset cognitum, ergo. sequitur. quòd hoc est ad judicium perfectum. Sed secunda pars notabilis patet, quia esset possibile, quòd voluntas prius ferretur in objectum quam esset cognitum, quod est falsum, quia tunc quodammodo ferretur voluntas in incognitum. Ex quo sequitur corollarie, quod si Deus de potentia sua vellet suspendere actum suum concurrendi; non esset possibile quod esset perfectum judicium, quin sequeretur perfecta acceptatio.

Quartum. Quartò notandum est, quod in nullo actu imperfecto consistit humana fœlicitas. Patet per Philosophum Decimo Ethicorum dicentem: *nihil enim eorum imperfectum qua fœlicitatis sunt.* Item quia fœlicitas debet esse optimum bonum homini possibile in hac vita: Omne enim imperfectum reducitur ad perfectum.

Quintum. Quintò notandum est, quòd actus intellectus qui est cognitio ut sic, immediatius attingit objectum, quàm actus voluntatis. Probatur, quia actus voluntatis nunquam est circa objectum nisi præsuppositâ sententia intellectûs, modò intellectus bene ferretur in objectum sine alio actu præsuppositio.

Prima conclusio. Istis positis sit prima conclusio: actus in quo humana fœlicitas consistit, sive sit actus voluntatis, sive actus intellectus, est circa Deum objective, probatur, quia actus in quo consistit humana fœlicitas debet esse perfectissimus & nobilissimus inter omnes actus humanos. Sed talis actus est circa objectum nobilissimum, quod est Deus. igitur. patet consequentia, & major etiam, quia fœlicitas humana consistit in actu perfecto, & non in actu imperfecto, ut patet per unam suppositionem, & minor nota est.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: fœlicitas humana non consistit in apprehensione abstractiva divinæ essentiæ, vel in actu illam apprehensionem consequente. probatur, quia talis actus est imperfectus.

Tertia. Tertia conclusio & probabilis est ista: capiendo fidem ut distinguitur contra notitiam claram & evidentem; fœlicitas non consistit in actu fidei quoad illa de quibus nati sumus habere notitiam perfectam. Probatur, quia omnis talis actus fidei est imperfectus. igitur. consequentia est nota, & antecedens est notum, quia ibi non est notitia vera & evidens.

Dubitatio. Sed circa hoc dubitatur: numquid fides quæ habetur de Trinitate est nobilior quam scientia quæ habetur de triangulo; scil. quod habeat tres angulos æquales duobus rectis. Et videtur quod non, quia fides non est notitia clara: igitur, &c.

In Oppositum. Oppositum patet, quia objectum est perfectius, ergo &c, Respondetur, quòd fides illa est nobilior scientiâ quam habemus de triangulo, & ideo dicebatur in conclusione; quantum ad illa de quibus nati sumus habere notitiam claram, Modo de Trinitate non sumus nati habere notitiam claram; sed si scientia esset perfectior fide quæ habetur de illo de quo haberemus scientiam non sic esset.

Solutio dubitationis.

Quarta. Conclusio responsiva. Quarta conclusio & responsiva: fœlicitas humana consistit in actu intellectus, qui est notitia perfecta Dei, seu perfecta Dei apprehensio: probatur sic per

Philosophum

Philosophum & Senecam, & alios Philosophos morales qui præferebant speculationem omnibus aliis actibus humanis, & sapientiam, quæ est actus intellectus. Secundò probatur, quia intellectus ut intellectus est potentia nobilior in anima quàm voluntas, modò potentia nobilior se habet nobiliùs in actu optimo quem potest producere intellectus, quàm in actu nobilissimo quem potest producere voluntas. igitur, patet consequentia, & antecedens patet ex dictis.

Tertiò sic: nam dictum est, quod intellectus per actum suum immediatius attingit objectum summe bonum, quam voluntas per actum suum. igitur, consequentia est nota, & antecedens ex terminis. Etiam antecedens patet, quia perfecta volitio de Deo præsupponit perfectam Dei notitiam.

Quartò sic: multi tenuerunt, quòd clara Dei visio in intellectu beati simpliciter à Deo dependet & immediatè, sic quòd non per species intelligibiles, ita quòd intellectus purè passivè se habet. Modo sic non est de actu voluntatis, quia actus voluntatis non dependet à Deo totaliter, immo ab actu intellectus; ut prius dictum est; ergo sequitur, quòd consistit in illo actu qui solum dependet à Deo & immediatè.

Quintò arguunt aliqui sic; & supponunt, quòd quæcunque distincta post Deum quorum unum non includit aliud potest Deus separare, & separatim conservare. modo ita est de clara Dei visione & de dilectione Dei perfecta: ergo Deus potest illos actus separare, & separatim conservare. Volunt ulterius, quòd clara Dei visio remanet in anima Petri & dilectio corrumpatur, tunc de necessitate visionem Dei sequitur dilectio, quod non esset, nisi humana fœlicitas consisteret in actu intellectus.

Quinta conclusio.

Quinta conclusio: fœlicitas humana non consistit in actu intellectus reflexo. Probatur, quia actus intelligendi reflexus est minus perfectus & minus nobilis, quam actus rectus saltem respectu ejusdem objecti. igitur, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia actus reflexus habet notitiam pro objecto; sed actus rectus habet Deum pro objecto. Ex quo patet, quòd fœlicitas humana consistit in optimo actu intellectus in recto & non reflexo, qui est actus speculationis, & est actus sapientiæ, ut patet Primo Metaphysicæ.

Arguitur.

Sed contra illud arguitur, quia prudentia est nobilior sapientia; ergo magis consistit in actu prudentiæ igitur. consequentia est nota, quia fœlicitas est operatio secundum virtutem perfectam & optimam. antecedens probatur, quia prudentia est magis necessaria ad bonum regimen politiæ, quam sapientia.

Secundo probatur idem antecedens: nam secundum prudentiam dicitur homo bonus simpliciter; sed secundum sapientiam dicitur bonus secundum quid: igitur, patet major, quia qui habet *prudentiam habet omnes virtutes*, ut patet Sexto Ethicorum. Et minor nota est, quia ille dicitur solum bonus Clericus &c.

Tertiò prudentia politica habet omnia ordinare, ut patet, Primo Politicorum.

Quartò sic: prudentia est certior. igitur, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia prudentia est circa agibilia, sapientia vero est circa alta & divina.

In oppositum.

Oppositum tamen patet, quia *sapientia est caput respectu omnium aliarum virtutum*, ut patet per Philosophum Sexto Ethicorum. igitur.

Prima conclusio.

Sit prima conclusio & responsiva: Sapientia est melior & nobilior prudentia, patet primò, quia est nobilioris objecti,

Secundò, quia est actus nobilioris potentiæ prout satis patet per prædicta.

Secundum patet quod sit nobilior prudentiâ, quia agibilia circa quæ est prudentia sunt multùm mutabilia: divina autem circa quæ est sapientia non sunt mutabilia, ut notum est.

Ad rationes. Et tunc ad rationes. Ad primam negetur antecedens, ad probationem dicitur, quòd hoc non arguit nobilitatem prudentiæ respectu sapientiæ. quia quanto est magis necessarium, tanto est magis vile, & per consequens magis in aliud ordinatur.

Ad secundam probationem dicitur, quòd sapientia est ita habitus intellectualis sicut prudentia, & ut sic homo non dicitur bonus vel malus simpliciter. Secundò dicitur, quòd propter habitus intellectuales ut sic, homo non dicitur bonus aut malus simpliciter. Dicitur tertiò, quòd licet homo dicatur bonus per prudentiam hoc est per accidens, in quantum præsupponit virtutes dirigentes intellectum & voluntatem, non tamen simpliciter.

Ad tertiam dicitur, quòd est verum quantum ad usum, sed non quantum ad scientiam, sive sapientiam in se, quia prudentia non potest facere, quin sapientia sit circa altissima.

Ad quartam; quando dicitur, quòd prudentia est certior. Dicitur, quòd licet sit certior quantum ad usum: tamen sapientia est certior ex parte objecti; scil. Dei, & Deus est certissimus & ita certus, quòd intellectus propter sui debilitatem non potest cognoscere Deum perfectè testante Philosopho procemio Metaphysicæ dicente: *sicut se habet oculus Noctuæ ad lumen solis: sic se habet intellectus noster ad ea quæ sunt certissima natura.*

Dubium. Dubitatur; utrum fœlicitas speculativa sit melior fœlicitate practica. Arg.

Arguitur, ieur quòd non, quia illa fœlicitas est nobilior & perfectior quæ melioribus & perfectioribus inest; sed fœlicitas practica est hujusmodi. igitur; major patet ex terminis, quia ex nobilitate objecti frequenter arguimus nobilitatem actuum seu passionum. minor patet, quia fœlicitas practica inest præfatis & principibus respectu suorum subditorum.

Secundò sic: illa fœlicitas est melior, quæ est minus solitaria; sed fœlicitas practica est hujusmodi. igitur, major patet, quia sollicitudo maximè repugnat fœlicitati, quia dicitur Primo Ethicorum: *non omnino felix est, qui specie turpissimum, aut ignobile, solitarium, & sine prole est.* Minor patet per Philosophum Septimo Hujus, qui vocat *vitam speculativam vitam abstractam, & vitam practicam peregrinam.*

Tertiò sic: illa vita est melior, quæ se extendit ad plures actus & operationes; sed vita practica est hujusmodi. igitur, minor patet, quia dicitur Tertio de consolatione, quòd fœlicitas est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & sic quanto quis plures actus habet bonos, tanto melior est, & minor patet per Philosophum in isto Septimo, nam dicit, quòd fœlicitas est abstracta: scilicet speculativa, & non peregrina.

In oppositum. Oppositum patet per Philosophum in isto Septimo dicentem: quòd fœlicitas seu vita speculativa est melior. Pro quo notandum est, quòd duplex est intellectus: quidam est practicus: alius est speculativus, non quòd isti differant; sed quòd anima dicitur intellectus practicus respectu habituum practicorum, & speculativus respectu speculativorum.

Primum notabile.

Secundum, Secundò notandum est, quòd fœlicitas speculativa est, quæ consistit in actu sapientiæ

ſapientiæ reſpectu rerum principalium ſpeculabilium, puta Dei & intelligentiarum: ſed practica conſiſtit in actu prudentiæ reſpectu optimorum agibilium, reſpectu proximi.

Tertiò notandum eſt, quod titulus dubii poteſt intelligi dupliciter: Uno modo, utrum fœlicitas ſpeculativa ſit melior & perfectior. Alio modo, utrum ſit melior; id eſt, utilior, ſecundum quod eſt duplex bonum: quoddam eſt honeſtum, & illud eſt propter ſe quæſitum. Aliud eſt utile, quod quæritur propter melius ſe, & hoc ut melius poſſit: ut ſunt pecuniæ. Ex quo patet, quomodo quis abutitur pecuniis. *Tertium.* *Titulus dubii dupliciter intelligitur.*

Quartò notandum eſt: quod ſi quæratur, utrum fœlicitas practica ſit utilior fœlicitate ſpeculativa: ibi non eſt comparatione propriè dicta: ſed abuſiva, ſicut dicitur quod Deus eſt melior Diabolo, quia fœlicitas ſpeculativa non eſt bonum mile, ſicut patet ex dictis, imo ſic aliquid eſſet melius ſe. *Quartum.*

Prima concluſio: fœlicitas ſpeculativa eſt melior, id eſt, perfectior fœlicitate practica. Iſta concluſio probatur, quia illa fœlicitas eſt melior alia, quæ conſiſtit in operatione ſecundum ſupremam ejus operationem & virtutem: ſed fœlicitas ſpeculativa eſt hujuſmodi. igitur. Major patet ex definitione fœlicitatis, & minor probatur, quia fœlicitas conſiſtit in opere ſapientiæ, quod eſt opus virtutis ſecundum quam maximè Deo aſſimilamur: ſed fœlicitas ſpeculativa eſt hujuſmodi, quia ipſa conſiſtit in actu ſapientiæ, qui actus eſt ſpeculari Deum; modo illa operatio eſt perfectiſſima quæ Deo attribuitur, ut ſi imaginamur in Deo intellectuum practicum & ſpeculativum ſecundum quod debemus; tunc ille actus eſt multo nobilior quo ſeipſum intelligit, quam quo alia. *Prima concluſio.*

Tertiò ſic: illa fœlicitas eſt nobilior quæ paucioribus indiget, quam illa quæ pluribus. ſed fœlicitas ſpeculativa eſt hujuſmodi: igitur. Major patet, quia illud eſt magis per ſe ſufficiens. Et minor probatur per dicta Philoſophi decimo Ethicorum, & in iſto Septimo, quia ad hoc quid aliquis ſit fœlix fœlicitate ſpeculativa ſufficit quod habeat victum & veſtitum, & non ſufficit ad fœlicitatem practicam.

Quartò ſic: ſapientia eſt habitu intellectus perfectior, ergo & actus ejus eſt perfectior. Conſequentia patet, & antecedens patet per Philoſophum Sexto Ethicorum dicentem: quòd ſapientia eſt caput habens reſpectum omnium virtutum ex parte objecti, & ex parte Dei, & intelligentiarum, & objectum prudentiæ eſt agibile humanum ex parte potentiæ.

Secunda concluſio: fœlicitas quæ eſt actus prudentiæ eſt melior, id eſt, utilior fœlicitate ſpeculativa, & hoc loquendo de comparatione abuſiva. Probatur, nam illa fœlicitas eſt utilior, quæ magis propter aliud quæritur quam propter ſeipſam; ſed fœlicitas practica eſt hujuſmodi: igitur. Major & minor patent, quia apud hominem bene regulatum omnes habitus quærentur propter contemplationem Dei, quantum hoc eſt poſſibile homini in vita. *Secunda.*

Secundò ſic: fœlicitas illa eſt utilior quæ maximè conſiſtit in bonis utilibus, ſed fœlicitas practica eſt hujuſmodi, & ſpeculativa non: igitur. Major patet, quia fœlicitas practica conſiſtit in actu prudentiæ reſpectu primorum agibilium, & ipſa requirit quod homo habeat honores, filios, & uxorem; fœlicitas autem ſpeculativa non, ut notum eſt. Et minor patet per dicta.

Tertiò ſic: illa fœlicitas eſt utilior quæ habet noſtros actus dirigere, quam

illa quæ non habet; ſed fœlicitas practica eſt hujuſmodi: igitur. Minor patet, quia agere & dirigere pertinent ad prudentiam. Ideo dicitur Sexto Ethicorum: quòd *prudentia eſt recta ratio rerum à nobis agibilium.* Ex iſtis patet, quod fœlicitas civilis & practica eſt melior ſpeculativa; tamen ſpeculativa eſt multo nobilior & honorabilior.

Ad rationes dubii.

Ad rationes dubii. Ad primam negetur minor: ad probationem dicitur, quod omnia illa ordinantur ad fœlicitatem ſpeculativam, & ideo antiquitus antequam principes deberent principari, eos oportebat prius artes liberales addiſcere.

Ad ſecundam cum dicitur: fœlicitas illa eſt melior quæ eſt minus ſolitaria dicitur primò, quòd vita ſolitaria & ſolitudo non eſt ſemper utiliter laudabilis; ſed vituperabilis: nec eſt ſecura animo, ſed periculoſa, quia homo eſt animal civile à natura. Alio modo capitur vita ſolitaria, ut homo ducit eam, ubi & quando oportet, & ut quodam modo aliis bonitatem communicet. Modò dicitur, quod licet vita practica non ſit ſolitaria; tamen illa ſolitudo quæ repetitur in vita ſpeculativa eſt multùm nobilior & melior.

Ad tertiam: quando dicitur illa fœlicitas *&c.* negetur illa major, eo quòd omnes illæ operationes ordinantur in unam fœliciſſimam & perfectiſſimam operationem. Et ſic patet, quid ſit dicendum ad dubium.

Ad rationes quæſtionis.

Ad rationes principales quæſtionis. Ad primam: quando dicitur fœlicitas conſiſtit in illo actu quo meremur; dicitur quod magis & principalius conſiſtit in actu intellectus, eo quòd intellectus bene judicat de tali vel tali objecto, & voluntas non facit, niſi ſe conformare tali judicio. Unde ſi eſſet poſſibile, quòd voluntas eligeret unum actum ſine intellectu; ille actus non eſſet meritorius.

Ad ſecundam: fœlicitas conſiſtit *&c.* negetur illa: ſed ſolum probabiliter. Ad probationem, cum dicitur; quòd charitas eſt habitus nobiliſſimus: dicitur quòd Philoſophus hoc negaſſet, immo dixiſſet quòd ſapientia eſt habitus nobilior. Et cum dicitur, quòd charitas eſt habitus nobiliſſimus comparando ad alios duos habitus infuſos, ſcilicet ad fidem & ſpem: patet quòd adhuc nihil concluditur, immo aliqui hoc negant, & dicunt, quod gratia eſt habitus perfectiſſimus inter alios habitus infuſos: & quòd nunquam poteſt ſtare cum imperfecto: charitas autem bene poteſt ſtare cum imperfecto.

Ad tertiam: quando dicitur, fœlicitas magis *&c.* dicitur negando primam conſequentiam, quia eadem ratione ſequeretur; quòd fœlicitas conſiſteret in actu viſivæ potentiæ, quia per actum talem homo unitur cum viſibili. Alio modo dicitur, quòd homo æquè benè unitur, immo immediatiùs per actum intellectus Deo unitur, quàm per actum voluntatis. Patet, quia voluntas nihil vult, niſi ſit præjudicatum eſſe bonum per intellectum. Et ideo dicit Philoſophus Tertio de Anima: quòd *intellectus eſt quodammodo voluntas*, & ſic conceſſa majore negetur minor, ſecundum quòd plus unitur, immo dicitur, quòd ſi intellectus producat habitum debitè judicando; ſequitur de neceſſitate acceptatio vel refutatio. Et quando dicitur Nono Ethicorum: *amans per amicitiam transfertur in amatum*; bene concluditur: ſed dicitur quod hoc radicalius conſiſtit in actu intellectus, quia intellectus judicat & diſcernit quid eſt faciendum.

Ad quartam: cum dicitur fœlicitas magis conſiſtit in illo, quo quis Deo magis placet: conceditur illa, ſed negetur minor. Et ad probationem: quando dicitur,

citur, quòd vetula non plus &c. dicitur quòd vetula non prius diligit Deum, quàm ſcit & credit eum eſſe diligendum, & per conſequens hoc magis conſiſtit in actu intellectus, & quia ſcit & credit quod præcepta Dei ſunt tenenda; ideirco diligit Deum. Et ideo dicitur de clerico, quòd magis errat ſi delectationes magis movent eum.

Ad quintam: quando dicitur fœlicitas &c. negetur minor, & cauſa eſt, quia actus voluntatis nunquam eſſet, niſi prius eſſet actus intellectus, eo quod in tali actu humana fœlicitas conſiſtit. Et quando dicitur; ille actus eſt melior, qui ſolum reperitur inter bonos: dicitur quòd hoc non arguit perfectionem boni.

Ad ſextam dicitur: quod in illo caſu conſiſtit quæ eſt potentia, quæ ſemper fertur in bonum: dicitur negando univerſaliter iſtam majorem, dicitur quod voluntas nunquam fertur in bonum, niſi quia intellectus prius judicavit quod illud eſt bonum. Et ſic patet quod actus intellectus eſt melior & nobilior.

Ad ſeptimam: quando dicitur quod fœlicitas conſiſtit in actu, qui eſt delectabilior; conceditur major, ſed negatur minor. Ad probationem dicitur, quod verum eſt dummodo hoc ſit per ſe, & non aliunde.

Ad octavam: quando dicitur odire Deum eſt pejus quàm ignorare ipſum: dicitur etiam diſtinguendo de ignorare. Uno modo, prout dicit privationem. Alio modo, ut dicit penuriam cognitionis ſeu actus, ubi eſt notitia maximè erronea, ut ſi quis diceret, quod maximè Deus eſt odio habendus: & ſic major erat falſa. Aliter reſpondetur negando conſequentiam, quia ibi non eſt æqualis oppoſitio, ſed contraria & privativa ſunt ibi.

Ad nonam dicitur: fœlicitas conſiſtit in dilectione, ſeu actu dilectionis, qui eſt delectatio intellectus.

Ad decimam: negetur minor, & dicitur, quod intellectus eſt liberior libertate quæ eſt gratia ſuiipſius, quæ eſt nobilior libertate oppoſitionis.

Ad undecimam: quando dicitur; actus voluntatis eſt nobilior. negetur. ad probationem, negetur conſequentia, quia per auctoritatem Philoſophus nono Metaphyſicæ dicitur, quod illa auctoritas intelligitur de eadem re, modo ſic non eſt in propoſito. Ad probationem negetur antecedens: & dicitur negando primam conſequentiam, ſcilicet ſecundum actum voluntatis homo dicitur bonus ſimpliciter, & non ſecundum actum intellectus: igitur eſt melior, quia eſt in inſtantia: ſecundum temperantiam homo dicitur bonus ſimpliciter, & tamen ſecundum prudentiam non: ſed ſolum dicitur bonus politicus, & tamen notum eſt, quod prudentia eſt melior temperantiâ.

Rationes poſt oppoſitum ſunt pro dictis in quæſtione.

QUÆSTIO VI.

De Politia ex bona vel mala diſpoſitione regionis.

Quæritur ſextò. Utrum ex diſpoſitione regionis benè vel malè diſpoſitæ politizans habeat politizare. id eſt, utrum politizans habeat ex diſpoſitione regionis in qua habitat benè vel malè politizare.

Arguitur. Et arguitur quod non, quia si sic esset, sequeretur quod politizare ineſſet homini à natura; consequens est falsum, quia inest à virtute & à voluntate. Et probatur consequentia, quia illud quod ineſt homini ex disposition loci ineſt sibi à natura.

Secundò, si sic esset, sequeretur quod politizare ineſſet homini necessariò, consequens est falsum; quia ineſt homini purè liberè. Et probatur illa consequentia, quia illa quæ insunt ex disposition loci, insunt à natura, ergo necessariò.

Tertiò sic, aliqui sunt inepti ad politizandum; igitur. consequentia tenet, quia *nullum existentium à natura contingit aliter assuesci.* Secundo Ethicorum, Antecedens patet, quia aliqui sunt idonei ad virtutes, & aliqui proni ad vitia.

Quartò, si sic esset, sequeretur quod propter bene vel male politizare homo non deberet laudari vel vituperari, ut patet de se. igitur. Et patet consequentia, quia postquam hoc ineſt homini secundum dispositionem loci vel regionis non esset in potestate hominis, quod bene vel male politizaret, quia propter illa quæ non sunt in potestate nostra, non laudamur, nec vituperamur.

In oppositum. Oppositum patet per Philosophum in litera dicentem: quòd *aliqui ex dispositione regionis vel loci habent quòd bene vel male politizant.* Et confirmatur, quia potest fieri quæstio; scil. utrum aliqui ex disposition loci, vel complexione habitationis sint virtuosi vel vitiosi.

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum.

Primum notabile. Primò notandum est, quod dispositio regionis, civitatis, vel loci, attenditur penes tria: scil. penes dispositionem qualitativam; scilicet, quia minus calida vel frigida est.

Penes tria locò dispositio attenditur. Secundò modo penes quantitatem, seu mensuram vel extensionem regionis; quia sufficit ad fructificandum pro toto populo.

Tertiò penes situm regionis: verum est tamen quod titulus quæstionis intelligitur quoad dispositiones qualitativas; sive quoad primas qualitates, vel alias fluxas à Deo.

Secundum. Secundò notandum est, quod situs regionis vel loci dupliciter potest attendi.

Dupliciter potest attendi loci situs. Uno modo possumus attendere situm in ordine ad cœlum & torridam zonam.

Alio modo penes locum proprium in ordine ad aërem.

Tertium. Tertiò notandum est, quod dispositio qualitativa regionis multipliciter diversificatur, secundum quod illa regio alteri, vel alteri respectu cœli & astrorum, seu planetarum subjicitur, scil. secundum diversitatem aspectuum cœli vel partium, quibus est illa regio subjecta. Patet, quia dicitur Primo Meteororum: *necesse est hunc mundum inferiorem esse continuum*: id est, *contiguum lationibus superioribus, ut tota virtus ejus inde gubernetur.* Etsi patet quod omnis virtus non libera gubernatur à corporibus superioribus, prout ly *omnis* distribuit pro singulis speciebus individuorum.

Quartum. Quartò notandum est, quod diversitas complexionum humanarum est propter diversitatem regionum. Patet conclusio per experientiam; nam videmus quod propter hoc non solum homines variantur in complexionibus humanis, immo in moribus. Et probatur ratione, quia dicitur Quarto Physicorum: quòd *locus est generativus & conservativus locati*; & sic patet, quod locatum trahit dispositionem convenientem loco tali.

Quintò

Quintò notandum est, quod quanto complexio humana est simplicior & vi- *Quintum.*
vacior, tanto sensus exteriores sunt puriores, vivaciores, & subtiliores, & per consequens tanto intellectus est perfectior & subtilior; quia supponitur, quod quanto sensus exteriores sunt vivaciores, tanto magis possunt deservire intellectui, quia intellectus nihil agit, nec intelligit quamdiu est in homine, nisi cum ministerio sensus. Et ideo dicitur in Primo Physionomiæ Aristotelis: *anima sequuntur corpora.* Sed dicitur Secundo de Anima: *molles carnes aptos mente dicimus*; tamen propter hoc pars hominis superior comprehendens animam rationalem, & intellectivam, & partem volitivam, non necessitatur, in suis operationibus.

Corollariè sequitur, quod quanto dispositio regionis est melior; tanto ut in pluribus potentiæ humanæ melioribus habitibus habituantur. Patet corollarium ex dictis, quia tanto potentia humana potest melius, quanto *&c.*

Est etiam sciendum, quòd politizare ineſt homini ab appetitu initiativè, & *Notabile.*
à voluntate habituata determinatè ineſt. patet, quia quilibet appetitus naturali vellet in alterum dominari, sed quod à voluntate habituata determinantè ineſt homini patet, quia ad bene vel male politizandum requiritur determinatio voluntatis.

Ultimò sciendum est, quòd politizare bene vel male ex dispositione regionis *Ultimum notabile.*
ineſſe homini dupliciter intelligitur: uno modo, quod insit homini dispositivè, seu inclinativè, alio modo, quòd sic politizare ineſt homini ex dispositione loci *Politizare dicitur ineſſe homini dupliciter,*
complexivè & perfectivè. *Secundus articulus.*

Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio: politizare bene vel male ex dispositione regionis vel loci complexivè & perfectivè non ineſt homini à natura. Probatur conclusio per rationes ante oppositum factas, quia sic essentialiter omnibus hominibus ineſſet sic quòd non laudaremur vel vituperaremur secundum nostras operationes. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: politizare bene vel male ineſt homini ex dispositione loci vel regionis inclinativè, seu aliquo modo inchoativè, probatur conclusio, quia per illud politizant politizantes sic vel sic inchoativè solummodo per quod disponuntur vel inclinantur sic vel sic ad virtutes, sed hoc est ex dispositione loci complexionis quòd homines complexionantur. Et ista conclusio est de intentione Philosophi. sed cum isto stat, quòd politizantes complexivè & perfectivè politizant libere & purè voluntariè. Et similiter dicendum est de quæstione mota: scilicet quòd homines solum habent virtutes à natura inclinativè; sed non perfectivè & complexivè. *Secunda.*

Ad rationes dicitur, quòd omnes rationes ante oppositum sunt pro prima conclusione, & auctoritates Philosophi post oppositum sunt pro secunda conclusione. *Ad rationes.*

QUÆST.

QUÆSTIO VII.

De locis mediis politizationis.

Quæritur septimò. Utrum illi qui mediant secundum loca sint optimè politizantes, id est, utrum illi qui habitant in regionibus temperatis scil. mediis inter regionem nimis calidam & nimis frigidam sint optimè politizantes.

Arguitur. Arguitur quod non, quia habitantes in regionibus sic temperatis non sunt animosi, igitur. patet consequentia, quia ad optimè politizandum requiritur animositas. Et antecedens patet, quia tales qui habitant in regionibus frigidis sunt magis animosi & audaces propter frigus circumstans.

Secundò sic; illi qui habitant in regionibus sic mediis non sunt intellectu & rectitudine rationis vigentes, ergo. patet consequentia, quia ad optimè politizandum requiritur prudentia, & vigor intellectus. Et antecedens probatur, quia habitantes in regionibus calidis sunt vivaciores, subtiliores, & sapientiores.

Tertio modo sic: illi qui mediant secundum loca si essent melius politizantes; sequeretur quòd tales essent optimè politizantes & principantes à natura. consequens est falsum, quod patet, quoniam tunc tales semper essent politizantes, eo quòd illud quod inest à natura inest semper. Sed hoc est contra Philosophum dicentem e quòd *in Gracia qua est terra temperata fuerunt multi Tyranni Oligarchia & Democratia*, sed consequentia patet, quoniam illud quod inest alicui ex dispositione regionis inest sibi à natura.

Quartò sic: dispositio regionis nihil facit ad debite vel male politizandum, igitur consequentia est nota, & antecedens probatur, quia bene vel male politizare inest ab intellectu practico, scilicet à ratione & arte; & per consequens non ex dispositione regionis.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi in isto Septimo ubi ponit. quòd *mediantes secundum loca sunt optimè politizantes.*

In quæstione erunt duo articuli, In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus, primum notabile. Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quòd ad optimè politizandum duo requiruntur principaliter: scilicet, prudentia & animositas. Primò declaratur de prudentia, quia talis homo debet primo prævidere futura, & prævidere finem politiæ, & talis debet esse sic, quòd sciat invenire finem & media ad talem finem, & talia debent inveniri mediante rectitudine rationis. & hoc non potest fieri nisi mediante prudentia, quia rectitudo rationis non est sine prudentia, ut patet per Philosophum Tertio Ethicorum. Secundò requiritur animositas, quia politizantes debent attendere circa ardua facta ut possit insultus inimicorum repellere suorum. Modò animositas inclinat ad ardua & difficilia, & per consequens debet esse magnanimus.

Duo requiruntur ad politizandum.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd ut in pluribus habitantes in regionibus frigidis sunt virtuosi & audaces valde. & causa naturalis est ista; qui illi sic habitantes habent naturalem calorem multùm fortem, qui fortificatur propter frigus circumstans

cumstans per antiperistasim. Et ista etiam est causa, quare digestiones sunt meliores in hieme, quam in æstate, & sicipsi habent multum sanguinem & multos spiritus, & sic tales spiritus juvant ad faciendum magnum fructum & incendunt, quia sunt ferventes, quia bene possunt digerere, & habent multum sanguinem.

Tertiò notandum est, quòd propter eandem causam propter quam tales habitantes in talibus partibus sunt animosi & audaces tales sunt brutales carentes usu rationis, prudentia, & ratione. Et causa est quia propter anperistasim ratione frigoris circumstantis gignatur multus sanguis grossus crea cor & turbulentus, & sic imagines rerum si imprimantur in organo reservativo statim removentur, & difficulter imprimuntur propter grossitatem membrorum. & sic intellectus in illis deficit in judiciis suis. Ex istis patet, quòd habitantibus in talibus regionibus mirabiliter frigidis sunt animosi & habent animositatem irregulatam & immoderatam, & sunt inhabiles ad factum comprehendendum. Et ideo dicit Aristoteles: quòd *existentes prope Europam sunt male ad politizandum.* *Tertium.*

Quartò notandum est, quod ut in pluribus habitantes in regionibus notabiliter calidis sunt timidi & verecundi, tamen sunt intellectu & ratione vigentes & subtiles. Primò, quia non sunt animosi, sed timidi patet: quia propter calidum circumstans pori aperiuntur, & sic calor extrinsecus facit calorem naturalem inintrinsecum exhalare, & facit male digerere & pauciis nutriuntur nutrimentis. & per consequens non generatur multus sanguis. & ideo non habent magnum fervorem circa cor, & sic non sunt audaces, sed tales sunt subtiles & ratione vigentes; quia licet in eis non generetur multus sanguis; tamen generatur sanguis purus, mundus, & quietus: & sic mundè & claré imagines rerum inintellectu eorum repræsentantur & etiam imprimuntur faciliter, & sciunt invenire dolos & fraudes ad aliquem finem deveniendum. Ex istis sequitur, quòd habitantes in istis regionibus mediis scilicet inter notabiliter calidos & notabiliter frigidos sunt animosi, subtiles, & ratione vigentes. Et ideo dicit Philosophus: *gens Græcorum media est ad politizandum.* *Quartum notabile.*

Quintò notandum est, quando quæritur in quæstione. &c. hoc potest intelligi dupliciter: uno modo sic: habitantes inter regionem notabiliter calidam & notabiliter frigidam secundum communem regionis dispositionem, & ut in pluribus, sunt meliores ad politizandum, alio modo: utrum tales secundum particularem dispositionem regionis, vel propter aliquam temporalem influentiam sunt aptissimi inter cæteros ad politizandum. *Quintum. Quæstio dupliciter intelligitur.*

Sextò notandum est, quòd sicut prius dictum est, dispositio regionis seu locus inclinativè, dispositivè, inchoativè, & de per accidens confert ad bene vel male politizandum. patet, quia confert ad bene vel male moraliter vivere. Et non dico quod necessario. *Sextum.*

Quantum ad secundum articulum Sit prima conclusio: illi qui habitant in regione excessivè frigida & notabiliter, ut in pluribus & secundum regionis dispositionem, sunt inepti ad politizandum & principandum, licet tales sint animosi & audaces; tamen talis audacia non est regulata illis qui non sunt animosi, ut jam dictum est. *Secundum articulum. Prima conclusio.*

Secunda conclusio: de intentione Philosophi habitantes in regione media scilicet inter excessivè calidam & excessivè frigidam, ut in pluribus secundum *Secunda.*

communem dispositionem regionis, sunt inter cæteros optimi ad politizandum, patet, quia tales habent de animositate & prudentia. Et etiam dicitur, quòd tales non sunt ita subtiles sicut habitantes in regionibus excessivè calidis. Et ideo dicit Philosophus, quòd habitantes in regionibus mediis sunt participantes in utroque & dicitur notanter ut in pluribus & secundum communem regionis dispositionem, quia conclusiones aliàs non essent veræ.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes. Ad primam negetur antecedens, immo sunt animosi animositate regulata & ordinata. Ad probationem, dicitur quod tales sunt animosiores animositate inordinata; non tamen animositate bene regulata.

Ad secundam dicitur consimiliter negando antecedens. Ad probationem, dicitur quòd ibi reperitur prudentia, non tamen animositas.

Ad tertiam negetur. consequentia & consequens, & hoc loquendo de natura inclinante dispositivè & de per accidens solum.

Ad quartam, quando dicitur dispositio loci confert ad dispositionem locati; negatur antecedens nisi inclinativè & dispositivè: non tamen completivè & perfectivè; sed ab intellectu intelligente, & voluntate volente, & ratione dictante, & hoc bene conceditur.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO VIII.

De usu armorum.

Arguitur. QUæritur octavò. Utrum in politia bene recta usus armorum sit licitus? Arguitur quod non: illud non est licitum per quod homines inhabilitantur ad sacros ordines & divinum cultum. sed hoc est per usum armorum; igitur. Major patet, quia per licitum nullus inhabilitatur, ut videtur. Et minor patet ex ordinatione decretorum, quia videmus quod tales ad divinum cultum non promoventur.

Secundò sic: illud non est licitum per quod proximi læduntur. sed hoc est per usum armorum; igitur. Major est nota. Et minor probatur, quia sit illud quod quis non vellet sibi fieri.

Tertiò sic: illud non est licitum quod est prohibitum, sed multis est prohibitus usus armorum.

Quartò nisi sic esset, sequeretur quòd vindicatio per pœnas tollentes vitam esset illicita, consequens est falsum, sicut habetur Judith Tredecimo capitulo *debes vindictam*, id est, filios malos *eradicare*, & patet consequentia quia usus armorum est interfectio, mutilatio, & sic de aliis.

In oppositum. Oppositum patet per Philosophum secundo capitulo hujus dicentem: quòd *usus armorum est summè necessarius politiæ*.

Primum articulus. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia & conclusiones. In secundo videbimus de pœnis & generibus pœnarum per quæ fit vindicatio.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum. Primo notandum est, quòd usus armorum est defensio vel invasio in generali. apparet, quia invasio vel defensio est finis propter quem arma sunt constituta.

Ex

Ex notabili sequitur, quòd duplicia sunt arma: quædam sunt invasiva. Alia sunt defensiva. *Corollarium. duplicia sunt arma.*

Secundò notandum est, quod differentia est inter arma invasiva & defensiva. Nam arma defensiva sunt appropriata civitati; quia quilibet potest se defendere: sed arma invasiva sunt appropriata alicui parti civitatis, scilicet viris bellicis. *Secundum notabile.*

Tertiò notandum est, quod sicut dicit Philosophus in isto libro sex sunt partes principales in civitate: scil. sine quibus non potest esse civitas: ut *agricolæ artifices: bellici: divites, seu opulenti: Judices: & consiliativi*, & ideo in civitate requiruntur viri bellici de necessitate. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd quæstio intelligitur de politia bene ordinata simpliciter vel saltem quoad finem ad quem politia tendit seu ordinatur, ut in regno vel Tyrannide, & sic de aliis. In regno, ut in politia bene ordinata. *Quartum.*

Quintò sciendum est, quod usus armorum dupliciter potest esse in aliqua civitate: Uno modo pro causa justa, Alio modo pro causa injusta. *Quintum. Usus armorum in civitate duplex.*

Prima conclusio: usus armorum in politia pro causa justa est justus, & licitus simpliciter, loquendo adhuc de usu armorum invasivorum. Probatur, nam illud est licitum per se sine quo civitas non esset per se sufficiens: sed hoc non esset sine armorum usu pro causa justa; ergo. Consequentia est nota. Et major & minor patent: quia propter hoc secundum Philosophum arma invasiva sunt inventa. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: usus armorum propter causam injustam est illicitus. Probatur, quia illud est illicitum quod non fit secundum finem ad quem debitè ordinatur: sed talis usus pro causa injusta est hujusmodi; igitur. Major patet, quia uti re ad aliud quam ad finem, ad quem est ordinata est abuti: modò non est sic in proposito. Minor nota est ex dictis. *Secunda.*

Quantum ad secundum articulum. Videndum est, utrum vindicatio quæ fit per pœnas consuetas sit licita? *Secundus articulus.*

Et videndum quod non: quia per hoc peccatum & scandalum alicujus manifestatur; igitur. Patet consequentia, quia illicitum est manifestare peccatum proximi sui. Et antecedens notum est, ut patet ex dictis. *Dubium. Arguitur.*

Secundò sic: Pro nullo peccato mortali licitum est vindicare per pœnam; igitur. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia si sic, sequeretur quod quicunque in peccato mortali caderet similiter deberet puniri. Consequens est falsum, ut notum est. Et patet consequentia de se.

Pro isto notandum est, quod in genere reperiuntur sex quæ maximè homo diligit: scilicet, *corpus vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui ipsius, & bona exteriora, gloriam, & patriam.* *Primum notabile.*

Secundò notandum est, conformiter reperiuntur sex genera pœnarum sicut recitat Tullius: scilicet, *Mors per quam privatur homo vita: Secundum est verberatio sive talio: Tertium genus est servitus per quam ponitur in carcere: Quartum genus est damnum: Quintum est exilium per quod tollitur à patria: Sextum est ignominia.* *Secundum. Tertium.*

Tertiò notandum est, quod differentia est inter pœnam æternam & corporalem. Apparet; Nam pœna corporalis datur tanquam medicina ad corripiendum illum qui recipit pœnas, & alios pro exemplo: sed pœna æterna non datur tanquam *Differentia inter pœnam æternam & corporalem.*

tanquam medicina: sed datur tanquam in præmium correspondens culpæ, non tanquam medicina.

Dubium. Sed tunc dubitatur de primo genere, quia est pœna temporalis, & non datur in medicinam recipientis pœnam, licet detur in remedium aliorum.

Prima conclusio. Prima conclusio: Vindicatio facta per pœnas consuetas propter justas causas est licita. Probatur, quia ut dictum est; indigemus judicibus tanquam necessariis in politia, modò judicis est pœnam infligere.

Ad rationes dubii. Ad rationes. Ad primam, quando dicitur; per vindictam manifestatur &c. Dicitur quod peccatum hominis est duplex: scilicet quoddam est notorium, & tale non manifestatur. Aliud est occultum, & si illud non tendit in vituperium totius communitatis, propter illud homo non debet manifestè vindicari.

Ad secundam, negatur hoc, si tale peccatum sit publicum. Et si quæratur causa; quare magis pro vno peccato mortali quam pro alio, Dicitur quod hoc est, quia quædam sunt peccata propter quæ respublica immediatè lædtur, ut furtum, rapina, homicidium. Alia sunt peccata propter quæ respublica non lædtur immediatè; ut mendacium, & sic de aliis, & ideo non oportet quod propter hoc fiat vindicatio.

Ad rationes principales. Ad rationes principales. Ad primam dicitur, quod arguit quod usus armorum invasivorum est appropriatus alicui parti civitatis: scilicet viris bellicis, ut dictum est in primo articulo; quia in hoc differunt invasiva arma à defensivis.

Et si dicatur adhuc: illa pars civitatis inhabilitatur ad ordines sacros. Dicitur quod hoc non est propter talem usum; sed propter reverentiam Ecclesiæ, & dignitatem status, & excellentiam sacerdotii.

Ad secundam, quando dicitur: illud non est licitum &c. Conceditur, si non vellet fieri secundum rationem rectè ordinatam. Et ulterius dicitur, quod homo debet justè puniri, si scandalizaverit aliquem.

Ad tertiam, negatur minor. Et dicitur; quod usus non est prohibitus in ordine ad viros bellicos.

Ad quartam, concedetur consequens, & consequentia; & hoc si fiat per justam causam. Et quando dicitur Judith decimo tertio capitulo: *Deus prohibet.* Dicitur quod illa prohibitio non habet locum, nisi in casu in quo esset, quod cum illa eradicatione eradicarentur boni homines, & hoc est bene verum. Et ita dicunt expositores.

Ratio post oppositum est &c.

QUÆSTIO IX.

De Sacrificatione Dei.

Arguitur. QUæritur nonò. Utrum sacrificare Deo sit homini naturale?

Et arguitur quod non, quia si sic; sequeretur quod homo in offerendo sacrificium Deo non mereretur. Consequens est falsum, & patet consequentia, quia in iis quæ insunt nobis secundum naturam non meremur, nec demeremur, quia non sunt in potestate nostra.

Secundò

Secundò sic: quia si sic, sequeretur quod apud justos & sanctos continuè, & in omni tempore sacrificia fuissent Deo oblata. Consequens est falsum, quia Adam non legitur Deo fecisse sacrificium, nec etiam Abraham. Et patet consequentia, quia quæ insunt à natura apud omnes debent reperiri: scil. in omnibus non orbatis, cujusmodi sunt sancti.

Tertiò sic: si sic, sequeretur quod apud omnes homines sacrificium inveniretur, & apud omnes homines eodem modo fieret. Consequens est falsum, quia aliqui sacrificabant in panibus, alii in animalibus. Patet consequentia, quia quod ineſt à natura eodem modo ineſt & ubique: sicut ignis hic & Parisiis ardet similiter.

Quartò sic: Nam dicit Auguſt. Quarto de civitate Dei. *sacrificia ſiunt in quadam ſignificatione & maxima ſigna ſunt voces*, ut idem dicit de doctrina Christiana. Et habetur primo *Peri Hermeneias*: *Voces ſunt ſigna eorum quæ ſunt in anima paſſionum nota.*

Oppoſitum arguitur: quod reperitur apud omnes homines, & in omni ætate eſt à natura & naturale: sacrificare Deo eſt hujuſmodi; ergo. Patet, quia apud omnes homines saltem utentes ratione legitur, & visum eſt quod ſecundum exigentiam temporum faciebant ſacrificia. Sed Philoſophus Septimo hujus capitulo undecimo, & decimo tertio tractat de ſacerdotio, cui competit ſacrificare Deo. *In oppoſitum.*

In quæſtione erunt tres articuli. In primo videbitur de quæſito. In ſecundo, utrum ſoli Deo ſumma ſacrificia ſunt adhibenda: & tertio, utrum ad omnes homines pertinent ſacrificare Deo.

Quantum ad primum articulum, primò notandum eſt, quod ſicut dicit Sanctus Tho. in tertia parte Summæ, quæſtione duodecima, articulo ſecundo: omne *culmen.* illud eſt ſacrificium quod Deo exhibetur ad hoc; ut ſpiritus hominis in Deum *Primum notabile.* referatur. Et iſta definitio oblationi competit.

Secundò notandum eſt, quod titulus quæſtionis poteſt dupliciter intelligi: *Secundum.* Uno modo, utrum offerre Deo honorem & reverentiam ſit homini naturale, ita *Quæſtio duplicitèr intelligitur.* quod ſit de jure naturali, & non tantum poſitivo. Alio modo, utrum offerre Deo ſacrificium tale, vel tale inſit homini de jure naturali vel poſitivo.

Tertiò notandum eſt, quod illud dicitur ineſſe de jure naturali quod abſolutè conſideratum & communiter eſt naturale: ita quod illud jus naturale inclinat ſed modus quo fit eſt poſitivus & voluntarius, etiam in conſtitutione humana naturale eſt, quod mali puniantur: ſed quod tali vel tali pœna hoc eſt voluntarium, & in conſtitutione humana, & in executione: & ideo licet quilibet homo ad hoc teneatur, ſcilicet ſacrificare Deo, non tamen ſequitur, quod ex obligatione juris naturalis quilibet eodem modo inclinetur. *Tertium.*

Quartò notandum eſt, quod de jure naturali quodlibet inferius cognoſcens ſe eſſe inferiorem obligatur obligatione indiſſolubili exhibere honorem & reverentiam Deo, quantum eſt ſibi poſſibile. Nam ingratum eſt facere oppoſitum: nam ingratitudo eſt vitium, & contra naturam: ergo ſequitur quod obligatio qua quis tenetur eſt naturalis. Ex hoc ſequitur, quod non eſt poſſibile quod creatura rationalis ſit, & quod Deo non obligata ſit loquendo de obligatione naturali. *Quartum.*

Sit ergo prima concluſio: ſacrificium abſolute conſideratum eſt homini na- *Prima concluſio*

turale, & de lege naturali Probatur, quia de lege naturali eſt, quod quodlibet inferius cognoſcens ſe eſſe inferius faciat honorem & reverentiam ſuo ſuperiori: ſed creatura quælibet rationalis eſt hujuſmodi, & hoc reſpectu Dei: ergo. Patet conſequentia, & antecedens ſimiliter.

Secunda concluſio.

Secunda concluſio: ſacrificare Deo tali vel tali, vel ſub tali modo non eſt naturale homini. Patet per rationes factas ante oppoſitum, quia ſacrificia non ſiunt eodem modo apud homines, apud quos fiunt; ergo &c.

Secundum articulum. Dubium. Arguitur.

Quantum ad ſecundum eſt videndum, utrum ſoli Deo ſacrificia ſunt offerenda?

Arguitur quod non: viris ſanctis ſunt ſacrificia offerenda: ergo. Patet conſequentia, & antecedens probatur, quia ſacrificium eſt, ut Deo offerantur ſacrificia, & illis qui ſunt divinitatis participes: modo omnes ſancti ſunt hujuſmodi. Et ideo dicit Boëtius: *non eſt inconveniens plurimos eſſe Deos participativè.* Item in Pſal: *ego dixi dii eſtis.*

Secundò ſic: angelis ſunt ſacrificia offerenda. ergo. Patet conſequentia & antecedens, quia quanto quis eſt melior, tanto magis ei ſunt ſacrificia offerenda: modò videmus quod ſervi dominis faciunt ſacrificia.

Tertiò ſic: templa Deo & altaria fiunt propter ſacrificia, & tamen illa non ſolum fiunt propter honorem & reverentiam Dei: immo etiam aliorum ſacrorum.

Primum notabile. Differentia eſt inter oblationes, decimas, ſacrificia, & primitias.

Pro quo notandum eſt, quod proprie utendo terminis differentia eſt inter oblationes, & decimas, & ſacrificia; nam ſacrificia dicuntur circa res oblatas Deo, propter quod fit aliquod miniſterium, ut fractio panis, vel oblatio, ſeu occiſio animalis; ut faciebant antiquitùs: ſed oblatio eſt, quando circa tales res oblatas Deo nihil fit. Sed primitiæ dicuntur oblationes; non tamen ſacrificia, cum hoc addito, quod tales fiant de primitiis rerum poſſeſſarum: ſcilicet de pactibus purioribus, & non vilioribus: ſed decimæ non ſunt ſacrificia, quia nihil fit circa eas. Neoſunt oblationes, quia non immediatè Deo offeruntur: ſed ſolum miniſtris divini cultûs.

Secundum notabile. Quid ſignificat ſacrificium exterius.

Secundò notandum eſt, quod ſicut dicit Auguſtinus: *Sacrificium fit exterius ad aliquid ſignificandum.* Unde ſacrificium ſignificat aliquod interius ſpirituale ſacrificium quoad animam, quo anima ipſa offertur ſoli Deo tanquam ſoli principio ſuæ creationis. Ex quo patet, quod eſt duplex ſacrificium: ſcilicet corporale & ſpirituale; corporale eſt, quando aliquem honorem corporalem exhibemus Deo, ut per hunc operetur anima aliquid offerendo Deo corpus ſuum cum ſervitiis & reverentiis corporalibus: ſed ſpirituale eſt, quando puram animam ſuam offert Deo tanquam ſoli principio ſuæ creationis, & ſoli fini ſuæ fœlicitationis & ſalvationis.

Ex iſto ſequitur corollariè, quod ſacrificium exterius debet correſpondere ſacrificio interiori, & è contra: quia aliter non eſſet actus religionis, & eſſet ſacrificium fictum, & non verum.

Tertium notabile. Triplex Deo offertur ſacrificium.

Tertiò notandum eſt, quòd triplex ſacrificium Deo offertur vel offerri poteſt, ſicut triplex eſt hominis bonum. Primum bonum eſt actus interior; & eſt anima; & iſto ſacrificio debet animam ſuam offerre Deo. Aliud eſt bonum corporis, & tunc eſt ſacrificium, quando homo bonum corporis Deo offert faciendo corpori abſtinentiam. Tertium eſt bonum exterius, & tunc eſt ſacrificium, quando

quis

quis Deo immediatè illa bona, scil. sua tribuit, puta pauperibus quantum potest, & hoc ad istum finem; ut animam suam Deo reddat, sed primum sacrificium est principalius.

Prima conclusio: soli Deo summo sacrificia sunt offerenda, Patet conclusio per quid nominis sacrificii. Secundò, quia sacrificium exterius non est verum sacrificium, nisi correspondet interiori, modò interius est, quo quis animam suam Deo offert tanquam soli principio suæ creationis, & fini suæ fœlicitatis. *Prima conclusio.*

Ad rationes ante oppositum factas in principio quæstionis. Ad primam negatur antecedens. Ad probationem, dicitur quod si essent consortes divinitatis quoad æqualitatem & essentiam bene verum esset: modò hoc est solum per participationem. *Ad rationes primi dubii.*

Ad secundam, negatur antecedens. Ad probationem negatur hoc, quia sacrificium non attenditur penes valorem illius cui attribuitur; sed penes circumstantias illius qui tribuit, quia ipsi attribuit tanquam soli principio suæ creationis & salvationis. Ad tertiam conceditur antecedens; & non nisi ad hoc: ut Deo sacrificia fiant; sed si fiant altaria fundata hoc est in relatione ad Deum principaliter, & ideo Augustinus dicit, quòd *Presbyter in altari omnes suas actiones & orationes principaliter dirigit in Deum*.

Quantum ad tertium articulum est videndum, utrum sacrificare Deo vel offerre Deo sacrificia pertinet ad omnes? Et arguitur quòd non? quia sacrificium fit cum quadam significantia: sed non spectat ad omnes scire significantiam sacrificii: igitur. patet consequentia, Et major patet per beatum Aug. x. de civitate Dei. & minor patet, quia agricolæ non tenentur scire significantiam sacrificii. *Tertius articulus. Secundum dubium. Arguitur.*

Secundò, sacerdotes sunt ordinati, ut Deo sacrificent: sed non oportet omnes homines esse sic sacrificantes: ergò, major patet de se, & minor patet per Philosophum septimo hujus cap. 13. dicentem, *Senes & antiqui debent constitui in sacerdotes sedatis passionibus*, & non dicit agricolæ, nec alii &c.

Oppositum patet ex dictis in primo articulo, & postquam est de jure naturali omnibus hominibus convenit. *In oppositum.*

Pro quo notandum, quòd duplex est sacrificium: scil. interius, quando quis animam suam Deo offert. aliud est exterius, & est duplex: quoddam est necessitatis: aliud est supererogationis. sacrificium exterius, quòd est necessarium, est circa actus virtutum, & super illa quæ cadunt sub præcepto: sed supererogationis sacrificium est quod est de consilio. *Primum notabile. Duplex est sacrificium exterius.*

Secundò notandum est, quòd omnes tenentur scire significationes sacrificiorum explicitè vel implicitè: sicut nos diceremus, quod literati tenentur scire significationes sacrificiorum, sed implicitè, sicut si diceremus, quòd literati obligarentur. *Secundum.*

Prima conclusio: ad sacrificium interius quilibet tenetur & obligatur. patet, quia quilibet immediatè animam suam puram debet Deo offerre. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: ad sacrificium exterius, quòd est necessitatis, quilibet obligatur: patet, quia illud cadit sub præcepto. *Secunda.*

Tertia conclusio: non quilibet tenetur ad sacrificium exterius quod est supererogationis. Patet conclusio, quia non quilibet ad illa obligatur quæ cadunt sub consilio. consequentia est nota, & antecedens. *Tertia.*

Ad rationes. Ad primam conceditur major sed negatur minor saltem explicitè, vel implicitè, *Ad rationes secundi dubii.*

Ad

Ad ſecundam conceditur antecedens, & non ſolum ſacerdotes ſunt inſtituti ad offerendum ſacrificium pro ſe: ſed etiam pro toto populo. Et ideo dicitur à Philoſopho: quòd *ſacerdotium eſt opus quod pertinet præcipuè ad conſiſtentiam civitatis.* ſcil. ad ponendum pacem inter Deum & hominem: ſed quia ſecundum illud quod dicit Apoſt. ad Hebræ: ultimo capitulo: dare eleemoſynam eſt ſacrificium Deo offerre ſeu hoſtiam, ideò eſt aliquid dicendum de eleemoſyna probabiliter: primò, quid ſit eleemoſyna definitivè. Secundò quot ſunt ſenſus eleemoſynarum corporalium. Tertiò ſpiritualium. Quartò de comparatione iſtarum ad invicem.

Primum notabile.

Quid eleemoſynæ tria ad eleemoſynam requiruntur.

Et ſciendum primo, quòd eleemoſyna eſt opus quo aliquid datur indigenti propter Deum ex compaſſione. Unde ad æquam aliquid fit eleemoſyna tria requiruntur: primò, quòd detur indigenti. Secundò, quòd dans moveatur ex compaſſione ad dandum. Tertiò, quòd detur propter Deum.

Secundum.

Septem ſunt genera corporalium eleemoſynarum.

Secundò notandum eſt, quod in generali ſeptem ſunt genera eleemoſynarum corporalium: ut ſunt viſitare infirmos, cibare eſurientes, potare ſitientes, redimere captivos, cooperire nudos, recipere hoſpites propter Deum, & ſepelire mortuos, unde verſus:

Viſito, cibo, poto, redimo, tego, colligo, condo.

Quare datur eleemoſyna.

unde ad habendum ſufficientiam iſtorum eſt notandum, quòd eleemoſyna datur ad ſubveniendum proximo ratione defectus corporalis: modo defectus corporalis, vel eſt in vita, vel poſt. Si poſt; ſic eſt ſepelire mortuos. ſi in vita, vel ergo eſt defectus interior, vel exterior: ſi interior; vel eſt reſpectu communis quo omnes indigent, vel reſpectu ſpecialis, ſcil. propter aliquod accidens ſuperveniens: ſi interior reſpectu communis: hoc eſt dupliciter; vel interior, vel exterior: ſi interior, vel ſubvenitur per juvamen ſiccum, & ſic eſt paſcere eſurientem: vel per juvamen humidum, & ſic eſt potare ſitientem: ſi exterior, vel eſt per regimentum, & ſic eſt veſtire nudos: vel per locum, & ſic eſt hoſpitare pauperes propter Deum. Si reſpectu ſpiritualis: vel pervenit ex cauſa extrinſeca, vel intrinſeca: ſi intrinſeca cauſa, ſic eſt viſitare infirmos: ſi extrinſeca ſcil. ad extra, ſic eſt redimere captivos.

Dubitatio.

Quot ſunt genera eleemoſynarum ſpiritualium.

Dubitatur tertiò, quot ſunt genera eleemoſynarum ſpiritualium. Dicitur quod tot ſunt quot ſunt genera eleemoſynarum corporalium, & correſpondent: primum eſt docere ignorantem. Secundum eſt conſulere dubitanti. Tertium eſt corrigere delinquentem. Quartum eſt conſolare deſperantem vel triſtem. Quintum eſt remittere offendenti. Sextum ſupportare graves & onerоſos. Septimum eſt orare pro omnibus. Unde:

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

ſub *conſule* intelliguntur duo genera: ſcil. docere ignorantes, & conſulere dubitantibus. Sed ſufficientia harum ſpiritualium magis videbitur in fine hujus ſeptimi.

Tertium notabile.

Alia dubitatio.

Tertiò notandum eſt, quod ad videndum de comparatione harum eleemoſynarum ad invicem. Eſt dubitatio: utrum eleemoſynæ ſpirituales ſunt potiores, quàm eleemoſynæ corporales; ſeu ſint nobiliores.

Arguitur.

Arguitur quod non. Nam corpus eſt majoris indigentiæ quàm anima: ergo melius eſt ſubvenire corpori quam animæ. igitur, patet conſequentia, quia

eleemoſyna

eleemosyna tanto recipit majorem laudem: quanto magis indigenti subvenitur. consequens est notum.

Ad hoc respondetur ponendo duas conclusiones: Prima conclusio quòd eleemosynæ spirituales sunt meliores, & potiores eleemosynis corporalibus, loquendo simpliciter: probatur conclusio ex parte illius quod in eleemosyna datur. Nam in spirituali datur donum spirituale, & reficiendo animam: sed in corporali datur donum corporale: modo sicut anima est nobilior corpore, ita etiam dispositiones sunt nobiliores: probatur secundò ex parte illius cui subvenitur: quia in una eleemosyna subvenitur animæ, & in alia corpori. Tertiò patet ratione, quia unus actus est interior, & alius exterior. *Solutio. Prima conclusio.*

Secunda conclusio: in aliquo casu, & de per accidens eleemosyna corporalis est potior eleemosyna spirituali: probatur in casu in quo proximus esset constitutus in articulo mortis; homo tunc tenetur ei dare eleemosynam corporalem, & non spiritualem. Et tunc dico ad rationem negando consequentiam. Et ad probationem, quia quanto subvenitur, &c. Dicitur quòd verum est in casu, sed simpliciter non, quia cætera non sunt paria. *Secunda.*

Ad rationes quæstionis. Ad primam negatur consequentia, quia licet quilibet ad hoc inclinetur; tamen in voluntate stat complementum operis ejus. *Ad rationes quæstionis.*

Ad secundam conceditur antecedens, & consequentia, licet non eodem modo. Ad probationem dicitur de illis sanctis: quòd quidam habuerunt diversos modos sacrificandi.

Ad tertiam negatur consequentia, quia licet offerre sacrificium in communi sit de lege naturali: tamen sic vel sic offerre est de jure positivo.

Ad quartam dicitur, quod declarare mentis conceptum est homini naturale, non tamen sic vel sic declarare, & quilibet tenetur eam scire explicitè vel implicitè, non tamen omnes tenentur explicitè.

QUÆSTIO X.

De Superfluo cultu divino.

Quæritur decimo: Utrum in cultu divino per laudem Deo exhibitam ore possit esse superfluitas? Et arguitur primò contra suppositum: nam quæstio præsupponit, quòd Deus sit ore laudandus: Deinde quærit, utrum in tali cultu possit esse superfluitas? Arguitur contra suppositum, quia Deo non debetur laus: ergo. Consequentia patet, & antecedens probatur per Philosophum Primo Ethicorum dicentem cap. 16. quod *Optimorum non est laus*: modò Deus est optimus. *Arguitur.*

Secundò sic: laus Dei pertinet ad cultū divinum; sed Deus magis colitur menquam ore: igitur. Consequentia est nota, & major patet de se: quia laus exhibita Deo pertinet ad ejus cultum, minor patet, quia certum est quod Deus frequenter ore colitur vel labiis, & tamen cor longè est ab eo.

Tertiò sic: Homines laudantur ut ad bonum promoveantur: sed Deus ad nullum majus bonum potest promoveri: igitur. Major patet de se, quia secun-

dum se virtus laudata crescit, minor patet: tum primò, quia Deus est immutabilis: tum secundò, quia Deus est optimus.

Deinde arguitur contra quæsitum, quia ad cultum divinum pertinet ut offeramus illa quæ ab ipso accepimus: sed quod habemus à Deo habemus: ergo non committitur superfluum quicquid Deo offeramus. Major patet ex dictis, quia ad cultum Dei hoc pertinet, & consequentia est nota de se. Unde Apost: dicit: *sufficientia nostra est ex Deo nihil habentes à nobis*.

In oppositum. Oppositum arguitur per expositores in isto Septimo, qui concedunt quòd in tali cultu frequenter est superfluitas: ut si Deo honor exhibetur ultra ordinationem & consuetudinem Ecclesiæ, quia aliqui in hoc sunt superstitiosi, vel hypocritæ.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de præsupposito. In secundo videbitur; utrum in tali cultu possit esse superfluitas.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est, quid sit laus: unde

Primum notabile. *laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis.* Est enim commendatio operis ut habetur Primo Rhetoricæ cap. 12. Ex quo sequitur quod proprie utendo isto

Quid laus. nomine laus debet esse sermo, quia est vocalis. Secundo sequitur, quòd laus vitiosa non debetur: quia dicitur elucidans magnitudinem virtutis. Tertiò se-

Corollarium primum. quitur, quòd propriè utendo laude, laus attribuitur operibus exterioribus seu imperatis. Patet, quia dicitur: laus est commendatio.

Secundum. Secundò notandum est, quòd de Deo possumus habere duplicem consideratio-

Tertium. nem: uno modo, secundum ejus essentiam, quia est nobis incomprehensibilis. Secundo modo, quantum ad ejus effectus, in quantum veniunt nobis in utili-

Secundum notabile. tatem: sed quia remedit nos, & dat nobis illa quibus indigemus, & ita loquitur

De Deo duplex potest haberi consideratio. beatus Tho: Secunda Secundæ. quæst. 13. Ex quo sequitur, quòd Deus est laudandus dupliciter: scilicet secundum ejus essentiam. Secundo modo secundum ejus effectus.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd nos non utimur verbis in ordine ad Deum, eo quòd ipse non intelligat corda nostra: sed quia ut dicit Philosophus primo Peri Ermenecias: *voces sunt signa earum quæ sunt in anima passionum.* i. conceptuum, & per vocem excitamus nosmetipsos apprehendendo rem significatam per talia verba ad laudem & denominationem. Et etiam excitamus alios audientes, cum exprimimus laudem. Nam etiam & nosmetipsi & alii inflammamur magis ad laudem Dei: licet Deus sit scrutator cordium: & scit quid in corde geritur.

Quartum. Quartò notandum est, quòd alia de causa utimur laude vocali ad hominem, & alia ad Deum. Nam ad hominem utimur quatenus manifestemus laudato & aliis hominibus audientibus nostram bonam opinionem, vel credulitatem, utper nostram opinionem vel credulitatem, & per hominem sic laudatum ipsum & alios provocemus ad bonum & virtutes: sed ad Deum utimur laude, ut per laudem nostram vocalem nosmet ipsos excitemus ad Deum laudandum, & alios audientes ad nos imitandum. Ex quo sequitur, quòd laus Deo exhibita per nos, non est ad Dei utilitatem: sed nostram utilitatem, & aliorum: sic autem non est de laude exhibita homini.

Prima conclusio. Sit ergo prima conclusio: considerando Deum quantum ad ejus essentiam Deus non est à nobis laudandus. Patet, quia Deus non est sic à nobis cognoscibilis. Item sic magis est Deo obediendum. patet per Hieronymum in suo psalterio.

Secunda

Secunda concluſio: conſiderando Deum in comparatione ad ejus effectus, inquantum veniunt ad noſtram utilitatem, Deus eſt ore laudandus. Probatur, nam rationabiliter homo debet ſe habere ad Deum illo modo, quo ipſe provocatur ad melius, & etiam eo modo, quo alii homines ad melius incitantur. ſed hoc eſt ore Deum laudando ergo. Major patet de ſe: & minor etiam. *Secunda.*

Quantum ad ſecundum articulum. Notandum eſt, quòd finis cultûs divini eſt, ut homo det Deo gloriam, & ut ei ſubjiciat animam ſuam, mentem ſuam, & corpus ſuum: aliter enim non eſt cultus divinus, niſi in talem finem ordinetur. Ex quo ſequitur, quòd quicquid facit homo facit ut det gloriam Deo, & ut ſubjiciat ei animam ſuam, ſi faciat hoc ſecundum Eccleſiæ ordinationem & conſuetudinem eorum quibus committitur: & tunc non committit aliquod ſuperfluum. quòd ſi aliquod iſtorum deficiat in iis quæ homo facit ut Deum colat, hoc eſt ſuperfluum in divino cultu: unde quinque tanguntur in cultu divino. Primò, Deo honorem & gloriam impendere. Secundò, animam ſubjicere, Tertiò, corpus ſubjicere. Quartum eſt, quòd ſecundum ordinationem Eccleſiæ homo vivat. Et quintum, quòd homo faciat hoc ſecundum conſuetudinem eorum quibus committitur. *Secundum articulum. Primum notatur. Quòd ſit finis cultus divini. Quinque ſunt in cultu divino exhibendo.*

Secundò notandum eſt, quòd ſuperfluitatem eſſe in divino cultu poteſt intelligi dupliciter: Uno modo ſecundum abſolutam quantitatem: ſcilicet quòd Deo exhibeatur plus, quam homo teneatur. Alio modo ſecundum proportionatam quantitatem: ut quòd illud quod exhiberur non ordinetur in debitum finem, ut dictum eſt prius. *Secundum.*

Sit ergo prima concluſio: loquendo de ſuperfluitate ſecundum abſolutam quantitatem, in cultu divino non poteſt eſſe ſuperfluitas. Probatur, quia homo non poteſt plus attribuere Deo quam tenetur, igitur conſequentia patet & antecedens patet per quartam rationem ante oppoſitum. *Prima concluſio.*

Secunda concluſio reſponſalis: Loquendo de ſuperfluitate quæ eſt ſecundum proportionem: in cultu divino poteſt eſſe ſuperfluitas. Probatur, quia quandoque aliquis in divino cultu facit aliquid quod non ordinatur in debitum finem cultus divini: igitur conſequentia eſt nota, & antecedens ſimiliter. Ex quibus ſequitur concluſio reſponſiva ad totam quæſtionem: In cultu divino per laudem Deo exhibitam poteſt eſſe ſuperfluitas. patet ex dictis ſuperius. *Secunda. Reſponſiva.*

Ad rationes. Ad primam dicitur, quòd non probat, niſi quòd Deus non eſt ore laudandus, conſiderando ipſum ſecundum ſuam eſſentiam: immo deberur ſibi aliquid melius: ut cultus latriæ, ut eſt alibi videri, & iſtud habet veritatem capiendo laudem propriè. *Ad rationes.*

Ad ſecundam conceditur hoc: ſed expedit, ut laus vocalis Deo impendatur: ut noſmet ipſos ad laudem Dei incitemus, & ſimiliter alios audientes, ut dictum eſt.

Ad tertiam conceditur major, Et ad minorem dicitur, quòd hoc eſt verum quantum ad ejus eſſentiam: ſed tamen ad effectus Dei impropriè ampliatur, quia nos cognoſcimus effectus Dei nobis exhibitos propter noſtram utilitatem.

Ad quartam dicitur, quòd tota illa ratio arguit bene pro ſecunda concluſione ſecundi articuli.

QUÆSTIO XI.

De superfluo cultu divino.

Quæritur undecimò, Utrum vacando circa cultum divinum expediens sit orare Deum?

Arguitur. Arguitur quòd non: quia oratio fit quatenus incitemus illum à quo petimus aliquid manifestando ei illud quo indigemus: sed nihil possumus Deo manifestare, quia omnia sunt Deo clara, & aperta, & nuda: ergo. Major patet de se, & minor similiter.

Secundò sic: Oratio fit ut animus ejus à quo petimus flectatur ad illud quod petimus: sed Deus est inflexibilis: igitur. Major patet de se, & minor similiter, quia Deus est immutabilis.

Tertiò sic: liberalius est aliquid dare non petenti quam petenti: sed inter datores Deus est liberalissimus: ergo non dat petenti, ergo frustra petimus. major patet per Senecam, qui dicit: *nulla res charius emitur, quam quod precibus obtinetur*, & minor patet, quia *Deus dat affluenter, & non improperat*, ut dicit Apostolus.

Quartò sic: non est expediens Deo aliquid petere: ergo vacando circa divinum cultum non est expediens Deum orare. Patet consequentia, quia oratio non fit nisi ad impetrandum. Et antecedens probatur, quia bonum non est petendum: quia ad hoc nos incitat Deus quotidie, & per consequens frustra illud à Deo peteremus, nec malum est petendum, ut notum est.

Quintò; si conveniens esset orando Deum aliquid petere; vel illud esset bonum spirituale, & hoc non: quia ad hoc Deus quotidie nos incitat: nec bonum corporale: quia ad illud nos non debemus esse solliciti: ut dicitur in Evangelio: *Nolite solliciti esse quid manducetis &c.* Item patet, quia homo orando debet illud petere quod est superius: sed bona corporalia non sunt superiora homini, quia sunt propter hominem.

Tertiò, quia talia bona corporalia sunt impedimenta homini ad bonum spirituale: igitur sunt nobis nociva. Ideo dicitur Primo Ethicorum, quòd *propter divitias multi perjerunt.*

Quartò declaratur sic: illud quod orando petitur vel ordinatum est ab æterno à Deo quod dabit ipsum petenti: & si sic, tunc frustra petit, vel non. & sic Deus non dabit, vel si dat Deus erit mutabilis; quod est contra omnes Theologos, & Philosophos, & Laicos sapientes.

In oppositum. Oppositum arguitur. Expediens est vacare in optima politia circa divinum cultum: sed illud maximè est oratio. Major patet per Philosophum in hoc Septimo dicentem: quòd præcipuè circa divinum cultum est insistendum. Et minor patet, quia oratio est maximus actus religionis.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo, utrum licitum sit petere bona temporalia.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum Primò notandum est, quòd oratio, prout hic capitur, potest sic definiri: *Oratio est actus quo homo reverentiam Deo exhibet*

in quantum

inquantum ei se subjecit, & profitetur orando se Deo indigere tanquam auctore omnium bonorum. Ex quo sequitur, quòd in oratione debet esse subjectio: secundò professio quòd Deo indiget: tertio, quòd recognoscat illum cui exhibet actum esse largitorem omnium bonorum, vel saltem illorum quæ petit. Ex quo sequitur, quòd oratio est actus religionis. Probatur, quia ille est actus religionis per quem honor & reverentia exhibetur.

Primum notabile.

Definitio orationis.

Tria sunt in oratione.

Secundò notandum est, quòd de rebus humanis fuerunt tres opiniones seu errores. prima fuit: quòd res humanæ non reguntur divina providentia. Ex quo inferebant, quòd nullius utilitatis est oratio. Secunda fuit: quòd omnes res eodem modo quo veniunt, de necessitate veniunt: scilicet necessitate voluntatis Dei, vel ex connexione causarum. Et inferebant, quòd nullius utilitatis est oratio. Tertius error concessit bene quòd res à Deo reguntur, & quod res humanæ non eveniunt de necessitate: sed divina providentia propter actus nostros est mutabilis, & sic dicebant, quòd conveniens fuit orare propter mutationem divinæ providentiæ.

Secundum.

De rebus humanis tres fuerunt errores.

Tertiò notandum est, quod ista tria debemus tenere & supponere. Primò, quod res humanæ reguntur à Deo & sibi supponuntur. secundum quòd res non eveniunt de necessitate. tertium est, quòd divina providentia est immutabilis.

Tertium.

Quartò notandum est, quod non solum ex divina providentia disponitur quis effectus debet evenire: sed ex quibus causis debet evenire, & quomodo. Unde oportet homines multos actus facere in ordine ad Deum, non ut per illos actus habeant divinam providentiam immutare: sed prout per illos actus habeamus modum quo ordine sit volitum à Deo.

Quartum.

Pro quo sciendum est, quòd Deus ab æterno ordinavit nobis aliqua dare cum nostris petitionibus, & aliqua sine petitionibus nostris.

Quintum notabile.

Prima conclusio & responsiva: Vacando circa divinum cultum expediens est orare Deum. Probatur, quia conveniens est hominem sic se habere ad Deum, ut possit impetrare, vel acquirere illud quod Deus sibi ordinavit: sed hoc est orando Deum ergo: igitur. Major est nota. & minor patet ex dictis jam: quia Deus ordinavit aliqua nobis dare. dummodo pro illis insistamus orando.

Prima.

Conclusio responsiva.

Prima ergo dubitatio, quare Deus ordinavit dare nobis aliqua nostris orationibus mediis vel meritantibus: dicitur quòd hoc est propter duas causas: Prima est, ut per hoc homo habeat audaciam & fiduciam recurrendi ad Deum in suis necessitatibus. Secunda causa est: ut per hoc homo cognoscat Deum esse datorem omnium bonorum quæ habet.

Primum dubium.

Responsio.

Secunda dubitatio: Utrum solus Deus sit orandus? Et videtur quòd sic: quia oratio est actus religionis, modò soli Deo debetur actus religionis.

Secundum dubium.

Secundò sic: Illi soli debetur oratio qui scit cogitationes hominum: sed solus Deus scit cogitationes hominum: ergo solus Deus est orandus.

Arguitur.

In oppositum.

Oppositum patet per determinationem Ecclesiæ. Pro quo notandum est, quòd oratio potest alicui porrigi dupliciter: Uno modo, quòd talis oratio per illum cui porrigitur debeat adimpleri. Alio modo, quia est per illum impetranda. Et tunc dicitur, quòd solus Deus est adorandus primo modo, patet, quia solus Deus habet adimplere quod petitur. Secundo modo sancti sunt adorandi. Patet, quia ipsi habent impetrare efficaciam orationis. Et si dicatur, quod Deus ordinavit ab æterno isti dare si petierit, & per consequens sufficit, quòd talis

Notabile, dupliciter potest alicui porrigi oratio.

Responsio ad secundum dubium.

 Objectio.

Responsio objectionis. immediatè oret Deum: Respondetur, quod si Deus promisit & ordinavit ab æterno tali dare aliquid, hoc tamen fuit, quòd ipse Dei debet orare sanctos tanquam mediatores. Et sic patet, quòd sancti sunt orandi, & quomodo sunt orandi.

Secundum articulus. Quantum ad secundum articulum, Circa materiam de divino cultu sunt tria videnda.

Primum dubium. Primum est: utrum in oratione debemus aliquid determinatè petere à Deo.

Secundum. Secundò: utrum licitum sit orando petere bona temporalia.

Tertium. Tertio: utrum licitum sit orare pro inimicis, & utrum cadat sub præcepto.

Primum notabile. Quantum ad primum. Primò notandum est, quod bona hominibus convenientia sunt duplicia: Quædam sunt quibus contingit malè uti, ut sunt divitiæ, possessiones, & hujusmodi. Alia sunt quibus non contingit malè uti; ut sunt habitus perficientes animam.

Duplicia sunt bona hominibus convenientia. Secundò sciendum est, quod in orando & in petendo prima bona sunt duæ conditiones observandæ. Prima: quod petens nihil petat, nisi illud quod decet & conveniens est in ordine ad majestatem divinam, & debitam subjectionem.

Secundum. *Duæ conditiones requiruntur in petendo prima bona.* Secunda conditio est: quod petat in ordine ad debitum finem.

Conclusio responsiva. Tunc sit conclusio responsiva: licitum est orando aliquid determinatè petere. Patet sic: nam licitum est illud petere orando quod est bonum simpliciter ei, & quo homo non potest malè uti: sed multa sunt talia quæ sunt determinatè bona: ergo. Major patet, quia ibi est unus fructus orationis. Minor patet, quia bona animæ sunt bona, quibus non contingit malè uti. alia sunt, quibus contingit malè uti: & talia non sunt petenda, nisi sub conditione; scil. si sint bona in ordine ad divinam majestatem.

Primum notabile. Quantum ad secundum punctum Sciendum est, quod ad ducendam vitam virtuosam necessaria sunt bona utilia fortunæ subjecta. Patet conclusio per Philosophum Primo Ethicorum dicentem: quod impossibile est, vel non est facile indigentem operari bona. Confirmatur; quia status ad quem ordinatur virtus non potest attingi sine ministerio bonorum subditorum fortunæ.

Secundi dubii. *Secundum.* *Dupliciter intelligitur dubium.* Secundò notandum est, quod dupliciter potest intelligi, utrum sit conveniens petere bona temporalia: Uno modo sistendo ibi, & secundum se. Alio modo non secundum se, nec sistendo ibi; sed inquantum subserviunt & deserviunt ad statum hominis virtuosi. Et sic proportionabiliter potest intelligi quod dupliciter possumus orare pro bonis temporalibus. Uno modo pro eis orando secundum se ibi sistendo. Alio modo non secundum se, sed inquantum serviunt statui virtuoso.

Tertium. Tertiò notandum est, quod secundum rectam rationem illud quod habet rationem boni utilis non est propter se appetendum: patet, quia illud bonum utile est propter aliud, & in aliud ordinandum, & sic aliquis illo bono utili abuteretur.

Prima Propositio. Prima propositio: licitum est orando bona temporalia petere juxta secundum modum: scilicet, inquantum deserviunt & faciunt ad statum virtuosum. Patet ex dictis.

Secunda. Secunda propositio est ista: juxta primum modum non est licitum orando bona temporalia petere. Patet, quia illud esset petere bonum utile propter se, quod non est faciendum, ut patet.

Quantum

Quantum ad tertium punctum. Arguitur quod non cadat sub præcepto orare pro inimicis, nam scriptura dicit, quòd *pro inimicis vindictam petere, & increpationes est licitum*: ergo. Consequentia est nota, & antecedens probatur per David in Psalterio dicentem: *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei.* *Arguitur.*

Secundò sic: hominis operatio & oratio non debent esse discordes; sed in casu sic esset, si oratio esset pro inimicis facienda: ergo. Major patet, & minor probatur, quia contra inimicum pugnare licitum est, & ipsum destruere: Modò orare pro inimico est conservationem ejus petere.

Pro quo notandum est, quod dilectio inimici tripliciter potest considerari: Uno modo quod quis diligit inimicum suum inquantum est inimicus, & sic dicitur; quod diligere inimicum non cadit sub præcepto, nec etiam orare. Alio modo, quod diligat inimicum suum secundum naturam ejus in simili: non tamen diligendo culpam ejus in communi: & sic dicitur quod cadit sub præcepto inimicum suum diligere: & pro eo debet orare, & sic non debet inimicum suum ab oratione sua excludere. Tertio modo, quod inimicum suum in speciali diligat, ita quod speciali motu dilectionis ad eum moveatur, & sic dicitur quod inimicum diligere non est necessitatis, nec etiam amicum diligere; quia non est in potestate hominis semper sic diligere amicum vel inimicum: & sic non cadit sub præcepto; sed est perfectionis hominis. Quarto modo dicitur, quod qualem tenetur diligere inimicum in speciali; & hoc quoad animi præparationem, ita quod si inimicus veniam petat tenetur eum sublevare, & eum juvare: & sic cadit sub præcepto orare pro inimico. *Notabile.* *Tripliciter considerator dilectio inimici.*

Ad rationes. Ad primam dicitur, quod aliquis potest facere increpationes pro inimico, seu malo homine, seu petere vindictam à Deo dupliciter: Uno modo, quod talis petat aliqua mala temporalia advenire malo homini, ut vita sua corrigatur. Secundo modo, quod petat mala non contra hominem in se; sed contra vitium suum. *Ad rationes.* *Dupliciter quis petit vindictam Deo pro inimico.*

Tertiò: aliquis potest licitè petere orando mala pro inimico conformando voluntatem suam divinæ voluntati, & quod sic permaneat in peccato usque ad finem vitæ, & quæ etiam æternaliter damnetur, & ita antiqui Prophetæ & Patres antiqui oraverunt pro inimicis, & sic intelligitur dictum Psalmistæ prius allegatum.

Ad secundam dicitur, quod si talis petat mala sibi evenire, ut vitam emendet, non repugnat, sed stat cum bono ipsius.

Ad rationes principales. Ad primam negetur major, immò, scitur quod aliter utimur oratione ad Deum, & aliter ad hominem, quia ad Deum oratione utimur; ut per hoc confiteamur quod sibi debemus exhibere honorem & reverentiam, & subjectionem, & quod indigemus eo tanquam auctore omnium bonorum et rerum, sed sic non est ad hominem. *Ad rationes principales.*

Ad secundam, cum dicitur: nunquam fit oratio ad aliquem, nisi animus ejus flectatur. Dicitur quod oratio, quæ fit ad Deum, fit ut obtineamus aliquos effectus quos nobis impetravit secundum illum modum, secundum quem deputavit, scilicet si rogemus.

Ad tertiam, quando dicitur: liberalius est dare, *&c.* Dicitur quod ratio est soluta ex dictis in tertio articulo, quia Deus ordinavit nobis dare aliqua tum orationibus nostris, et aliqua sine orationibus nostris.

Ad

Ad quartam dicitur, quod pro bonis. Et quando dicitur quod Deus invitat, &c. Dicitur quod verum est, sed non dabit nobis, nisi preces et orationes illi effundamus.

Ad quintam dicitur consimiliter.

Ad aliam quando dicitur, quod Deus &c. dicitur quod Deus ab æterno ordinavit, sic dare tali pacto si eum oremus, & hoc mediantibus intercessoribus nostris, & sub tali ordinatione, & sub tali pacto si nos habeamus nosmetipsos ad Deum.

Ratio post oppositum &c.

QUÆSTIO XII.

De natura assuefactione.

Arguitur.

Quæritur decimo secundò. Utrum aliquis possit assuefieri ad oppositum ejus ad quod naturaliter inclinatur?

Et arguitur quòd sic: nam homo naturaliter ad malum inclinatur, & tamen potest ad oppositum assuefieri; ergo. Consequentia est nota, & major patet, quia dicitur Gen. 8. quòd *sensus & cogitatio humani cordis ad malum proni sunt ab adolescentia*. Et minor patet per experientiam, quia reperiuntur homines justi sancti vita.

Secundò, si sic; sequeretur quod homo peccaret necessariò. Consequens est falsum, quia dicit Augustinus: quòd *si non esset voluntarium non esset peccatum*. Patet tamen consequentia, quia postquam homo non potest assuefieri ad oppositum illius ad quod inclinatur, sequitur propositum.

Tertiò sic: concupiscentia carnalis delectabilis inest nobis à natura; & tamen per debitam abstinentiam homo potest assuefieri ad oppositum: igitur. Consequentia est nota, & antecedens patet per Philosophum dicentem: quòd *difficilius est pugnare contra concupiscentiam, quam contra iram*. Patet, quia quantumcunque homo iratscitur potest ire ad oppositum.

Quartò sic: sicut verecundia inest nobis à natura; ita ad verecundiam naturaliter inclinamur, & tamen ad oppositum potest homo assuefieri: igitur. Consequentia est nota. Et major patet per Philosophum Quarto Ethicorum, & etiam Septimo Ethicorum dicentem: quod juvenes verecundos laudamus. Et minor patet, quia aliquis per malam operationem ducitur ad verecundiam.

Quintò sic: aliqui homines ex complexione naturali magis inclinantur ad unum vitium quam ad aliud, & tamen possunt ad oppositum illius assuefieri; igitur. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia flegmatici magis inclinantur ad unum malum, quam sanguinei.

Sextò sic: homo secundum intellectum naturaliter inclinatur ad assentiendum primo principio sibi proposito, & tamen potest ad oppositum ejus assuefieri: igitur. Consequentia est nota, Et major & minor probatur per Commentatorem in principio Tertii Ethicorum, ubi dicit, quòd *juvenes assuefacti ad audiendum fabulas aliquo modo possen sunt assuefacti ad discendum veritatem*.

Septimò

Septimò sic: nam venenum est contra naturam convenientem homini; & tamen homo potest assuefieri ad venenum: igitur. Consequentia est nota, & major patet, quia clarum est, quòd homo secundum suam speciem totam odit venenum. E: minor patet Septimo Ethicorum.

Octavò sic: virtutes insunt à natura, & tamen homo potest ad oppositum assuefieri; igitur. Consequentia est nota, Et major patet per Philosophum Septimo Ethicorum, ubi dicit: *omnibus videtur singulos mores inexistere à natura aliqualiter.* & sequitur: *etenim justi, temperati, fortes, & animalia consestim habemus à nativitate.*

Nonò sic: nam homo efficitur virtuosus per consuetudinem; & tamen hoc est contra naturalem inclinationem ejus. Consequentia est nota, & major patet per Philosophum Septimo hujus, ubi dicit; quòd *homo efficitur virtuosus propter tria: scilicet, per naturam, per consuetudinem, & per rationem.* Minor patet de se, quia frequenter homines sunt ad malum proni & inclinati à natura. *Propter tria fit homo virtuosus.*

Decimò sic arguitur per unum consimile: lignum tortuosum à natura potest ad oppositum assuefieri: igitur. Consequentia est nota à simili, Et antecedens patet, per Philosophum dicentem: quod si lignum tortuosum ad aliam partem verteretur, fieret rectum.

Undecimò sic: sequeretur quod homo non esset liber libertate oppositionis, seu contradictionis. Consequens est falsum, ut patet per omnes Philosophos morales, & etiam patet consequentia, quia homo necessitaretur ad hoc, quod ipse consequeretur naturalem inclinationem.

Oppositum arguitur: nullum natura existentium aliter assuescit: ergo potest ad oppositum illius assuefieri ad quod naturaliter inclinatur. Consequentia est nota ex terminis. Antecedens patet per Philosophum Secundo Ethicorum illud dicentem: & etiam hoc patet per Proverbium commune: quòd *natura dedit homo posse tollere.* *In oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur, utrum aliquis dicatur à natura bonus vel malus. Secundo, utrum virtus insit homini à natura, quia dicit Aristoteles in isto Septimo: quod sunt tria quæ faciunt hominem bonum, quæ enumerantur in hoc Septimo: scil. *natura, assuefactio, & ratio.*

Quantum ad primum articulum arguitur quod sic: quia virtus non ineſt nobis præter naturam; & tamen ineſt nobis: igitur. Consequentia tenet, quia omne quod ineſt nobis ineſt nobis à natura, aut præter naturam: sicut habetur Primo Cœli & Mundi. Et antecedens est notum. *Primus articulus arguitur.*

Secundò sic: virtus ineſt nobis à naturalibus causis: igitur. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia virtus ineſt nobis per intellectum & voluntatem, & rationem, quæ sunt causæ naturales.

Tertiò sic: nisi sic, sequeretur quòd natura in suis operationibus deficeret. Consequens est falsum, ut habetur Tertio de Anima. Et probatur consequentia, quia virtus est valdè nobis necessaria ad habendum ultimum finem: scilicet felicitatem.

Quartò sic: nisi sic, sequeretur quod natura non faceret semper de possibilibus, quod melius est. Consequens est falsum, ut patet Secundo Cœli & Mundi, & patet consequentia, quia multo melius est quod virtus insit nobis à natura, quam quod ea à nativitate careamus, & tamen hoc est possibile.

Quintò sic: nisi sic, sequeretur quod natura minus solicita esset de homine quam de bruto. Consequens est falsum, & patet consequentia, quia natura dat brutis media quibus mediantibus possunt suum finem adipisci, modò nisi natura daret nobis sequeretur illud illatum.

Sexto sic arguitur per illud quod est allegatum in hoc septimo capitulo octavo ubi habetur quòd sunt tria quæ faciunt hominem virtuosum: scilicet assuefactio ratio, & natura.

In oppositum. Oppositum tamen arguitur de intentione Philosophi 3. Ethicorum dicentis, quòd *virtus moralis trahit nomen ex consuetudine & mores*

Primum notabile. Primo notandum est pro intellectu hujus, quod aliqui respondentes ad hoc dubium posuerunt tres propositiones.

Prima Propositio. Prima est: quod virtus moralis ineſt nobis à natura initiativè.

Secunda. Secunda fuit, quod virtus moralis ineſt nobis à natura excitativè & provocativè.

Tertia. Tertia fuit: quòd virtus moralis ineſt nobis ex consuetudine completivè. Prima propositio probatur sic: nam à natura & naturali institutione aliqui sunt proni ad unam virtutem, & alii ad aliam, & alii ad oppoſita vitia: ergo. consequentia patet: & antecedens probatur per Philosophum Sexto Ethicorum: & etiam patet, per Philosophum in hoc Septimo dicentem: *Omnibus viris singulos mores inexistere à natura.* Secunda propositio probatur: quia per doctrinam seu notitiam scientificam docemur in his quæ debemus prosequi, & in his quæ debemus fugere. ergo. patet consequentia, & antecedens est notum. Tertia Propositio probatur per illud quod allegatur post oppositum, cum dicitur: virtus moralis est à more, id est, à consuetudine. Et dicitur quod tria sunt quæ faciunt hominem virtuosum: scilicet, natura, consuetudo, & ratio. Sed licèt ista sunt bene dicta: tamen potest aliter dici ad istam dubitationem.

Primum notabile. Sex modis dicitur naturale. Pro quo est primò notandum; quòd sicut elicitur ex dictis Philosophi naturale dicitur multipliciter: uno modo, prout dicitur contra supernaturale. Secundo modo, prout dicitur contra violentum. Tertio modo, prout dicitur contra casuale. Quarto modo, prout distinguitur contra artificiale. Quinto, prout dicitur contra disconveniens. Sexto, prout distinguitur contra voluntarium.

Prima conclusio. Isto suppoſito ponitur prima conclusio: virtus moralis ineſt à natura prout naturale distinguitur contra supernaturale, probatur: quia nisi sic: tunc sequeretur quod solus Deus concurreret ad faciendum hominem virtuosum. Consequens est falsum, quia sic virtus conveniret nobis meritoriè. Patet consequentia, quia ad supernaturale solus Deus concurrit.

Objectio. Sed contra hoc arguitur; quia dicit Augustinus in libro de libero arbitrio quod *Virtus est recta æstimatio mentis qua rectè vivimus & nullus ea male utitur:* & quæ à solo Deo est: igitur.

Responsio. Respondetur, quòd loquitur de infusis, & non de acquisitis, de quibus intelligitur conclusio.

Secunda. Secunda conclusio: virtus moralis ineſt nobis à natura, prout naturale distinguitur contra violentum; probatur, quia virtus ineſt nobis à principio intrinseco passo conferente vim: ergo. consequentia patet, quia dicitur Tertio Ethicorum: quòd *Violentum fit à principio extrinseco.* Et antecedens probatur, quia fit à voluntate, & est perfectio intellectus & voluntatis.

Sed

Sed contra hoc arguitur: virtus in nobis generatur contra noſtram naturalem inclinationem: igitur. patet conſequentia, & antecedens probatur per Philoſophum in 3. Ethicorum dicentem: quòd *ſi volumus invenire medium virtuoſum, debemus ire ab extremo verſus medium, ſicut ſi volumus lignum curvum rectificare, debemus flectere lignum ad partem oppoſitam, & ſic eſt violentia.* *Objectio.*

Ad hoc reſpondetur, quod appetitus ſenſitivus non acquirit virtutes; ſed voluntas, & ideo argumentum nihil concludit. *Solutio.*

Tertia concluſio: virtus ineſt nobis à natura, prout naturale diſtinguitur contra caſuale. Probatur, quia virtus eſt effectus à nobis intentus, & convenit ab actibus intentis à nobis; igitur. Et antecedens notum eſt ex generatione virtutis, patet conſequentia, quia effectus caſualis non eſt intentus. *Tertia.*

Sed contra arguitur: virtus ineſt nobis extra ſæpe & frequenter: igitur. patet conſequentia, & antecedens probatur, quia pauci ſunt virtuoſi, ut dicit Philoſophus. *Objectio.*

Reſpondetur ad iſtud negando conſequentiam; ſed debet addi; quòd ſi effectus non intentus à particulari agente. *Solutio.*

Quarta concluſio: virtus ineſt nobis à natura, prout naturale diſtinguitur ab artificiali. Probatur, quia virtus non fit ab arte; igitur. Patet conſequentia, & antecedens notum eſt, quia ſi eſſet ab arte eſſet ſemper aut fine, ut in pluribus. *Quarta.*

Sed contra hoc arguitur; quia 2. Ethicorum dicitur; quod ſcientiam de virtutibus ſcrutamur, ut boni efficiamur, & ſic ſequitur quòd per artem fit virtus. Item dicitur 2. Ethicorum; quòd *fœlicitas acquiritur per virtutem, & artem, & ſtudium*: ergo & virtus. *Objectio.*

Reſpondetur; quod ratio concludit quòd virtus ab arte eſt provocativè. *Solutio.*

Quinta propoſitio: virtus ineſt nobis à natura, prout naturale diſtinguitur contra diſconveniens; probatur, quia virtus eſt perfectio maximè conveniens virtuoſo: ergo. patet conſequentia, & antecedens notum eſt de ſe. *Quinta.*

Sed contra arguitur; quia ſi ſic eſſet; ſequeretur quòd quilibet homo virtutem moralem appeteret, conſequens eſt falſum, & probatur conſequentia, quia quilibet appetit ſuam perfectionem. *Objectio.*

Ad hoc reſpondetur diſtinguendo de appetitu: quia quidam eſt naturalis, & de illo conceditur antecedens, alius eſt animalis, & de illo non oportet. *Solutio.*

Sexta concluſio & reſponſiva: virtus non ineſt nobis à natura, prout naturale diſtinguitur contra voluntarium: probatur; quia ſi ſic, ſequeretur quod in voluntate noſtra non eſſet acquirere virtutes vel non virtutes; conſequens eſt falſum; igitur. patet conſequentia, quia in illis quæ inſunt nobis à natura non poſſumus aliter aſſuefieri. *Sexta reſponſiva.*

Sed tunc inſtatur ſic: non omnis virtus ineſt nobis à voluntate: ergò: conſequentia patet, & antecedens probatur; quia ſi ſic; ſequeretur quod dormiens qui non habet volitionem non eſſet virtuoſus. *Objectio.*

Ad hoc reſpondetur negando antecedens, & ad probationem negetur conſequentia; quia virtus non eſt actus; ſed habitus qui remanet in dormiente. *Reſponſio.*

Ad rationes dubitationis dicitur. Ad primam: quod ſumendo naturale, prout diſtinguitur contra diſconveniens vel violentum conceditur quod ineſt nobis à natura, aliter non. Ad ſecundam conceditur conſequentia, & conſequens; prout capitur naturale quinque modis primis; ſed non capiendo ſexto modo. Ad ter- *Ad rationes dubii.*

tiam dicitur, quòd licet natura non det nobis media; tamen dat nobis potentias quibus mediantibus possumus acquirere media.

Ad quartam dicitur, quod hoc non esset melius, quia tunc propter virtutes non laudaremur.

Ad quintam dicitur sicut ad tertiam.

Ad sextam dicitur, quòd Philosophus voluit dicere quòd virtus inest nobis à natura inclinativè: ideò, &c.

Secundum articulum.

Quantum ad secundum articulum est respondendum ad quæsitum. Et est primò videndum; quid sit assuefactio. Unde assuefactio potest sic describi: *Est ex frequentibus ex multiplicibus actibus consimilibus generatio habitus inclinantis ad similes actus producendos & eliciendos.* Alii sic definiunt: *assuefactio est ex frequentatis multiplicibus actibus generatio habitus inclinantis ad consimiles actus seu operationes.*

Primum notabile.

Descriptio assuefactionis.

Secundum.

Quid sit naturalis inclinatio alicujus rei.

Secundò notandum est, quod naturalis inclinatio alicujus non est aliud, nisi inclinatio illius rei seu tendentia in ejus bonum consequendum, sic quod talis tendentia non fit à casu, nec à fortuna, nec à violentia, nec à speciali influxu Dei, nec ab arte, nec ab electione, immo omnibus istis circumscriptis adhuc fieret in aliud & illam tendentiam haberet; sicut de gravi simpliciter existente sursum, quod movetur deorsum, si non sit impedimentum.

Tertium.

Tertio notandum est, quod cum quæritur: utrum homo possit assuefieri &c. quæstio potest intelligi sic eam ampliando: posito quod aliqua res sic se habeat, quòd multi actus ejus sunt facti propter ejus naturalem inclinationem: utrum posti frequentationem talium actuum illa res debeat moveri secundum naturalem inclinationem, vel secundum assuefactivam potentiam, vel operationes assuefactas. Verbi gratiâ: ut si lapis moveatur multotiens sursum utrum assuescet.

Quartum.

Duplex est appetitus animalis.

Quarto notandum est quod duplex est appetitus: scil. animalis & naturalis. Appetitus animalis est duplex: scil. sensibilis & intellectualis. Naturalis appetitus fit sine notitia prævia ipsius appetentis particulariter. Sed sensibilis est quando judicium fit secundum sensum: & intellectualis fit cum cognitione prævia & judicio intellectus.

Prima conclusio.

Prima conclusio: naturalis appetitus non potest assuefieri ad oppositum sui vel suæ inclinationis naturalis. Probatur conclusio per dictum Philosophi in 2. Ethic., & per illud exemplum quod ponit de lapide. qui mille fies sursum projectus non assuescet. Secundo probatur; omne illud quod sic se habet; quod remoto impedimento ipsum removeretur secundum naturalem inclinationem: tale autem non est assuefactibile, sed appetitus naturalis est hujusmodi; igitur. major patet ex secundo notabili. Et minor est nota de se.

Tertio sic probatur: si siceffet, sequeretur quòd hoc esset propter acquisitionem novæ rei vel sine acquisitione novæ rei. Non secundum: quia inclinatio remanet, vel non. Si sic; etiam potentia irrationalis inclinaretur ad oppositum illius ad quod naturaliter inclinatur. Si non; non acquiritur nova res. Nec potest dici primum, ut notum est.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio: appetitus sensitivus ut sic non potest ad oppositum suæ inclinationis assuefieri, probatur; nam appetitus sensitivus sic se habet quod remotis illis sex; scil. arte, violentia, &c. semper ferretur in suum objectum secundum

cundum ejus naturalem inclinationem: ergo patet consequentia, & antecedens notum est. Sed contra primam conclusionem arguitur sic: nam videmus quod quandoque crescit & appetit crescere in rectum, quandoque per inclinationem vel assuefactionem inclinatur ad oppositum illius: ergo consequentia est nota. Et antecedens patet per experientiam. Respondetur negando quod planta assuescit, sed hoc est, quia ibi est violentia. Sed contra secundam conclusionem arguitur sic: quia videmus quod canis secundum appetitum sensitivum inclinatur venire ad certum locum; & tamen si verberaretur, tunc assuescit ad non ibi veniendum: igitur. Respondetur quòd canis ad nullum certum locum inclinatur venire, sed indifferenter ad omnem locum inclinatur, ubi potest habere nutrimentum.

Objectio contra primam conclusionem. *Responsio.* *Objectio contra secundam.* *Responsio.*

Tertia conclusio: appetitus intellectivus, qui est voluntas, potest hominem assuefacere ad oppositum appetitus sensitivi, patet conclusio per multas rationes ante oppositum factas.

Tertia.

Quarta conclusio: voluntas potest seipsam assuefacere ad oppositum suæ naturalis inclinationis: probatur, quia quandoque aliqui sunt malè inclinati ad faciendum sic vel sic: ut patet per judicia Astronomiæ: tamen per suam libertatem possunt ad oppositum assuefieri. Secundo patet de primo Angelo qui in gratia creabatur, & tamen ad oppositum inclinabatur dum superbivit: scil. Lucifer. patet tertio: quia aliàs voluntas non esset libera, & per consequens non peccaret homo, eo quod necessitaretur ad peccandum. Sed dubitatur quæ potentia est assuefactibilis, & quæ non. Pro quo notandum est, quòd potentia activa potest dupliciter considerari vel comparari ad illum actum cujus est principium: uno modo quia est ad illum actum secundum se determinata, scilicet, quia non requirit influxum aliquem vel qualitatem aliam ab isto: & isto modo gravitas est causa motûs gravis deorsum.

Quarta. *Dubium.* *Notabile.* *Primum.*

Secunda potentia est quæ, quantum est de se, est indifferens ad diversos actus, ita quod nunquam determinatur ad unum actum vel ad alium, nisi recipiat aliquem fluxum ad talem vel talem actum: ut damas nunquam traheret ad se ferrum nisi reciperet aliquam alterationem vel qualitatem à ferro.

Exemplum de potentia activa quæ determinatur per habitum bonum vel malum, ut voluntas.

Secundò notandum est, quòd potentia quæ est indifferens ad diversos actus adhuc est duplex: quia quædam est quæ potest esse determinata per unam solam qualitatem. Alia est, quæ per plures qualitates seu actus consimiles ejusdem speciei ex quibus habitus unus generatur inclinans ad producendum eundem actum vel similem operandum. Exemplum de prima; ut de adamante respectu ferri. Exemplum de secunda, ut de temperantia respectu appetitus temperati.

Secundum.

Prima conclusio: potentia secundum se determinata non est assuefactile ad oppositum suæ inclinationis, probatur; quia si sic, tunc ipsa non esset secundum se determinata ad talem vel talem actum; quod implicat.

Prima conclusio.

Secunda conclusio: potentia indifferens potens determinari per unum solum actum non est assuefactibilis ad oppositum. Probatur, quia assuefactio est ex multiplicibus & pluribus actibus.

Secunda.

Tertia conclusio: potentia indifferens quæ potest determinari per plures actus ejusdem speciei est proprie assuefactibilis. Probatur conclusio ex quid no-

Tertia.

nominis assuefactionibus. Sed verum est quòd aliqui respondent ad quæstionem succinctè & breviter.

Notabile juxta aliquorum opinionem.

Et notat ista opinio 3 quòd illud dicitur naturale alicui potentiæ ad quod naturaliter illa potentia secundum se limitata & determinata est, ita quòd non indiget aliqua ut inclinetur; etiam illud est naturale seu accidentale ad quod potentia determinatur per aliud extrinsecum ab alio receptum. Et secundum hoc dicit ista opinio 2 quòd nullum natura existentium aliter assuevit. id est, quod nulla potentia secundum se determinata ad aliquid est assuefactibilis. Secundò dicit, quòd potentia quæ est non determinata per diversos actus est assuefactibilis ad oppositum. Ad rationes dicitur quòd sunt pro dictis.

QUÆSTIO XIII.

De casibus obediendi superioribus.

Quæritur decimòtertiò, Utrum subditus cognoscens quòd Princeps velit eum punire motus ex rancore debeat ei obedire? Et quia quæstio supponit unum quòd subditus debet Principi obedire, & aliud quærit:

Arguitur.

Ideo arguitur primo contra suppositum, quia beneficiatus non debet refamulari suo benefactori, ergo nec subditus tenetur obedire suo superiori: patet consequentia, quia beneficiatus est subditus benefaciendi Principi. Tunc, quia est ei obligatus, sicut beneficiatus suo benefactori. Et antecedens probatur, quia stat quòd beneficiatus benefaciat alteri invitè. Secundò idem antecedens apparet, quia stat quòd in casu beneficiatus non potest cum honore benefactori regratiari. Tertiò, quia potest stare quod benefactor præbens beneficium sit vitiosus, modo vitioso non debet aliquis refamulari.

Secundò sic principaliter arguitur: obedire homini non est laudabile. igitur. consequentia tenet, quia nullus tenetur nisi ad hoc quod est laudabile, vel laude dignum. Antecedens probatur, quia si sic, vel tenetur obedire, vel non. Si tenetur non debet laudari propter hoc; quòd facit illud ad quod tenetur. Si dicatur quòd non tenetur, tunc si ei obediat, peccat.

Tertiò sic: nam obedire homini est contra divinam institutionem. igitur, consequentia est nota, & antecedens probatur. nam dicitur Ecclesiastici. 3. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui.* & sic ex divina institutione quilibet debet sibiipsi consulere & dominari.

Quartò sic: quia si sic, sequeretur quòd voluntas unius hominis esset regula respectu actuum alterius hominis: consequens est falsum, quia solum divina voluntas debet esse regula omnium naturalium operationum, quia illa nunquam fallit, neque fallitur. patet consequentia, quia obediens conformat voluntatem suam voluntati imperantis. Deindè arguitur contra quæsitum, quia nullus tenetur obedire suo Principi in illo in quo scit suum Principem errare, & incassum præcipere: sed sic est in casu dicto, igitur hoc est licitum. igitur. patet consequentia, quia tunc non ageret ut Princeps.

Quintò sic: subditus non debet facere illud per quod ipse exponeret se discrimini

crimini vitæ æternæ: sed hoc esset sic agendo. igitur. major patet & minor apparet in casu quo punitio esset capitalis, scilicet per decapitationem capitis.

Oppositum arguitur: subditus tenetur obedire Principi in omnibus licitis & honestis. sed hoc est in dicto casu. ergo: major patet de se, & ob hoc dicitur in Canonica Petri: *obedite principibus vestris, non solum bonis & modestis*, sed etiam dyscolis propter Deum: minor patet in casu quo inobedientia subditi detegeret malitiam Principis, & generaretur scandalum in tota communitate. Videtur etiam quod in isto casu sit Principi obediendum: & hoc est de intentione Philosophi in isto Septimo, ubi videtur velle quòd in omnibus subditus tenetur obedire Principi, sive domino suo. *In Oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Quantum ad primum articulum, est primo notandum, quòd in ista materia possumus loqui de subdito dupliciter. uno modo de subjecto simpliciter, alio modo de subjecto secundum quid: scilicet quoad aliquid certum, sicut contingit quòd aliquis ex certo pacto est subditus in regimine Oeconomico. *Primus articulus.* *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quòd etiam de Principe possumus loqui dupliciter. uno modo de Principe supremo. alio modo de Principe delegato, vel sub constituto. Primus non arctatur regulis, Secundus vero bene arctatur. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd etiam de punitione possumus loqui dupliciter. uno modo in bonis corporis, vel fortunæ. alio modo de punitione capitali quæ includit mortem. *Tertium.*

Quartò notandum est, quòd subditus in ordine ad talem punitionem potest dupliciter se habere uno modo quòd in sua conscientia sciat se esse dignum tali punitione, & secundum rationem moveatur ad recipiendum talem punitionem: alio modo quòd scit se non esse dignum tali punitione. *Quartum notabile.*

Quintò notandum est, quòd Princeps in ordine ad subditum suum potest dupliciter se habere. uno modo in procedendo secundum certas leges secundum quas talis est subditus ei sei præcipiendo. alio modo sibi præcipiendo contra leges & jura & regulas, secundum quas talis est ei subditus, & hoc dupliciter, quia vel præceptum est formaliter contra leges, vel non. *Quintum.* *Dupliciter potest se habere Princeps ad subditum.*

Sextò notandum est, quòd de jure naturali, unus homo est subditus alteri, & non solum de jure positivo. declaratur notabile, quia secundum naturalem complexionem unus homo principatur alteri. ergo: consequentia est nota, & antecedens probatur: nam sicut dicitur primo hujus in sententia Naturæ posuit differentiam inter servum & dominum. Nam dicitur servus naturaliter qui non habet potentiam sufficientem ad regimen sui ipsius, sed indiget regimine alicrum. Unde dicitur servus à natura, qui nescit mente providere, ideo dicebatur quòd cõplexionem corporis sequitur complexiomentis, & dominus est per oppositum qui potest mente providere, ideo dicebatur quòd complexio corporis sequitur complexionem mentis. Item patet, quia sicut videmus in naturalibus, quòd superiora dirigunt inferiora; Ita videtur esse in natura quoad hominem. Item patet auctoritate multorum Philosophorum. scilicet Senecæ & Tullii dicentium quòd aliqui sunt servi à natura. *Sextum.* *Secundum articulum.*

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio: si subditus cognoscat suum superiorem ex odio & rancore motum ad puniendum eum, talis non debet ei obe- *Prima conclusio.*

ei obedire. Probatur, nam ſubditus ſuo ſuperiori obedire non tenetur in eo quod ſuperior injuſtè & indebitè facit: ſed ſubditus in caſu eſſet hujuſmodi igitur: major patet, quia alias ſubditus eſſet particeps illius peccati, & minor nota eſt.

Primum dubium. Sed contra iſtam concluſionem ſit primum dubium: ponamus quòd ſuperior ex ſolo rancore velit punire ſubditum, & ſubditus ſciat quòd eſt dignus illa pœna, quid faciat tunc ſubditus?

Reſponſio. Ad hoc reſpondetur probabiliter quòd in illo caſu adhuc ſubditus non tenetur obedire ſuo ſuperiori. Nam licet illa punitio eſſet juſta, tamen injuſtè & injuſto modo fieret; modò non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona, nec è contrà.

Secundum. Secundum dubium, ſi in caſu ponatur quòd ſuperior non præciperet ſubdito, niſi illa in quibus eſſet ille ſubditus, utrum ille debet ei obedire? dicitur probabiliter, quòd non, quia licet ſubditus ſit ei ſubditus quoad talia, tamen talis ſuperior ei modo debito & honeſto non præcipit.

Secunda. Secunda concluſio: ſi ſubditus cognoſcat ſuum ſuperiorem ex alio eſſe motum, quam ex rancore, vel odio, ad ejus punitionem, quia ſcit ſubditus ſe eſſe dignum, ipſe debet Principis præcepto juxta debitum juris obedire. Probatur, quia niſi ſic faceret, ipſe faceret contra illud ad quod tenetur.

Tertia. Tertia concluſio: ſubditus in nullo caſu debet obedire ſuperiori in illis quæ non ſunt conſona rectæ rationi. Probatur, quia in malis & vitioſis nullus eſt alteri ſubditus, quia virtus conſonat rationi. ergo. &c.

Secundum punctum. Quantum ad ſecundum punctum circa iſtam materiam ſunt quinque breves dubitationes.

In hac materia quicunque ſunt dubia. Prima eſt, quid eſt obedientia ut ibi capitur?

Reſponſio. Reſpondetur, quòd ſecundum Gregorium Duodecimo Moralium obedientia eſt virtus quæ non ex ſervili motu, ſed ex caritatis affectu ſervanda eſt; non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ obedit, aliter non eſſet obediens. Ex quo patet, quòd ſi quis adimpleat præceptum timore pœnæ, vel ex motu, talis non obedit.

Quid obedientia.

Secundum. Secundum dubium: præcipiat pater Johanni, quòd vadat ad coquinam coctum carnes, & Princeps præcipiat quòd vadat quæſitum aquam pro manibus abluendis; quæritur cui debet obedire?

Reſponſio. Reſpondetur quòd patri propter duas cauſas. Prima eſt, quia pater naturali jure quoad res domus principatur filio. Secunda cauſa eſt, filius Principi ſubjicitur jure accidentali, ſeu ſuperveniente. modo jus naturale plus obligat, apparet etiam ex alio, quia pater Principatu Oeconomicò. Princeps autem nullo modo, ſaltem quoad res particulares pertinentes ad domum.

Tertium. Tertium dubium: præcipiat pater filio quòd vadat ad vineam, & Princeps quòd vadat ad defenſionem Reipublicæ. quæritur cui iſte debet obedire, poſito tamen quòd filius talis ſcit quod ſufficiat ad defenſionem Reipublicæ?

Reſponſio. Reſpondetur quòd in illo caſu debet principi obedire, quia bonum commune eſt præferendum bono privato cæteris paribus. modò defenſio Reipublicæ eſt multò major quàm agricultura patris.

Quartum. Quartum dubium. quomodo ſalvabitur quòd obedire ſit gratuitum & laudabile & meritorium cui homo obediendo facit quod tenetur.

Reſponſio Sancti Thomæ. Ad hoc reſpondet Beatus Thomas quòd obedire eſſe meritorium & gratuitum poteſt intelligi dupliciter. uno modo quòd ſit gratuitum ex parte operis-

alio

alio modo quòd sit gratuitum ex parte voluntatis operantis. Tunc dicit quòd obedire non est gratuitum ex parte operis facti, quia in hoc facit homo illud ad quod tenetur. Sed est gratuitum ex parte voluntatis, quia voluntas liberè vult.

Aliter potest dici & brevius, quòd obedire est gratuitum ex parte actus interioris, seu elicitι: sed non ex parte operis exterioris, seu actus imperati; quia actus imperati non sunt liberi, nisi in relatione ad actus elicitos, seu interiores. *Responsio prima.*

Quintum dubium. Utrùm homo in omnibus teneatur Deo obedire. *Quintum.*

Arguitur quod non, quia habetur Matthæi 5. quòd Deus præcipit duobus gœcis illuminatis, quod miraculum non revelarent, & tamen revelaverunt, nec in hoc redarguebantur. igitur. *Arguitur.*

Secundò sic: homo non tenetur obedire in illis quæ sunt contra veritatem: sed Deus præcipit Abrahæ, quod filium suum immolaret innocentem, modò hoc est contra veritatem, igitur.

Tertiò sic: quia præcipit Deus filiis Israël, quod bona Ægyptiorum furarentur.

Quartò sic: quia præcepit Oseæ quod duceret mulierem adulteram: modò hoc est contra castitatem.

Quintò sic: Homo non tenetur in omnibus suam voluntatem voluntati divinæ conformare: igitur. Consequentia est nota. Et antecedens patet ex dictis multis. Nam Deus vult gignere filium: modo homo non posset hoc: igitur.

Oppositum arguitur per illud quod dicit scriptura Exod. 34. *Omnia quæ locutus est Dominus, oportet nos facere, & si faciamus, erimus ei obedientes.* *In oppositum.*

Pro quo notandum est, quod istæ orationes multum differunt, homo tenetur velle quicquid Deus vult, & qualitercunque ipse Deus vult: & ita, tenetur homo velle quicquid Deus vult ipsum velle, & qualitercunque vult ipsum velle. Patet, nam prima propositio est manifestè falsa. Secunda propositio est vera. Patet, quia voluntas humana debet regulari per voluntatem divinam, tanquam per regulam primam. *Primum notabile. Vide differentiam propositionum hic positarum.*

Secundò notandum est, quod sicut Deus nihil facit contra naturam: licet quædam faciat contra communem modum naturæ: ita nec Deus facit contra veritatem: licet faciat contra communem modum veritatis. *Secundum.*

Istis præmissis ponitur conclusio, quod homo tenetur Deo in omnibus obedire: ita scilicet, quod tenetur velle quicquid Deus vult ipsum velle, & qualitercunque vult ipsum velle. Patet, quia aliter voluntas ejus non regularetur per divinam voluntatem. *Conclusio responsiva.*

Ad rationes dubii. Ad primam dicitur, quod Deus non præcipit eis, sic quod intenderet eos obligare virtute præcepti, quòd non revelarent: sed hoc fiebat propter mysterium certum, & videtur innuere, quod homo non debet detegere ore tenus bonitatem mentalem: tamen propter certa judicia debet propinquis revelare, ut boni fiant. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam, negatur minor, licet quandoque præcepta Dei fiant contra communem modum consuetum veritati. Et ideo dicitur ad tertiam, quod bona Ægyptiorum erant Deo.

Ad quartam dicitur, quod homo tenetur conformare suam voluntatem voluntati

luntati divinæ juxta ſecundum modum propoſitionis.

Ad rationes ante &c.

QUÆSTIO XIV.

De Præcepto Matrimoniali.

QUæritur decimo quartò. Utrum matrimonium cadat ſub præcepto?

Arguitur. Arguitur quòd ſic, quia tempore legis naturæ fuit de præcepto, & nunc non eſt renovatum per Chriſtum. igitur. Major eſt nota, & minor probatur, quia dicit Chriſtus; & etiam in veteri Teſtamento: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Secundò ſic: matrimonium eſt de jure naturali. igitur, pro omni tempore omnes ligat; & per conſequens cadit ſub præcepto. Antecedens patet per Philoſophum dicentem, quòd *homo eſt animal civile naturaliter, conjugale, regale, & domeſticum*: ut patet Septimo hujus viceſſimo primo capit. ubi iſta materia tractatur.

Tertiò ſic: præceptum homini datum à principio de conſervatione individui per actum potentiæ nutritivæ adhuc manet. ergo. præceptum datum à principio de conſervatione totius ſpeciei manet. igitur. Patet conſequentia, quia bonum quanto communius, tanto melius & divinius. Et antecedens patet, quia homo quamdiu nutritur, ut patet per Philoſophum Secundo de generatione.

Quartò ſic: ratio propter quam matrimonium fuit inſtitutum adhuc manet, vel durat, vel ſaltem poteſt permanere: igitur. Patet conſequentia, quia poſita cauſa ponitur effectus. Et antecedens probatur, quia primitus matrimonium fuit inſtitutum ne ſpecies humana deficeret propter individuorum paucitatem: modo ſtat quod iſta cauſa manet, ſi quilibet negaret matrimonium.

In oppoſitum. Oppoſitum arguitur; quia ſi ſic, ſequeretur quod homo peccaret matrimonium non contrahendo. Conſequens eſt falſum de multis, & patet conſequentia, quia nunquam homo meretur, ſed demeretur propter præcepti trangreſſionem. Confirmatur. Nam ſecundum intentionem Philoſophi in iſto Septimo, cap. decimo tertio homines licitè varios ſtatus eligunt ſecundum proprias inclinationes. Unde aliqui eligunt vitam ſpeculativam, alii autem contemplativam, & alii practicam.

Primum articulum. In quæſtione erunt duo articuli. In primo videbitur de facto in illo argumento: ſcil. Utrum matrimonium ſit de jure naturali. In ſecundo reſpondebitur ad quæſitum.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum, eſt primo notandum, quod Magiſter Sententiarum in Quarto, Diſtinctione Secunda, ſic definit matrimonium, quòd *eſt viri & mulieris conjunctio maritalis inter perſonas legitimas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Et in hoc tangitur primò ſubjectum. ſecundò tangitur diſpoſitio ſubjecti. tertiò effectus matrimonii: ſcil. per tres particulas.

Quid Matrimonium.

Secundum.

Quare matrimonium potius à matre quam à patre dicatur. Secundò eſt notandum, quod matrimonium potius denominatur à matre, quam à patre; quia matrimonium dicitur, quaſi matris numen, quod officium habens

habens circa prolem, ad quam matrimonium principaliter ordinatur, magis quam pater: licet tamen pater sit dignior.

Tertiò est notandum, quod duplex est finis matrimonii. quidam est principalis. alius est secundarius. finis principalis, seu principaliter intentus est bonum prolis: scil. educatio, nutritio, & promotio prolis. alius est secundarius, & est mutuum obsequium quod conjuges sibi invicem impendunt, & quod unus ordinatur ad unum officium, & alius ad aliud; & quod opera viri & mulieris sunt distincta; & tamen ordinantur ad unum finem: scilicet, Oeconomicæ Politiæ. *Tertium.* *Duplex est finis matrimonii.*

Notandum quartò, quod aliquid est à natura dupliciter, ut dictum est: scil. completivè, ut ignis genitus: & initiativè, sicut virtutes. *Quartum.* *Dupliciter alicui.*

Notandum quintò, quòd natura inclinans in finem, etiam inclinat in medio ad illum finem, per quæ ille finis convenientius, & melius est attingendus, seu attingibile: Patet, quia *dans formam, dat consequentia ad formam.* *Quintum.* *quid dicitur à natura.*

Notandum est sextò, quod convenientius proles generata ducitur ad finem debitum: scil. si sit certitudo de illis parentibus, quam quòd non sit certitudo, ut dicit alibi: & hoc dicit Philosophus in Tertio hujus, ubi per hoc probat contra opinionem aliquorum, quod mulieres non debent communes esse. *Sextum.*

Prima conclusio: Sumendo naturale pro illo, quod inest à natura inclinativè solùm matrimonium est de jure naturali. Probatur, quia ad hoc natura inclinat, ut fiat conjunctio maritalis inter personas legitimas: scil. viri & mulieris, quæ conjunctio debet esse indissolubilis: ergo. Patet consequentia, ex quid nominis. Et antecedens probatur, quia natura inclinat ad hoc, ut homo generet sibi simile propter hoc quod species humana non potest servari in individuo. sed hoc fit meliori & convenientiori modo per matrimonium: secundò patet, quia natura inclinat omnes homines ad hoc, ut mutuum obsequium sibi invicem impendant. ergo. Patet consequentia, quia est finis ille secundarius matrimonii. Antecedens probatur, quia ex quo homo est animal communicativum sociale, indiget obsequio: ideo sequitur, quod natura inclinat ad talem combinationem, quæ est matrimonium propter duos fines prædictos. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio est istat sumendo naturale secundo modo matrimonium non est naturale. Probatur, quia licet natura inclinet ad talem conjunctionem maritalem, tamen est in libera potestate hominis, quod abstineat se matrimonio tali. *Secunda conclusio.*

Quantum ad secundum articulum, Est sciendum, quia natura dupliciter inclinat ad aliquid. Uno modo inclinat ad illud quod est necessarium ad conservationem alicujus multitudinis, ut esset agricultura, & matrimonium. Alio modo inclinat ad aliquid quod est necessarium ad conservationem unius hominis. *Secundum articulum.* *Dupliciter natura inclinat ad aliquid.*

Istis præmissis ponitur prima conclusio. Illud ad quod natura inclinat primo modo cadit sub præcepto. Patet, quia unumquodque individuum in specie humana obligatur ad conservationem sui ipsius: ergo etiam ad illa quæ requiruntur ad ejus conservationem. Consequentia patet ex dictis. Antecedens patet, quia unumquodque ex natura inclinatur ad conservationem sui esse. Patet Primo Ethicorum per commentatorem, & per præceptum divinum ad hoc obligatur. *Prima conclusio.*

Secunda patet, illud ad quod natura inclinat secundo modo, scil. quod est necessarium

necessarium ad conservationem alicujus multitudinis non cadit sub præcepto, ita quod unusquisq; ex præcepto obligatur. Probatur, quia si sic esset quilibet homo obligaretur ad agriculturã. Consequens est falsum. Et patet consequentia de se.

Ex isto sequitur corollariè, quod matrimonium non cadit sub præcepto: quod quilibet ad matrimonium obligetur: nisi in casu quod esset nimia paucitas individuorum. Patet ex dictis.

Quæstio. Sed aliquis quæreret postquam natura inclinat ad matrimonium tanquam ad illud quod est necessarium, scil. ad conservationem speciei humanæ, quare non est necessarium inter animalia bruta?

Responsio. Respondetur pro præsenti quod causa est, quia matrimonium non ordinatur solùm ad productionem prolis, sed ad educationem, nutritionem, & doctrinam: & quia homo est perfectior, & major quàm brutum. Ideo indiget pluribus, & indiget fœtus hominis custodiã, quæ magis fit per aliquos ligatos vinculo aliquo.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam conceditur major, & causa est: quia tunc fuit paucitas individuorum. Et ad probationem dicitur, quod in comparatione ad totam speciem humanam præceptum non fuit renovatum, sed tacitè est renovatum in operatione individua; & dicitur quod licet fuerit præceptum, non tamen omni.

Ad tertiam dicitur, quod illa ratio argueret bene, si præceptum esset cuilibet individuo speciei humanæ, quod non est verum.

Ad quartam dicitur, quod in illo casu ratio illa bene concludit: non dicitur quod illa ratio nunc non est: & si esset, caderet etiam sub præcepto.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO XV.

De Adulterio.

Arguitur. QUæritur decimo quintò. Utrum adulterium sit de se malum?

Arguitur quod non, quia fornicatio simplex non est de se mala, ergo: Patet consequentia; quia ita est bene concubitus illicitus in fornicatione simplici, sicut in adulterio. Et antecedens patet, quia fornicatio cadit sub præcepto divino. Nam Deus præcepit Ozeæ per illum modum: *Vade & assume tibi mulierem fornicantem.*

Secundò sic: habere copulam carnalem per mulierem alteri conjugatam non est de se malum: ergo. Consequentia patet ab eodem ad idem. Et antecedens patet, quia in aliquo casu vir ab ipsa copula excusatur: ergo non est de se malum. Patet hoc in casu in quo vir crederet habere mulierem propriam, & haberet mulierem alienam.

Tertiò sic: Adulterium in aliquo casu potest bene fieri: ergo. Consequentia est nota, & antecedens probatur in casu quo esset paucitas individuorum, & vir esset conjugatus cum aliqua muliere uxore quæ esset inepta ad portandum fœtum, seu generandum.

In oppositum. Oppositum est de intentione Philosophi, in isto Septimo, cap. decimo tertio, ubi

ubi ponit quod commisceri cum aliqua aliena est malum.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de simplici fornicatione, scil. utrum sit de se mala. In secundo videbitur de quæsito.

Primus articulus.

Quantum ad primum articulum, Notandum est primò, quod aliqua sunt animalia in quibus sola fœmella sufficit ad educationem prolis, ut patet de avibus. Alia sunt in quibus sola fœmella non sufficit ad prosequendum finem, in quem proles ordinatur, ut in hominibus in quibus reperitur doctrina patris, & informatio in moribus, & patris sollicitudo.

Primum notabile.

Multiplicia sunt animalia.

Secundò notandum est, quod omnis concubitus qui est contra bonum vel perfectionem prolis procreandæ est malus & illicitus. Probatur, quia concubitus licitus debet ordinari ad bonum prolis procreandæ.

Tertium.

Tertiò notandum est, quòd simplex fornicatio est soluti cum soluta simplex commixtio: ubi non est aliud impedimentum rationis, cognitionis, vel alterius, quia aliter esset incestus, vel alia species.

Quomodo simplex committitur fornicatio.

Prima conclusio.

Prima conclusio: Fornicatio est illicita, & mala. probatur: quia omnis fornicatio est illicita, concubitus inordinatus ad bonum prolis procreandæ: ergo. Patet consequentia. Et antecedens probatur, quia concubitus est, ut educetur prolis modo in humano genere mulier non sufficit ad educationem prolis. Nec valeret si diceretur: quod fornicator aliquid providebit proli suæ ita bene ac si esset copula matrimonialis, quod hoc est solum in paucioribus, modò illud quod cadit sub legis institutione judicatur, ut in pluribus secundum illud quod ut in pluribus evenit, modo hoc non provenit ut in pluribus.

Quæstio.

Quantum ad secundum articulum, est videndum de dubio.

Secundus articulus.

Secundum notabile.

Pro quo notandum est, quòd adulterium est, quando aliquis accedit ad thorum alienum: scilicet ad uxorem alterius, & matrimonialiter copulatam, vel quando vir est alteri matrimonialiter copulatus, vel quando ambo sunt aliis copulati matrimonialiter.

Quid est adulterium.

Secundum.

Secundo notandum est, quòd in matrimonio dupliciter peccat vir, primò in hoc quod accedit ad mulierem sibi in matrimonio non copulatam: secundò quia accedit ad mulierem alteri copulatam matrimonialiter, quia per hoc impedit prohificationem alienam, & facit contra bonum prolis alienæ.

Dupliciter peccat vir in matrimonio.

Tertium.

Tertiò notandum est, quòd mulier dupliciter peccat, primò quia accedit ad virum alienum; quia in hoc facit contra certitudinem prolis; secundo peccat in hoc quod ab alieno suscipit prolem, & pueros, quantum in ipsa est, si non sit defectus: & hoc facit contra bonum prolis propriæ, quia proles universaliter succedit in bonis paternis.

In matrimonio mulier peccat dupliciter.

Conclusio responsiva.

Conclusio responsiva. Omne adulterium est secundum se malum: primò probatur auctoritate Philosophi. Secundò probatur ratione: quia vir in adulterio duo mala perpetrat, & etiam mulier. Sed dubitatur primò, quis plus in adulterio peccat, vel vir vel mulier. Dicitur primò, quòd si vir non sit copula ligarus matrimoniali, cæteris paribus mulier plus peccat quam vir: conclusio patet: quia postquam vir non est ligarus non facit propriæ uxori injuriam, mulier autem facit proprio viro. Secundò dicitur, quod si vir sit ligatus copula matrimoniali, vir plus peccat, quia secundum debitum ordinem: quia vir debet esse prudentior seu discretior muliere: ergo peccatum est magis ei imputandum, &

Dubium primum.

Responsio.

hoc si cætera sunt paria, quia in casu staret, quòd vir minùs peccaret, si vir magis instigaretur quam mulier.

Secundum dubium. Et secundum dubium, utrum aliquid quod est secundum se malum possit bene fieri? Videtur quòd sic, quia homicidium sit legitimè: patet in judicio criminali. *Arguitur.* Similiter furtum posset bene fieri: patet in captione vasorum aurcorum filiorum Israel de Ægyptiis.

Solutio dubii secundi. Ad dubium respondetur; quòd illud quod est secundum se malum non potest bene fieri aliquo modo: sed solum actus qui est indifferens ad bene vel malè. Et tunc ad rationem dicitur: quòd homicidium non sit in judicio nisi quando aliquis est sine culpa: quod non est in recto judicio. De secundo dicitur: quòd ibi non est furtum: quia furtum denotat, quòd sit raptio rei alienæ invito domino: modò certum est quòd illa vasa aurea & argentea non erant Ægytiorum, sed Dei.

Ad rationem secundi dubii. Ad rationes. Ad primam negatur antecedens. Et si dicatur, quod simplex fornicatio in politia permittitur: conceditur, sed hoc est ad majus malum vitandum: modò minus malum quod fit in comparatione ad majus malum quod fieret, habet rationem boni quodammodo apparentem.

Ad rationes principales. Ad secundam negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quòd licet talis homo ad alienam accedat, hoc tamen non facit ex intentione: modo actus exteriores non sunt boni, vel mali, nisi ratione actuum interiorum, & elicitorum.

Ad tertiam negatur antecedens. Ad probationem de illo casu dicitur, quòd adhuc illud non est licitum: quia non debet fieri.

Et si dicatur quòd aliter periret totum genus humanum: & tunc petitur quid in illo casu fieret? Dicitur adhuc quòd non: nisi alia lex poneretur, vel Deus aliter disponeret.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO XVI.

De studio veritatis.

Arguitur. Quæritur decimo sexto. Utrum adhibere studium circa cognitionem veritatis sit vitiosum? Arguitur quòd non. illud non est vitiosum per quod retrahitur quis ab his quæ sunt sibi necessaria ad salutem animæ & corporis: sed hoc fit per studium circa cognitionem veritatis: igitur. major patet, & minor probatur, quia videmus quòd propter studium circa cognitionem veritatis fervens homo retrahit se à studio seu officio divino: sic quòd nec Deo servit, nec audit missam: immo nec servit corpori.

Secundò sic: alicujus veritatis cognitio est nociva habenti eam. ergo: consequentia nota est ex terminis. Antecedens probatur, quia frequenter visum est, quòd magni clerici qui habebant cognitionem rerum fiebant deteriores simplicibus; propter quod dicit Philosophus, *Sapissima est justitia forensi armata* id est, cognitiones veritatum.

Tertiò

Tertiò sic: cognitio veritatum non est libera, nec voluntaria: igitur. Consequentia patet ex eo, quod nihil est virtuosum, nisi sit voluntarium. Antecedens probatur, quia cognitio veritatis est actus, vel cognitio intellectus: modo talis est imperatus, & non voluntarius, sicut patet; quia aliquæ sunt veritates quibus immediatè intellectus assentit, si sibi præsententur.

In oppositum.

Oppositum arguitur: quia illud est virtuosum ad quod, vel per quod homines possunt assuefieri circa bonum faciendum, & malum vitandum: sed hoc est per studium circa cognitionem veritatis. ergò.

In quæstione erunt duo articuli. In primo respondebitur ad quæsitum. In secundo erunt dubitationes.

Primus articulus.

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quòd studium nihil aliud est quam fortis & vehemens applicatio mentis vel potentiæ cognitivæ ad aliquid: tunc enim homo dicitur propriè studere, quando suam potentiam cognitivam vel animam suam applicat ad aliquod. Ex quo sequitur corollariè, quòd materia circa quam est studiositas est cognitio veritatis: patet, quia nunquam fit applicatio mentis ad aliquid, vel potentiæ cognitivæ, nisi illa potentia cognoscat illud circa quod applicatur.

Primum notabile.

Quid est studium.

Secundum.

Secundò notandum est, quod licet cujuslibet veritatis cognitio sit de se bona & appetibilis: ipsa tamen potest reddi mala & vitiosa de per accidens. Patet primò notabile, quòd sit appetibilis: quia est perfectio intellectus, Sexto Physicorum; secunda pars patet, quòd quandoq; redditur mala propter circumstantias, & malam vitam hominis.

Tertium.

Tertiò notandum est, quòd circa cognitionem veritatis quatuor modis studium potest reddi vitiosum, uno modo in quantum homo per studium minus utile retrahitur ab illis quæ sunt sibi necessaria ad salutem animæ: ut si acquirat homo cognitiones in Logica, & dimittat servitium Dei. Secundo modo in quantum aliquis homo studet quod non decet, sicut aliqui studuerunt cognoscere veritates aliquarum malitiarum: sicut patet de sortilegis. Tertio modo in quantum aliquis homo studet acquirere veritates & cognitiones circa creaturas, non tamen illas ordinando in debitum finem: scil. in cognitionem creatoris. Unde cognitio acquisita circa creaturas ordinatur in cognitionem Dei & creatoris. quarto modo in quantum aliquis studet acquirere notitiam, & cognitionem quæ transcendat ingenii sui facultatem: unde si aliquis sciens quòd illud quod vult studere transcendat facultatem sui ingenii illud est malum si studeat. quinto modo, in quantum homo adhibet studium circa cognitiones veritatis propter debitum finem: & sic est virtuosum.

Quatuor modi quibus redditur studium vitiosum circa veritatē.

Prima conclusio.

Istis præmissis sit prima conclusio. Adhibere studium circa cognitionem veritatis propter debitum finem est virtuosum: probatur, quia per tale studium dirigitur homo in agendis, & in admittendo, & cum hoc tale studium est debitè circumstantionatum circumstantiis. igitur. patet consequentia, & major. quia ad hoc quòd virtus appetitiva dirigatur debitè in appetente requiritur aliquid per quod dirigatur in judicium rectæ rationis. Et hoc non fit sine habitibus intellectualibus: minor patet, quia hoc supponitur in cognitione, quòd sit ordinata in debitum finem.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio de per accidens adhibere studium circa cognitionem veritatis est malum & vitiosum: patet conclusio per tertium notabile: scil. si per tale

fio.

tale ſtudium minus utile diminuatur majus, quod eſſet ad ſalutem animæ.

Secundus articulus.

Quantum ad ſecundum articulum, Videndum eſt de habitudine iſtarum trium virtutum ad invicem, quæ ſunt temperantia, modeſtia, & ſtudioſitas: quæ

Differunt inter ſe temperantia, modeſtia, & ſtudioſitas.

ſic differunt, quia temperantia eſt virtus moderativa appetitus, ne ipſe ſuperfluè tendat in illa quæ ſunt difficilia in refrænando: ut ſunt delectationes guſtus, & tactus: ſed modeſtia eſt virtus moderativa appetitus ne tendat ſuperfluè in illa quæ mediocriter ſe habent: ita quod nec eſt difficillimum illa refrænare nec multum difficile: ut delectatio in viſu, & ornamentis veſtium. Sed propriè ſtudioſitas eſt virtus moderativa appetitus ne ſuperfluè tendat in illa quæ concupiſcuntur ab homine ſecundum animam, cujuſmodi ſunt habitus intellectuales: quia voluntas ſuperfluè poteſt tendere in cognitionem veritatum & habituum intellectualium.

Dubium.

Sed dubitatur utrum ſtudium circa cognitionem ſenſibilium ſit ſtudioſitas.

Primum notabile.

Pro quo ſciendum eſt, quod notitia ſenſitiva ad duo ordinatur: uno modo ad ſuſtentationem vitæ corporis: ſcil. quatenus animal ſecundum notitiam ſenſitivam acquirat illa quæ ſunt neceſſaria ad vitam, & fugiat illa quæ ſunt nociva.

Ad duo ordinatur notitia ſenſitiva.

ſecundo modo prout ordinatur ad notitiam intellectivam, & hoc eſt proprium hominibus.

Secundum.

Secundo notandum eſt, quòd notitia ſenſitiva dupliciter poteſt dici, vel eſſe vitioſa: uno modo quia non ad aliquid utile: vel per ipſam non vertitur homo ad meliorem conſiderationem. Secundo modo ſi ordinatur in aliquid nocivum:

Dupliciter notitia ſenſitiva dicitur vitioſa.

ſicut notitia ſenſitiva, quæ habetur in reſpiciendo meliorem.

Prima concluſio.

Prima concluſio: notitia ſenſitiva quæ ordinatur ad vitæ corporis neceſſitatem, ſeu ſuſtentationem, vel ad notitiam intellectivam eſt virtuoſa: maximè ſi talis circumſtantia ordinatur ad finem ad quem debet ordinari: ſcil: ad vitæ neceſſitatem ſeu notitiam intellectivam.

Secunda.

Secunda concluſio: notitia ſenſitiva ordinata in aliquid non utile, ſeu vitioſum eſt vitioſa. Patet concluſio ex dictis.

Ad rationes dubii.

Ad rationes. Ad primam dicitur quòd bene arguitur quod de per accidens tale ſtudium eſt bene vitioſum: ſicut viſum eſt in tertio notabili primi articuli.

Ad ſecundam negatur antecedens, immo dicitur quod nullius veritatis cognitio habenti eam de per ſe eſt nociva, niſi fortè de per accidens ad nullam vitam moraliter applicetur.

Ad tertiam negatur antecedens. Ad probationem conceditur. Et quando dicitur quòd actus imperatus non eſt voluntarius, negatur hoc: immo dicitur, quod ſecundariò & mediatè dicitur liber. Ad ſecundam probationem dicitur, quòd non eſt concedendum quòd omnis cognitio talis ſit libera, niſi ex conſequenti.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

Finis ſeptimi libri Politicorum Ariſt.
ſequitur octavus.

LIBER

LIBER OCTAVVS POLITICORVM.

QVÆSTIO I.

De Auditoribus Scientiæ Moralis.

CIrca initium Octavi libri Politicorum, Quæritur primò. Utrum juvenes sint utiles, & idonei auditores Scientiæ Moralis?

Arguitur primò quod sic. Juvenes sunt utiles & idonei auditores scientiæ speculativæ, igitur. Patet consequentia, quia scientia speculativa est gradus altior, quàm practica, Et antecedens patet, quia videmus quod juvenes sunt multùm convenientes auditores Scientiæ Metaphysicæ, & Naturalis. *Arguitur.*

Secundò sic: Juvenes nondum intellectum falsis erroribus habent imbutum, igitur. Patet consequentia de se, quia postquam juvenes non habent intellectum imbutum falsis opinionibus, melius possunt capere, quam alii: & antecedens patet Tertio de Anima, ubi dicitur, quòd *intellectus in principio sui est tanquam tabula, in qua nihil depictum est.*

Tertiò sic: Oportet legislatores maximè negotiari circa disciplinam juvenum, & hoc non esset, nisi juvenes essent convenientes auditores Scientiæ Moralis. igitur. Major patet per Philosophum Octavo hujus dicentem. Legislatorem maximè negotiandum circa juvenum disciplinam. Et minor patet, quia disciplina juvenum maximè est in moralibus.

Oppositum arguitur. Juvenes non sunt capaces finis scientiæ moralis: ergo. Patet consequentia, quia disciplina non est utilis alicui, nisi capaci illius Scientiæ. Et antecedens patet, quia juvenes sunt passionum sectatores propter vehementem potentiam sensitivam quæ multùm potest: modò finis Scientiæ Moralis est esse virtuosum, quia dicit Philosophus; *non scrutamur quid sit virtus, ut sciamus, sed ut boni fiamus*: Secundo Ethicorum. *In Oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus.

Primum notabile.

Quantum ad primum articulum, Primò notandum, quod scientiam moralem esse juvenibus utilem potest intelligi dupliciter: Uno modo quod sit utilis ad habendum notitiam evidentem de tractatus in ea. Alio modo quod sit utilis ad attingendum finem Scientiæ Moralis, cujus finis est esse virtuosum & bonum moraliter.

Dupliciter intelligitur quæstio.

Secundum notabile.

Secundò notandum est, quod in proposito juvenes intelligunt qui nondum habent usum rationis, nec habent experientiam de usibus humanis: sicut pueri in prima vel secunda ætate. Et sunt duplices: nam quidam sunt qui sunt dimissi propriis inclinationibus, ita quod à nullo reguntur. Alii sunt qui sunt in regimine aliorum: scil. prudentum & magistrorum. Et ideo dicit Philosophus, quod prudentis in rectore, seu principe est, licet non in subdito.

Quid dicantur juvenes.

Tertium notabile.

Tertiò notandum est, quod ad habendum notitiam evidentem de tractatis in moralibus necessaria est experientia in actibus humanis, & causa est, quia tota Scientia moralis est circa actus humanos: scil. quomodo illi in finem debitum, & proptium debent dirigi: & sic principia istius scientiæ sumunt originem ex prudentia, & ex humana experientia. Modò ignotis principiis, & conclusiones ignotæ erunt.

Secundus articulus.

Prima conclusio.

Quantum ad secundum articulum Sit prima conclusio: ad habendum notitiam evidentem de consideratis in Scientia Morali juvenes non sunt utiles, neque idonei auditores Scientiæ Moralis. Patet conclusio ex dictis, quia tales non habent experientiam de actibus humanis. Modò ad habendum perfectam notitiam de ista scientia requiritur experientia.

Secunda.

Secunda conclusio: quantum ad finem ad quem Scientia Moralis principaliter ordinatur ultimatè, juvenes dimissis suis propriis inclinationibus non sunt idonei auditores hujus Scientiæ Moralis. Probatur, quia tales de directo inclinantur ad prosequendum delectationes appetitus sensitivi, & sequuntur judicia sensus: & per consequens ad illa sunt proni, ex quarum oppositis virtutes & mores generantur.

Tertia.

Tertia conclusio: de intentione Philosophi, juvenes positi sub regimine determinato, scil. parentum, vel amicorum, vel magistrorum, sunt idonei auditores Scientiæ Moralis; ut disponantur ad virtutes, & præserventur à vitiis. Patet conclusio per Philosophum, & etiam patet ratione: quia quando pueri reguntur determinato regimine assuescunt ad virtutes, & declinant à vitiis. Et ideo dicit Philosophus, quod legislatori negotiandum est circa disciplinam scholarium.

Dubium.

Dubitatur, utrum cum juvenes sint utiles & idonei auditores Scientiæ Speculativæ: quare non Moralis?

Responsio.

Respondetur, quod duplex potest esse causa, eò quod principia Scientiæ Moralis dependent ex experientia nostra: modò pueri non habent experientias. Ignotis autem principiis ignorantur & conclusiones: sed principia Scientiæ Speculativæ non dependent ex experientiis nostris, Alia causa est, quia Scientia Speculativa non reperit aliqua contraria in anima juvenis, in qua debet acquiri: sed Scientia Moralis maximè ad effectum suum multa contraria habet in anima juvenum, quia totus conatus est ad nutrimentum, & ad delectationes. Et quia

Scientia

Scientia Moralis ponit aliqua contraria naturali inclinationi juvenum: ideo spernunt Scientiam Moralem audire. Ideo de illis dicit Philosophus Secundo Ethicorum, quod tales sunt similes infirmis, qui audiunt attentè ea quæ dicuntur, & præcipiunt eis medici, & nihil faciunt ex præceptis: sed magis contrarium.

Ad rationes. Ad primam conceditur antecedens: sed negatur consequentia. *Ad rationes.* & causa est nunc dicta in dubio.

Ad secundam quando dicitur juvenes non habent intellectum &c. Dicitur quod licet non habeant intellectum imbutum erroribus, vel falsis opinionibus, tamen non sunt idonei, quia plus requiritur: scilicet magna prudentia & experientia, quas non habent juvenes.

Ad tertiam dicitur, quod verum est quod legislatoris est negotiari circa juvenes, ut bene regantur, & habeant experientiam, & prudentiam.

QUÆSTIO II.

De Advocatis pecuniam accipientibus.

Quæritur secundò. Utrùm advocatus pro patrocinio vel consilio impenso potest pecuniam licitè recipere?

Arguitur primò quod non: quia pro nullo opere misericordiæ quod fit *Arguitur.* intuitu divinæ remunerationis est pecunia recipienda: sed præstare auxilium causæ, vel patrocinare est hujusmodi: igitur. Consequentia est nota. Et antecedens probatur, quia dicit Salvator; *cum facis convivium noli invitare amicos edentes, ne & ipsi retribuant tibi.* Minor patet de se.

Secundò sic: Nullum spirituale pro temporali faciendum, seu licitè commutandum est: sed præstare consilium causæ alicujus est spirituale: igitur. Consequentia patet. Et major de se, quia hoc nunquam est licitum, immo est simonia. Minor patet, quia advocatus præbet auxilium causæ per scientiam Juris Canonici, vel Civilis: modò scientia est quid spirituale.

Tertiò sic: Judex non potest justè à sententia justa pecuniam recipere ab illo, pro quo est Justa sententia: igitur nec advocatus. Patet consequentia, quia sicut Judex est persona concurrens ad sententiam faciendum; ita advocatus est necessarius. Et antecedens notum est, quia illi Judices, pro præmio debent recipere emolumenta de thesauro communi.

Quartò sic: Advocatus recipiens pecuniam pro patrimonio alicui causæ impenso facit scientiam qua utitur illiberalem, & servilem: ergo peccat. Consequentia est nota. Et antecedens probatur per Philosophum Tertio hujus dicentem: quòd *si quis quærat scientiam causa lucri, facit servilem.* ergo non est licitum.

Oppositum arguitur per communem consuetudinem observatam in politia *In oppositum.* bene recta, & ex causa ordinata. Nam ordinatum est ut pecuniam recipiant. Similiter potest dici de medico; quia intentio Philosophi est, quod si quis quærat scientiam propter bona utilia, facit eam mercenarium.

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo, utrum advocatus defendendo causam injustam peccat.

Primus articulus.

Primum notabile.

Quantum ad primum articulum Primò notandum; quod homo licitè potest recipere recompensationem temporalem pro illo quod alteri impendit, quod tamen non intendebatur. Patet, quia ex quo non intendebatur rationabile est quod iterum ibi refundat: quia dicitur Nono Ethicorum, quod refamulari oportet ei qui gratiam fecit, modò sic est: ergo.

Secundum.

Secundò notandum, quod illud dicitur alteri impendi propriè, purè, & misericorditer, quod alteri impenditur, quamvis licitum esset ab eo recipere recompensationem temporalem.

Tertium.

Quatuor sunt consideranda in recipiendo aliquid pro patrocinio.

Tertiò notandum est, quod pro auxilio, seu patrocinio alicujus causæ impenso recipiendo aliquid oportet ad quatuor considerare. Primò ad personam à qua recipitur remuneratio. Secundò ad auxilium præstitum: Utrum sit præstitum magnum & arduum auxilium, vel non. Tertiò ad circumstantias laboris. Quartò ad patriæ consuetudinem.

Conclusio responsiva.

Conclusio responsiva ad quæsitum: quod advocatus pro auxilio, vel patrocinio causæ impenso, licitè potest pecuniam recipere, dummodò talis consideret ad conditiones expressas in notabili posito. Conclusio patet per rationem factam post oppositum.

Secundus articulus.

Dubium.

Arguitur.

Quantum ad secundum articulum videndum est: Utrum advocatus peccet defendendo causam injustam?

Arguitur quod non, quia talis maximè laudatur, si obtineat in causa injusta: ergo. Patet consequentia, quia nullus peccat faciendo illud propter quod laudatur. Antecedens patet, quia sicut laudamus illum medicum qui restituit sanitatem infirmo, de cujus sanitate desperabatur, ita rationabiliter videtur laudandus, qui optimè ducit causam, quæ est in via perditionis.

In oppositum.

Oppositum est de intentione sapientis Juris Canonici & civilis.

Primum notabile.

Dupliciter potest se habere advocatus defendendo causam injustam.

Pro intellectu hujus & solutione, est primo notandum; quod talis advocatus potest dupliciter se habere. Uno modo quod suspicetur, vel credat esse illam causam injustam, vel scit eam esse injustam. Alio modo, quia ignorat illam causam esse injustam, licet totius viribus laboraverit ad sciendum de illa causa, utrum sit justa vel injusta.

Secundum.

Adhuc potest advocatus se habere, quia dupliciter in illa causa.

Secundò notandum est, quod adhuc ille advocatus potest quadrupliciter habere se. Primò timore, quia timore compellitur. Secundò propter concupiscentiam. Tertiò propter amorem illius, cujus vult causam sustinere, vel defendere. Quartò propter odium partis adversæ: quia vellet partem adversam gravari. Ex iis patet, quod omnes modi quibus homines alios injustificant reducuntur ad aliquem istorum modorum: quia injustificant moti amore, vel cupiditate, vel odio.

Prima conclusio.

Prima conclusio: Advocatus defendens causam injustam, quam scit esse injustam, peccat: si hoc faciat livore, aut timore motus non cadente in constantem virum, vel amore, vel cupiditate, vel odio.

Et dicitur notanter [timore non cadente in constantem virum,] quia fortè excusaretur, si esset timor cadens in constantem virum. Et dicebatur notanter [fortè] quia oppositum est probabile, quia nullum malum est faciendum, ut inde bona eveniant.

Secunda

Secunda concluſio: probabile eſt quòd advocatus ſuſtinens cauſam injuſtam de qua habet ſuſpicionem, vel opinionem: Utrum videlicet ſit juſta, vel injuſta, peccat; quia ex quo dubitat & habet formidinem an talis cauſa ſit juſta vel injuſta, non debet exponere animam ſuam periculo. ideo debet eam deponere, immo debet magis eligere viam ſecuriorem declinando à periculo animæ ſuæ. *Secunda.*

Tertia concluſio: Advocatus ſuſtinens cauſam injuſtam ignoranter, vel ignorans eam eſſe injuſtam ignorantia invincibili, non peccat. patet, quia illa ignorantia excuſat à peccato. Et tunc ad rationes. *Tertia.*

Ad primam quando dicitur talis laudatur, dicitur quòd talis eſt laudandus propter habitum intellectus, quia habet multas ſollicitudines & curas. ſed non eſt laudandus quoad habitum voluntatis, ſeu per habitum moralem per quem homo ſit bonus, vel malus, quia facit actum injuſtitiæ, qui corrumpit virtutes. *Ad rationes.*

Dicitur ſecundò, quod non eſt ſimile de medico, quia medicus nulli facit injuriam, immo facit gratiam magnam, ſed talis advocatus lædit partem adverſam, & animam magiſtri ſui, & ſuam animam.

Ad rationes principales quæſtionis. Ad primam conceditur major, in quantum eſt opus miſericordiæ. ſed dicitur, quòd non eſt verum quòd ſemper quilibet teneatur in omnibus operibus miſericordiæ ſubvenire. *Ad rationes quæſtionis.*

Ad ſecundam conceditur major, & dicitur quòd licet ſcientia non ſit bonum temporale, immo ſpirituale, tamen applicare ſcientiam in finem ejus non ſit ſine pœna, & labore; & ideo propter hoc potuit fieri recompenſatio.

Ad tertiam negetur conſequentia, & hoc maximè ſi attendat ad cauſſas expreſſas in notabili poſito. Et dicitur quòd non eſt ſimile, quia Judex eſt perſona communis, & habet officium commune. ſed ſic non eſt de advocato.

Ad quartam, quando dicitur advocatus facit ſcientiam illiberalem. &c. conceditur illa, ſi principali intentione talem ſcientiam propter illum acquirat. Sed dicitur ſecundò, quòd ſi talem ſcientiam principaliter acquirat quatenus intellectus ſuus magis veniat ad cognitionem; & quando dicitur vel magis principaliter propter vitam ſuam conſervandum, & pauperibus ſubveniendum, & ut magis Deum cognoſcat, quam ſeipſum; tunc non facit ipſam ſcientiam illiberalem, nec ſervilem.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO III.

De ſociorum defenſione.

Quæritur tertiò. Utrùm ſocius teneatur ſocium ſuum defendere ſi poteſt? Arguitur quòd non. ad ſolos Principes pertinet defendere. igitur. conſequentia patet ex terminis, & per Auguſtinum in decretis, & allegatur in capitulo, *ſi forte patiens eam injuriam.* Et antecedens eſt notum. *Arguitur.*

Secundò ſic: ſequeretur quòd ſi aliquis videret ſocium ſuum verberari & lædi & eum non defenderet cum poſſet quòd incurreret ſententiam excommunicationis, ſi eſſet clericus. conſequens eſt falſum, & patet conſequentia, quia tunc

talis tenetur liberare ſocium ſuum à tali periculo, & ſic non incurreret talem pœnam.

Tertiò ſic: nullus tenetur gratis facere illud pro quo licitè, & cum pacto poteſt pecuniam recipere, nec illam tenetur reſtituere. ſed hoc poteſt licitè facere talis, ergo. major patet de ſe: & minor probatur, quia talis licitè recipit pecuniam ab illo quem defendit propter laborem ſuum.

Quartò ſic: non plus tenetur ſocius ſocium ſuum liberare, quam medicus infirmum gratis curare. ſed medicus non tenetur &c. conſequentia nota eſt, & major in Primo Hujus Octavi ubi dicitur quòd ſi quis acquirat ſcientiam propter lucrum principaliter, facit ſuam ſcientiam banauſeam. Minor patet, quia alias ſequeretur quòd artes medicinales eſſent malè ordinatæ, quod eſt falſum. conſequentia patet de ſe.

Quintò ſic: defendere ſocium eſt quædam militia, vel ſimile militiæ: ſed nullus tenetur propriis ſtipendiis militare. igitur, patet conſequentia, & major & minor apparent per Apoſt. ad Rom: dicentem. *quis propriis ſtipendiis militat?* quaſi velit dicere quòd nullus.

Sextò ſic: defendere ſocium ſuum eſt alteri benefacere: ſed nullus tenetur alteri gratis benefacere. igitur, patet conſequentia, & major & minor probantur. quia niſi ſic, ſequeretur quòd quilibet potens alteri benefacere, & non benefaceret quòd peccaret. Secundo ſequeretur quòd per leges poſſet cogi, & ſi ſic, talis non mereretur.

In oppoſitum. Oppoſitum arguitur, unuſquiſque tenetur alteri dare conſilium mutuum, & favorem: igitur patet conſequentia: & antecedens probatur, quia omnes Chriſtiani ſunt membra ejuſdem capitis: modò membra ad invicem ſubordinantur.

In quæſtione erunt tres articuli. In primo videbitur utrum obligatio aliqualiter diminuat ſive tollat de bonitate actus. In ſecundo videbitur utrum ad ſolos Principes, ſeu ſuperiores pertinet delinquentem corrigere. Tertiò dicetur ſeu reſpondebitur ad quæſitum, & dicetur probabiliter ſiſtendo in terminis, ſeu limitibus Philoſophiæ Naturalis.

Primus articulus.

Primum notabile. Quantum ad primum articulum, primò notandum, quòd ut ad propoſitum ſufficit, Obligatio eſt duplex; quædam eſt naturalis, alia eſt poſitiva & legalis. quantum ad obligationem naturalem purus homo non poteſt diſpenſare, ut patet de ſe. Sed alia eſt obligatio legalis, & ab illa poteſt alium abſolvere.

Obligatio eſt duplex.

Secundum. Secundò notandum eſt, quòd loquendo de obligatione poſitiva homo poteſt duobus modis obligari, uno modo quòd talis obligetur merè liberè cum deliberatione prævia, & uſu rationis; faciendo diſcurſus hinc & inde, & quod actu obligat ſe ſcit eſſe de genere boni: alio modo non voluntariè; nec liberè, & hoc poteſt eſſe verè, vel interpretativè.

Homo dupliciter obligatur.

Tertium. Tertiò notandum eſt, quod ſi illud ad quod quis obligatur ſit illicitum & malum de genere, ille qui taliter obligat ſe non tenetur ad juramentum qualitercunque fiat; tamen ille qui obligat ſe ad hoc per juramentum, vel aliàs, frequenter peccat.

Quartum notabile. Quartò notandum eſt, quod ſi obligatio ſit licita, tunc illud quod priùs erat ſub libertate, eſt poſtea ſub neceſſitate quodammodo. patet; ad illud ille obligatus eſt aſtrictus, & ad hoc poteſt compelli via juris, & dicitur niſi neceſſiterur: quia

quia tunc non meretur in faciendo illud: sed ratione illius quod primum fecit libere ipse fecit secundum libere & voluntarie interpretative. Ex istis ponuntur conclusiones probabiles.

Prima conclusio: ille qui facit actum de genere boni ex obligatione debitè præmissa qua seipsum obligavit liberè, plus meretur altero qui facit consimilem actum sine obligatione cæteris paribus. Probatur, quia talis facit eundem actum cum circumstantia magis meritoria. *Prima conclusio.*

Secundò, quia talis qui sic ex voto operatur firmè & constanter operatur. Ex isto sequitur quædam inflammatio ratione cujus operatio dicitur magis meritoria.

Ex isto respondetur ad dubium, scilicet quòd obligatio si sit debitè & licitè facta & circumstantionata non dirimit de merito, & bonitate actus, apparet ex prius dictis. *Responsio ad dubium.*

Sed contra hoc arguitur. ille qui facit actum sine obligatione, videtur quòd ipse faciat cum minori pœna & pœnitudine: ille autem qui cum obligatione cum pœna facit, ergo, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia videtur quòd obligatio importat pœnitudinem. *Objectio.*

Ad hoc respondetur quod talis faciens actum de bono genere boni ex obligatione potest facere dupliciter. uno modo facit sic quòd nihil faceret nisi esset obligatus, sic quòd obligatio solùm est causa. Secundo modo quod faceret dato quod non esset obligatus. Si primo modo conceditur quòd ille qui facit actum ex obligatione facit cum pœnitudine, & conceditur quòd illa obligatio dirimit meritum actus, & talis peccat quia agit malè, licet faciat actum bonum de genere. Si secundo modo, dicitur quòd talis qui facit actum ex obligatione non facit cum pœnitudine, & in hoc multùm meretur, quia obligatio illa est licita, & bene circumstantionata, & per consequens meritoria. *Solutio objectionis.*

Quantum ad secundum articulum videndum est utrum ad solos superiores pertineat delinquentem corrigere. Et arguitur quòd non, quia inferior potest licitè suum superiorem corrigere. igitur. consequentia patet ex terminis. Antecedens patet primò, quia si superior peccet, & inferior sit virtuosus, inferior est dignior & nobilior superiore, & per consequens debet habere vim coactivam superiorum. Item probatur idem inferior potest licitè facere illud cujus oppositum esset vitiosum; sed non corrigere delinquentem superiorem esset vitiosum, quia tunc non observat illud præceptum, *diliges proximum tuum sicut teipsum.* *Secundum articulum. Dubium. Arguitur.*

Oppositum arguitur, quia solus superior habet vim legis coactivam super delinquentem. igitur. consequentia est nota, & antecedens patet, quia aliter talis non esset superior. Nam ex eo quòd est superior super ipso habet vim coactivam. *In oppositum.*

Pro intellectu hujus primò notandum est, quòd aliquis potest dici superior dupliciter. uno modo denominatione extrinseca, scilicet quòd talis trahit originem à parentibus nobilibus, vel propter divitias, &c. propter quæ potestas est sibi data. Secundo modo denominatione quodammodo intrinseca quæ denominatio capitur à perfectione animæ, ut esset ille qui esset habituatus in habitibus intellectualibus, vel moralibus; quia est prudens quoad habitus intellectuales, vel virtuosus quoad habitus morales. *Primum notabile. Quò dicitur superior dupliciter.*

Secundò notandum est, quòd aliqui ordinati sunt quandocunque aliquis peccat, quòd *Secundum notabile.*

Opinio quorundam. quòd ipse perdit dominium temporale quod habuit prius super omnes inferiores. patet, quia talis se ponit extra debitum ordinem naturæ, vel debitum situm rerum naturalium in ordine ad primum ens.

Prima conclusio Probabilis. Ex isto sequitur conclusio probabilis: quod quam cito aliquis à statu virtuoso cadit ad statum vitiosum tam cito homo sit inferior ad quemlibet virtuosum. patet ex dictis, unde talis vocatur servus & banausus, sicut patet Primo & Quarto Hujus.

Tertium. Tertiò notandum est, quòd circa istum terminum delinquentem quòd duplex

Duplex est delictum. est delictum: unum est quod est notorium & maximum, aliud est occultum.

Quartum. Quartò notandum est, quòd loquendo de superiori primo modo scil. quoad denominationem extrinsecam, & loquendo de delicto notorio, est aliter dicendum ad dubitationem, quàm loquendo de superiore secundo modo, & de delicto occulto.

Quintum notabile. Quintò notandum est, quòd duplex est correctio. nam quædam est auctoritativa, alia est non auctoritativa. Prima est duplex, nam quædam est citra mortem. alia est inclusiva mortis.

Duplex est correctio. Sit ergo prima conclusio: loquendo de superiore primo modo & delicto notorio, ad solos Principes pertinet auctoritativè delinquentem corrigere: patet, quia

Prima conclusio. ad superiorem pertinet imperare inferiori, nam habet auctoritatem supra ipsum, aliter non esset superior; sed Judex est superior, ut sic, & habet auctoritatem. igitur. Secundò patet, quia nisi sic delinquens corrigeretur, sequerentur seditiones, & rixæ in bona politia. sed omnia ista sunt vitanda in bona politia. igitur. major patet de se; minor nota est.

Secunda. Secunda conclusio: loquendo de superiore primo modo, & non de delicto secundo modo, scilicet occulto sive non notorio, ad superiorem ut sic non pertinet corrigere delinquentem, scilicet in casu quo illis superioribus non constaret de tali delicto. Probatur conclusio, quia propriissimè solus virtuosus ad delinquentem est superior.

Corollarium. Ex isto sequitur probaliter corollariè, quòd si constaret probabiliter de delicto superioris loquendo purè moraliter, & ubi peccatum alterius esset contra bonum commune, alis vocatus superior non haberet vim legis coactivam, seu virtutum super alium. Et dicitur notanter, [ubi delictum esset contra bonum commune.] quia in casu alio aliter esset dicendum, quia creditur quilibet esse superior ad talem delinquentem.

Dubium. Sed dubitatur, si Judex sit infectus eodem peccato quo delinquens est infectus, si constet, quid debet Judex in illo casu facere? quia si Judex condemnet

Prima conclusio. illum, & seipsum condemnat, & si illum absolvat facit contra justitiam. Pro isto erunt conclusiones. Prima; si delictum tale sit occultum, ita quòd soli Judici sit notum, & delinquenti, & non facit contra bonum commune, Judex non debet talem condemnare. patet, quia Judex se habet ad illum tanquam ad personam privatam, & ut persona privata.

Secunda. Secunda conclusio: si delictum subditi sit notorium. Judex infectus eodem vitio debet ipsum condemnare, scilicet si hoc fuerit probatum secundum rectam consuetudinem juris. Apparet, quia licet Judex sit infectus eodem vitio hoc est inquantum persona privata: & non inquantum Judex, & sic potest illum corrigere: quia aliàs esset magnum scandalum in Rempublicam.

Sed

Sed tunc est quæstio: si judici notorium esset quod talis esset innocens de delicto sibi impositio, & tamen probaretur ejus nocentia seu culpa per testes apparentes fide dignos: De hoc sunt opiniones: nam quidam dicunt quod debet innocentem condemnare, quia debet ipsum condemnare seu judicare secundum allegata & probata. Alii dicunt quòd Judex debet officium deponere Judicis antequam illum condemnet, quia aliter ageret contra conscientiam suam. *Quæstio.*

Quantum ad tertium articulum, Respondetur ad quæsitum. *Tertius articulus.*

Et ponitur conclusio responsiva: quòd socius tenetur socium suum injuriam patientem gratis defendere; si commodè potest: patet, quia vir ecclesiasticus debet & tenetur gratis defendere homines scelleratos & pravos ad ecclesiam confugientes, si commodè potest: igitur, tenet consequentia, quia non plus vir ecclesiasticus debet scleratum defendere, quam socius socium. Antecedens patet per communem & laudabilem consuetudinem. Videmus enim quod viri ecclesiastici solent gratis defendere. *Lex. Conclusio responsiva.*

Secundò sic: socius videns socium injuriam patientem, & non gratis eum defendens, si commodè potest, esset particeps cum injuriante: igitur. consequentia est nota. Et antecedens patet: quia tunc videtur quòd socius videns socium injuriam patientem interpretativè consentit in injuria, & per consequens participat.

Tertiò sic, quilibet tenetur bonum proximi procurare. igitur, quilibet videns socium suum injuriam patientem, defendere tenetur. igitur. patet consequentia, & antecedens probatur ex dictis.

Quartò sic: quilibet tenetur esurientes cibare sic commodè potest. igitur. patet consequentia, quia quam necessarius est cibus esurienti, tam necessaria est injuriam patienti defensio in casu: & antecedens patet, quia si sic faceret aliquis, ipse esset censendus homicida, si esuriens moreretur.

Sed tunc ponenda sunt dubia. Primum, utrum superior videns clericum verberari, & eum non defenderet, si posset commodè, plus peccet quam si esset æqualis clerico qui injuriam pateretur. Respondetur, quòd superior plus peccaret. patet, quia talis habet dominium super illum qui sic verberatur. *Dubia.*

Dubitatur primò. Utrum aliquis potest licitè pecuniam dare ex pacto pro illo quod tenetur gratis facere? Ad hoc respondetur, quod sic in aliquo casu. Unde clarum est, quod si aliquis habens panem teneretur ipsum alicui gratis dare indigenti, & eum vendere alteri; tamen si haberet pecunias ille esuriens, tunc ex pacto pro pane licitum est pecuniam recipere. *Dubium primum: Responsio.*

Dubitatur secundò, utrum medicus tenetur infirmum gratis sanare? Ad hoc respondetur, quod infirmus vel est dives, vel est pauper. Si pauper, & non habet unde tenetur ipsum gratis sanare. Si dives, & non velit pecunias refundere medicus tenetur eum gratis curare, sed post convalescentiam potest pecuniam recipere. *Secundum dubium. Responsio.*

Dubitatur tertiò, utrum aliquis tenetur bonum commune alterius procurare propriis expensis & sumptibus. Ad hoc respondetur distinguendo quòd in hoc multas circumstantias oportet videre, quia vel ille pro quo bonum impetratur, vel procuratur, est persona communis, vel privata. Si communis debet & tenetur propriis stipendiis & sumptibus procurare. Si privata tunc non semper tenetur. *Tertium dubium. Responsio.*

Quartum dubium.

Dubitatur quartò utrum aliquis poteſt cogi ad bene faciendum.

Arguitur.

Arguitur quòd ſic: nam propter timorem pœnæ multi coguntur bene facere. igitur. conſequentia eſt nota, & antecedens notum eſt, quia timore flagelli multi retrahuntur à malo faciendo.

In oppoſitum.

Oppoſitum arguitur, quia in ſolo actu voluntatis eſt bene agere meritoriè vel demeritoriè: ſed ad actus voluntatis non poſſunt cogi. igitur. Pro quo ſciendum eſt, quod differentia eſt inter bonum facere & bene facere aliquem actum cum debitis circumſtantiis reddentibus actum meritorium vel bonum, ſimpliciter, vel moraliter.

Notabile.

Differētia inter bonum facere & bene facere.

Ex quo ſequitur quod poſſibile eſt aliquem actum bonum facere malè: probatur de dante eleemoſynam propter vanam gloriam. Secundò ſequitur, quòd poſſibile eſt aliquem malum facere bene, immo meritoriè. Probatur, ſi aliquis facit actum malum de genere, & habeat ignorantiam invincibilem quod talis actus ſit malus, & ulterius talem actum faciat cum debitis circumſtantiis credens talem eſſe actum bonum. Patet etiam ex alio: ſi Judex condemnet innocentem debitè, & cum debitis teſtibus apparentibus probatum, & ipſe ignoret illum.

Prima concluſio.

Prima concluſio: aliquis poteſt cogi ad faciendum actum bonum de genere; patet per rationem ante oppoſitum.

Secunda concluſio.

Secunda concluſio: nullus poteſt cogi ad bene faciendum directè, & immediatè: probatur concluſio quia libertas voluntatis eſt radix quare actus eſt meritorius vel bene factus: ſed voluntas ſeu libertas non poteſt cogi. Et dicitur directè, quia per accidens & indirectè propter timorem pœnæ cogitur bene facere, & indirectè & mediatè ad faciendum bonum, & ex illis actibus frequentatis generatur quædam inclinatio, ſeu habitus ad bene faciendum.

Secundò probatur aliter, quia coactio importat diſplicentiam, modò diſplicentia eſt involuntaria, modò oportet ad hoc quod actus ſit bonus & meritorius quòd nullum involuntarium bene ſit.

Rationes dubii per hoc ſolutæ ſunt, ſcilicet per concluſiones.

Rationes ante oppoſitum ſolvuntur ex dictis.

Ratio poſt oppoſitum eſt pro dictis.

QUÆSTIO IV.

De objecto virtutis.

Arguitur.

Quæritur quartò. Utrum omnis virtus moralis ſit circa delectationes & triſtitias. Arguitur quod non. Juſtitia eſt virtus moralis, & tamen non eſt circa delectationes & triſtitias. igitur. conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, quia eſt circa operationes, ut patet Quinto Ethicorum.

Secundo ſic: multæ ſunt paſſiones diſtinctæ à triſtitia, & à delectatione circa quas eſt virtus moralis. igitur. Conſequentia eſt nota, & antecedens patet per Philoſophum 2. Ethicorum, & in iſto Octavo, ut ſunt odium, favor, amor, &c.

Tertiò ſic; aliqua virtus moralis eſt circa bonum honeſtum, & aliqua circa bonum

num utile ergo non omnis virtus moralis est circa delectationes vel tristitias: consequentia tenet, quia bonum delectabile distinguitur contra bonũ utile, ut habetur Secundo Ethic. Antecedens probatur, quia libertas & magnificentia sunt circa pecunias quæ sunt bona utilia, & sunt circa mores, quæ sunt bona honesta.

Quartò si sic, sequeretur quòd virtutes morales ab invicem non distinguuntur: consequens est falsum, ut notum est, & patet consequentia, quia distinctio virtutum moralium oritur ex distinctione objectorum. Nam habitus distinguitur per objecta, ut habetur secundo de anima. Oppositum est de intentione Philosophi 7. Ethicorum & 8. hujus, ubi dicit virtutem sumi circa gaudere rectè circa amorem, vel odium. Modò omnes passiones reducuntur ad delectationem, vel tristitiam. In quæstione erunt duo articuli. In Primo ponentur notabilia: In secundo conclusiones. *In Oppositum.*

Quantum ad primum articulum, Primò notandum est, quòd delectatio causatur in appetitu, ex potentia objecti apprehensi per modum convenientis. *Primus articulus.*

Secundo notandum est quòd duplex est appetitus; nam quidam est sensibilis, alius est intellectualis: & secundum hoc duplex est delectatio, scil. sensibilis quæ causatur ex appetitu sensitivo secundum judicium sensus: alia est intellectualis, quæ causatur ex appetitu volitivo mediante judicio intellectuali, seu rationis. Et conformiter dicitur de tristitia. *Primum notabile. A quo causatur delectatio. Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd ut habetur 1. Ethicorum. *Appetitus sensitivus appetitus rationali contrariatur.* Et hoc ideo est, quia appetitus sensitivus apprehendit præsens delectabile, modo sensus non potest cognoscere nisi præsens, & non potest facere comparationes inter objectum & circumstantiam objecti; nec potest futura pericula prævidere, ut dicitur 2. de anima. Sed appetitus rationalis sequitur judicium rationis modò intellectus bene potest conferre inter objectum & circumstantias objecti: & sic appetitus intellectivus inclinatur ad unum, ad cujus oppositum inclinatur appetitus sensitivus. *Duplex est appetitus. Tertium.*

Quartò notandum est, quòd virtus moralis supra appetitum sensitivum habet triplicem effectum. Primus est quod regulat appetitum sensitivum, ne nimis festinanter & properanter sequatur judicium intellectus. Secundus effectus quatenus appetitus sensitivus obediat judicio rationis. Tertius est quòd virtus moralis habet refrænare passiones appetitus sensitivi, ne illæ passiones trahant appetitum intellectivum ad ejus inclinationes. *Quartum. Triplices effectus habet virtus moralis supra appetitum sensitivum.*

Quintò notandum est, quòd virtutis moralis duplex est objectum. quoddam est exterius, & est res ad extra circa quam operamur; aliud est interius, & sic est delectatio, vel tristitia, quæ sequitur apprehensionem objecti exterioris. *Quintum. Duplex est objectum virtutis moralis.*

Quantum ad secundum articulum, Sit prima conclusio: omnis virtus moralis est circa delectationes & tristitias per modum sequelæ: probatur, nam cujuslibet virtutis moralis actum sequitur delectatio in actu virtuoso, & ad impedimentum talis actus sequitur tristitia: ergo per modum sequelæ omnis virtus moralis est circa delectationes & tristitias. Patet consequentia; & antecedens probatur, quia omnis virtuosus in suo opere delectatur, & quando ipse impeditur tristatur. *Secundus articulus. Prima conclusio.*

Secunda conclusio: virtus moralis est magis circa delectationes illo modo, quàm circa tristitias, probatur, quia delectatio sequitur propriam virtutem moralem, & tristitia defectum ejus, igitur patet consequentia, quia virtus est magis *Secunda.*

circa proprias operationes. & antecedens est notum.

Tertia. Tertia conclusio: virtus moralis est circa delectationes & tristitias sensuales, tanquam circa objectum interius. Probatur, quia illud est objectum virtutis moralis quod provenit ex actu virtutis moralis, & quod virtus moralis habet regulare, sed ita se habet virtus moralis circa delectationes & tristitias. igitur. major patet per quid nominis objecti, & minor patet de se.

Quarta. Quarta conclusio: aliqua virtus moralis est magis circa delectationes sensuales per modum objecti, quàm circa tristitias. Probatur quia temperantia est circa cibos & potus tanquam circa objecta exteriùs, & consequenter est circa delectationes causatas ex cibo & potu, quia non causant tristitiam.

Quinta. Quinta conclusio: aliqua virtus moralis est magis circa tristitias sensuales quàm circa delectationes per modum objecti. Probatur conclusio de fortitudine morali, quæ est circa pericula terribilia quæ maximam tristitiam inferunt appetitui sensitivo.

Ad rationes. Ad rationes. Ad primam conceditur major, & dicitur quòd licet justitia sit circa operationes quæ sunt ad alios fines, tamen est ad refrænandum passiones consequentes ad hujusmodi operationes, & hoc sufficit.

Ad secundam conceditur major: & tamen dicitur, quòd omnes illas passiones tristitiæ & delectationes comitantur, ut notum est. & sic omnis virtus est circa delectationes immediatè, vel mediatè seu concomitanter.

Ad tertiam negetur consequentia. Ad probationem dicitur quòd non distinguuntur realiter, sed secundum rationem.

Ad quartam negetur consequentia. Ad probationem conceditur vel per modum objecti, vel per modum sequelæ. Et ad probationem dicitur quòd est diversorum secundum quod hujusmodi delectationes consequuntur ad diversas operationes.

Ratio post oppositum est pro dictis in quæstione.

QUÆSTIO V.

De unitate universi principatus.

Arguitur. QUæritur quintò. Utrum universitati mortalium expediat quòd universo sit unus solus sæcularis Princeps?

Arguitur quòd sic, illud regimen est maximè expediens universitati mortalium per quod mali justius & efficacius coarctantur, & boni inter malos convenientius vivunt. sed hoc est per regimen solius Principis sæcularis: igitur. patet consequentia, & major ex eo quòd Principes sunt ad hoc instituti, ut mali coarctentur, & boni convenientius vivant. Et ideo dicit Petrus in Secunda Canonica sua *duces esse missos à regibus ad vindictam malefactorum, ad laudem verò bonorum.* & concordat Apost. ad Rom. 2. ubi ponit Principes à Deo esse institutos *propter punitionem malorum, & tuitionem bonorum.* Et minor patet, quoniam si unus solus Princeps esset in mundo, ille esset fortior ad puniendum malos, & sic melius posset conservare sive nutrire bonos, & punire malos.

Secundò

Secundò sic: sicut spiritualia per viros Ecclesiasticos disponuntur, ita temporalia per viros sæculares. sed sic est quòd dato quòd essent omnes unius fidei, unus esset solus pastor, & sufficeret, igitur. patet major à convenienti similitudine. Et minor patet, quia si omnes essent conversi ad unam fidem non minus sufficeret unus pastor, quam nunc.

Tertiò sic: idem est Judicium de regimine totali, & partiali. sed in regimine partiali omnibus de illo regimine uni soli Principi sæculari licet obedire. ergo: major patet per multa decreta, & minor patet per experientiam.

Quartò sic: illud est convenientissimum per quod quantum est possibile in hac vita omnia litigia & dissentiones removentur, & pax & concordia nutriuntur. sed hoc est per tale regimen. igitur. major patet, & minor probatur, quia quando est unus solus Princeps potest melius sedare dissentiones quàm plures Principes qui non sunt subordinati, quia illi haberent diversas voluntates.

Quintò sic: illud est convenientissimum per quod non solum inferiores, sed etiam superiores puniuntur, si delinquant. sed hoc est si sit unus solus Princeps igitur. major est nota, & minor probatur, quia si sit unus solus Princeps principalissimus, ille melius poterit punire inferiores, quàm si essent plures; aliàs balivi, & præpositi remanerent impuniti, si delinquerent.

Sextò sic: illud regimen est expedientissimum universitati fidelium per quod peccata populi puniuntur, sed hoc est per multitudinem sæcularium Principum. igitur. major probatur clarè, & minor probatur Proverbiorum. 28. propter peccata terræ multi Principes ejus mortui sunt.

Septimò, nisi sic esset expediens universitati mortalium uni soli obedire, sequeretur quòd iniquum & injustum esset universitati mortalium principari unum solum principem sæcularem. consequens est falsum, quia hoc est contra jus; vel ergo esset contra jus naturale; & hoc non, quia semper fuisset contra jus, quod est falsum; vel contra jus positivum, sed hoc non, quia quandoque visum est quòd erat unus solus Imperator deputatus ad principandum populo, & patet consequentia principalis, quia illud quod non est expediens est injustum, & iniquum.

Octavò sic: illud est expedientissimum quòd maximè assimilatur regimini Dei, sed si esset unus solus Princeps, illud regimen esset hujusmodi. igitur. major est nota, & minor probatur: quia in regimine universalis machinæ unus solus principatur, scilicet Deus gloriosus, ut dicitur. 12. Metaphysicæ.

In oppositum.

Arguitur in oppositum. illud cujus contrarium est ordinatum à Deo non est expediens, vel licitum universitati mortalium. sed quod unus solus sit Princeps est prohibitum à Deo, immo est contrarium ordinatum; quod probatur, nam habetur. 3. Regum. 12. capitulo, quòd præcepit Dominus populo Israelitico quod haberent plures reges, quorum unus non esset subordinatus alteri, & sic contrarium est à Deo ordinatum.

Secundò sic: illud regimen est magis expediens in tempore lapsæ naturæ & culpæ quod magis assimilatur regimini in tempore innocentiæ, si mansissemus in illo statu: sed quòd essent plures Principes magis assimilaretur regimini quod fuisset in tempore innocentiæ. igitur. patet consequentia de se, & major est nota, & minor probatur: quia si parentes non peccassent omnes fuissemus æquales.

Tertiò sic: illi non debent obedire uni soli Principi sæculari, qui non possunt

ad idem jugum duci, nec possunt ad invicem habere unionem. sed ita est de universitate mortalium. igitur: major patet de se, & minor probatur, quia in universitate mortalium reperiuntur fideles, & infideles, qui non possunt simul communicare, & convivere, ut Apostolus declarat in multis locis.

Quartò sic: ille non potest universitati mortalium præesse qui non potest gerere sufficientem curam omnium mortalium. sed nullus solus Princeps potest habere omnes mortales in sua cura. igitur est illicitum. major satis patet, minor patet propter diversos mores hominum. Per istas rationes aliqui probant quòd non expediret quòd esset unus solus Princeps sæcularis, ut esset imperator.

In quæstione erunt quatuor articuli. In primo videbitur de quæsito. In secundo utrum ignorantia Juris naturalis sit cuilibet damnabilis & vitiosa. In tertio, utrum apud Principem sæcularem nulli alteri subditum pœnæ sint arbitrariæ. In quarto articulo erunt dubitationes.

Primus articulus.

Primum notabile.

Differentia est inter præsidentem in spiritualibus & in temporalibus.

Quantum ad primum articulum, Est primò notandum quòd differentia est inter præsidentem aliis in spiritualibus, & præsidentem aliis in temporalibus. Nam præsidentia spiritualis immediatè ex divina ordinatione constituitur. ergo nullus homo potest illam mutare. Sed præsidentia in temporalibus non est ex jure divino, nec immediatè ex jure naturali; sed ex jure humano & positivo; & ideo secundum exigentias temporum, & diversitates eorum & necessitates tale jus potest immutari, immo deseri ab homine puro.

Secundum.

Duplicia sunt præcepta.

Secundò notandum est quod duplicia sunt præcepta. quædam sunt affirmativa. quædam sunt negativa. Affirmativa sunt quæ obligant semper, sed non pro semper. Negativa sunt quæ obligant tam pro semper: quàm ad semper. Unde præceptum de orando Deum est affirmativum, & obligat ad semper, scil. quòd homo sit semper promptus & paratus Deo obedire, quando, ubi, &c. sed non pro semper, quia nullus semper actualiter potest orare Deum. Sed non mœchari est præceptum negativum, quod obligat ad semper, & pro semper.

Tertium.

Duplex est jus naturale.

Tertiò notandum est, quòd duplex est jus naturale: quoddam est absolutum, & contra illud non est licitum ire seu procedere; ut præceptum naturale est, quòd quilibet optet suam durationem & suum esse. aliud est præceptum naturale conditionatum, & contra tale licitum est in casu ire, ut quòd non est licitum scindere brachium, vel digitum. & tamen potest dimittere in casu quo totum corpus periret nisi scinderetur.

Quartum.

Opinio aliquorum in hac materia.

Quartò notandum est, quòd aliqui de ista materia opinati sunt quòd est expediens universitati mortalium soli Principi non sæculari sed Ecclesiastico obedire. & causam ponunt quia causa propter quam aliquis debet alteri Principari maximè est sapientia, & prudentia. modò prudentia in viro Ecclesiastico maximè reperitur: sed ista causa non est sufficiens, quia ad hoc quòd aliquis præsideat licitè aliis in temporalibus sufficit quòd abundet in sapientia, & prudentia, & discretione. & quòd discretionem habeat in negotiis sæcularibus, & ideo ponunt alii quòd potest poni unus solus Princeps.

Prima conclusio.

Prima conclusio: secundum diversitatem, & qualitatem, & temporis necessitatem expedit Principibus mortalium regimina variare: & ista conclusio mediat inter duas opiniones. Probatur, quia illo modo expedit regimina & dominia mortalium variari, & se habere secundum quod Deus disposuit, sed Deus quandoque disponit quòd sit unus solus Princeps sæcularium suo populo fideli: ut

patet

patet de David & Elyſæo ſuper populum Iſrael. quandoque verò ſtatuit & ordinat quòd eſſent plures, ut patet de Rehoboham, & multis aliis. Secundò quia expedit univerſitati mortalium quòd illo modo regatur quo manet in tranquillitate, & commodiùs & meliùs valet conſervari. ſed hoc eſt modo prædicto, ut notum eſt. igitur.

Secunda. Secunda concluſio & reſponſiva: non expedit univerſitati mortalium uni ſoli Principi obedire ſemper. ſcilicet quomodocunque tempora ſe habeant. *Concluſio reſponſiva.*

Patet concluſio ex prima conclusione, quia ex tali regimine poſſunt multa inconvenientia evenire, & ſic eſt ſimilitudo qua Deus diſpoſuit populum regi, & gubernari. & iſte modus dicendi eſt probabilior, & ſecurior.

Secundus articulus. Quantum ad ſecundum articulum, Eſt videndum, utrum ignorantia Juris Naturalis ſit cuilibet damnabilis & vitioſa. Pro quo eſt primò notandum quòd duplex eſt ignorantia ſcilicet facti & juris. Ignorantia juris eſt quando aliquis ignorat ordinem juris. Sed ignorantia facti eſt quando aliquis ignorat factum ſuum quod fecit quod comprehendatur ſub jure tali, & ſic dicitur quod ignorantia facti bene ſtat ſine ignorantia juris, & ſic dicitur quòd ignorantia facti in multis excuſat à peccato. *Dubium.* *Primum notabile.* *Duplex eſt ignorantia.*

Secundum. Secundò notandum eſt quòd ignorantia juris eſt duplex. quædam eſt vincibilis, alia eſt invincibilis. Invincibilis eſt ſi aliquis toto ſuo niſu laboret ſcire ordinem juris, & tamen illum non poſſet ſcire. Alia eſt ignorantia craſſa, & ſupina quæ ſcilicet vincibilis eſt. *Ignorantia juris duplex eſt.*

Tertium. Tertiò notandum eſt quòd jura naturalia ſunt triplicia: quædam ſunt notiſſima, & evidentiſſima, & ſunt quaſi Principia ſic quòd eis propoſitis intellectus immediatè eis aſſentit, & circa talia nunquam contingit errare. ut quòd nulli eſt nocendum, & quod unuſquiſque debet recognoſcere beneficium benefacientis. Alia ſunt quæ ſic ſe habent quòd ſunt faciliter deducibilia ex notis de ſe; & circa talia non nunquam contingit errare quandoque. & talia poſſunt acquiri ſine ſtudio magno humano. alia ſunt quæ cum magno labore ſunt deducibilia ex per ſe notis; & circa iſta bene contingit errare, nam magni Clerici bene erraverunt in illis. *Triplicia ſunt jura naturalia.*

Quartum. Quartò notandum eſt, quòd de adulto poſſumus loqui dupliciter. uno modo de bene diſpoſito in virtutibus, & viribus naturalibus. alio modo de adulto viciato aliquo modo in bonis naturalibus. *Dupliciter conſideratur adultum.*

Prima concluſio. Prima concluſio, de ignorantia craſſa vel ſupina & de aduko bene diſpoſito in bonis naturalibus cuilibet adulto ignorantia juris naturalis eſt damnabilis & vitioſa, & hoc loquendo de jure naturali primo vel ſecundo modo, ſive de ignorantia craſſa vel ſupina. patet, quia ex quo talis diſpoſitus eſt in bonis naturalibus, facilè poſſet ſcire illa jura. ſi non ſciat, ſequitur quod eſt in peccato, & non excuſatur: & dicitur notanter de ignorantia craſſa & ſupina, quia ſi eſſet ignorantia invincibilis excuſaret eum. Item dicitur notanter de jure naturali primo modo vel ſecundo modo, quia de tertio modo dictum eſſet verum, eo quòd multi magni Clerici de illo erraverunt.

Tertius articulus. Quantum ad tertium articulum. Utrum ad Principem ſæcularem nulli alteri ſubditum pœnæ ſint arbitrariæ? *Dubium.*

Primum notabile. Et primò ſunt aliqua notanda, ſcilicet quòd illa pœna dicitur arbitraria quæ committitur arbitrio & poteſtati illius qui pœnam infligit, ſic quòd in libertate illius *Qua dicatur pœna arbitraria*

illius est illam pœnam dimittere, & aliam infligere, vel differre, vel totaliter dimittere.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quod Princeps sæcularis nulli alteri principi sæculari subditus est, sed est super omne jus positivum & humanum, ita quod ad nihil expressum in tali jure astringitur, vel compellitur. Ista suppositio patet per varia decreta.

Tertium. Tertiò notandum est, quod princeps sæcularis omnes pœnas, vel punitiones quas ordinat debet ordinare in conservationem & utilitatem communitatis vel reip. Apparet, quia tunc non esset princeps censendus: sed Tyrannus potius, secundum quod dictum sæpe fuit.

Quartum. Notandum est quartò, quod de principe sæculari nulli alteri subdito possumus loqui dupliciter. Uno modo quod se habeat secundum dictamen rectæ rationis, & veram æquitatem. Alio modo, quod se non habeat secundum dictamen rectæ rationis.

Prima conclusio. Prima conclusio: apud principem sæcularem nulli alteri subditum secundum dictamen rectæ rationis se habentem sunt omnes pœnæ arbitrariæ. Probatur, quia cum princeps sit supra omne jus positivum, sive humanum, sequitur quod ad nihil expressum in tali jure astringitur, & cum se habeat secundum dictamen rectæ rationis, sequitur quod intentio sua est causa sive regula conveniens ad regulandum pœnas quas infligit.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: loquendo de principante non se habente secundum veram rationem non omnes pœnæ apud talem debent esse arbitrariæ. Patet, quia ex quo talis non procedit secundum dictamen rectæ rationis, talis potest abuti officio suo: quia propter odium vel iram faciliter inclinatur ad oppositum illius ad quod tenetur ex ratione recta.

Dubium. Sed tunc dubitatur; utrum talis princeps absolutè, & simpliciter pœnam alicui pro peccato suo infligendam possit remittere?

Arguitur. Et videtur quod sic, quia nulli alteri principi est subditus. igitur.

Responsio. Respondetur, quod vel verisimile est quod talis de delicto suo pœnitebit, vel perseverabit in malitia: si primum, dicitur quod princeps potest remittere: & hoc in comparatione ad offensam: sed non in comparatione ad partem læsam: si secundum, dicitur quod non potest licitè, quia hoc esset in gravamen totius reip. & tunc esset misericordia injusta.

Quartus articulus. Quantum ad quartum articulum, Sit prima dubitatio: Utrum sit licitum fidelibus cum infidelibus conversari & habitare?

Primum dubium. Videtur quod sic, quia quotidie videmus multos participare nobiscum, & cum Christianis.

Arguitur. Oppositum per Philosophum. Pro isto primò est notandum, quod probabiliter dupliciter possumus loqui de fidelibus.

In oppositum.

Notabile. Uno modo de perfectè fidelibus, qui sciunt bene resistere cavillationibus infidelium. Alio de fidelibus non informatis, neque imbutis in fide Catholica.

Secundum. Secundò notandum est, quod dupliciter possumus loqui de infidelibus. Uno modo de illis qui sunt simpliciter obstinati in eorum malitia. Alio modo de illis qui sunt tractabiles, & ductibiles aliquo modo in fide Catholica.

Dupliciter possumus loqui de infidelibus.

Prima conclusio. Prima conclusio: in casu quo fidelis non esset firmiter imbutus fide Catholica, non esset licitum habitare cum infideli, qui esset simpliciter obstinatus. Probatur,

batur, quia multa inconvenientia possent sequi.

Secunda conclusio: loquendo de illo qui est firmiter radicatus in fide, & de infideli qui tractabilis est, & persuasibilis, expediens est & licitum fideles cum infidelibus conversari. Probatur, quia ille fidelis potest istum infidelem convertere, & sibi projicere, & non potest illa conversio sibi obesse: ergo est expediens. Patet consequentia, & antecedens notum est ex quid nominis. *Secunda.*

Secundum dubium est, utrum expediens esset regimen in statu naturæ lapsæ esse consimile in statu integræ, seu non lapsæ. *Secundum dubium.*

Pro isto sciendum, quod propter casum primorum parentum natura humana ideo fuit læsa sic, quod traxit inclinationem per quam prona est de facili ad malum. Ista suppositio patet per omnes Catholicos. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod ut videtur si natura humana remansisset integra, & in statu naturæ integræ, nullus fuisset alteri subditus, nec unus habuisset super alium dominium: immo fuissent æquales, & æquè liberi. *Secundum notabile.*

Istis positis ponitur conclusio: non est expediens regimen in statu culpæ esse consimile, in statu naturæ integræ. Patet, quia nullus fuisset alteri subditus, & multa pericula non fuissent nunc per malas inclinationes, quas traximus ex delicto parentum. *Prima conclusio.*

Tertium dubium est, utrum expediret idem judicium esse quoad regimen de totali mundo, & de regimine partiali? *Dubium tertium.*

Ad hoc respondetur quod non expediret, nisi attendendo ad qualitatum diversitates, & temporum necessitates: sicut dictum est in primo articulo, & ubi cætera essent paria æquè bonum esset quod unus solus totali mundo præesset, sic esset in regimine partiali: quia non est verisimile de continuatione illius principis, quia non reperirentur plures successivè boni ad regendum, & sic oportet attendere ad qualitates & diversitates. *Responsio.*

Ad rationes ante oppositum dicitur, quod probant quod esset bonum solùm habere unum principem, ubi cætera essent paria, sicut habere plures: si tamen staret cum determinatione bonitatis ejus &c. secundum quod dictum est in primo articulo. Sed tamen opinio quæ ponit plures est melior & probabilior, & rationes quæ hoc negant, probant, quod non repugnat, quin sit bonum esse unum, & aliquando non, secundum dicta in primo articulo. *Ad rationes.*

Ratio post oppositum est &c.

QUÆSTIO VI.

De illiberalitate Senum & Juvenum.

Quæritur sextò. Utrum secundum communem cursum naturæ senes sint illiberaliores juvenibus? *Arguitur.*

Et arguitur quod non, quia conservatio ad habita conservanda est magis necessaria in juvenibus quam in senibus: igitur. Patet consequentia, quia natura non deficit in necessariis: nec abundat in superfluis. Antecedens patet primò, quia juvenes habent diutiùs vivere quam senes: ergo debent habere

majorem inclinationem ad habita ſervanda, quàm ſenes. Secundò patet idem antecedens: quia juvenes ſunt magis conſumptivi quàm ſenes, & per conſequens, ut ipſi poſſunt conſumere magis, & debent habere inclinationem.

Secundò ſic, virtus & prudentia magis vigent in ſenibus quàm in juvenibus: ergo & liberalitas minus viget in juvenibus, quàm in ſenibus: igitur, Patet conſequentia, & antecedens probatur per Philoſophum Sexto Ethicorum, quia ideo dicitur ſenex à ſenos quod eſt ſenſus.

Tertiò ſic: ſenes ſunt magis liberales quam juvenes: ergo ſenes non ſunt minùs liberales juvenibus. Patet conſequentia, & antecedens probatur, quoniam ſenes in dando ſunt magis exercitati & conſueti quàm juvenes: quia per tempora longa vixerunt: Modò ex actibus frequentatis generatur habitus, ſeu virtus Secundo Ethicorum.

In oppoſitum. Oppoſitum eſt de intentione Philoſophi, Quarto Ethicorum dicentis, quòd impotentia facit homines illiberales: modò conſtat quod ſenes ſunt multo impotentiores juvenibus: ideo dicit Philoſophus in iſto Octavo, *quòd Muſica non competit ſenibus quoad utrumque actum: ſcil. cantativum & operativum*: ſed competit bene juvenibus ſolùm.

In quæſtione erunt duo articuli. In primo videbitur de comparatione prodigalitatis & illiberalitatis ad invicem: ſcil. quòd vitium eſt pejus. In ſecundo reſpondebitur ad quæſitum.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, ſciendum eſt primò, quòd iſti habitus prodigalitas & illiberalitas ſunt circa pecunias. Unde pecunia poteſt capi dupliciter. *Primum notabile.* Uno modo pro numiſmate propriè, cujus uſus propriè eſt commenſuratio commutabilis: & iſto modo non capitur hic, quando dicitur quod illiberalitas eſt circa pecunias: ſecundo modo capitur prout ſe extendit ad omnem rem, cujus valor numiſmate comparatur, & ſic ager vel alia res vænalis dicitur pecunia, & iſto ſecundo modo adhuc dupliciter capitur. *Pecunia capitur dupliciter.* Uno modo pro pecunia aliena, & ſic juſtitia & injuſtitia ſunt circa pecunias. Alio modo pro pecunia propria, & ſic circa pecuniam ſunt hujuſmodi habitus.

Secundum. Secundò notandum quod duplex eſt illiberalitas: quædam eſt propria quæ conſiſtit non in dando cui oportet, & etiam qualiter oportet, & ſic de aliis circumſtantiis: ſed conſiſtit in recipiendo. Alio modo prout ſtat cum prodigalitate, & eſt accipere ubi non oportet, & quando non oportet.

Dubium. Dubitatur, quomodo poſſunt ſimul ſtare, cum ſint extrema? Pro iſto eſt ſciendum primò, quod extrema vitioſa quæ ſunt ſecundum defectū, & ſuperabundantiam, vel exceſſum, ſecundum eaſdem circumſtantias, & ſecundum eoſdem actus ſunt incompoſſibiles: ſed extrema vitioſa quæ ſunt ejuſdem actus ſecundum diverſas circumſtantias bene poſſunt ſimul ſtare, vel quæ ſunt diverſorum actuum: modo non eſt ſic de prodigalitate. *Primum notabile.*

Secundum. Secundò notandum eſt, quod tribus de cauſis ſecundum Philoſophum Quarto Ethicorum, prodigalitas eſt fatiabilis. Primò egeſtate. Secundò per ætatem. Tertiò per dictamen rectæ rationis. Primò per paupertatē, quia prodigalitas conſiſtit in dando bona ſua, & ideo dicit Philoſophus Quarto Ethicorum: non enim eſt facile ex nulla parte accipientem dare, velociter enim delinquit, divites enim videntur prodigi. Secundò per ætatem, puta per ſenectutem. In ſenio, ut dicunt Poëtæ, ſola cupiditas juveneſcit: & ideo dicitur Quarto Ethicorum prodigali- *Propter tria prodigalitas eſt fatiabilis.*

tas

tas curabilis egestate & ætate. Tertiò propter tertiam rationem, quia videtur semper dare propter honestum: modo sic cogitat quod si semper daret fieret pauper, & mendicaret, quod esset ei inhonestum.

Istis positis sit conclusio responsiva. Illiberalitas est pejus vitium prodigalitate. Probatur, quia est minùs curabilis: igitur. Sed contrà: prodigalitas est contra personam privatam: sed per illiberalitatem homo peccat contra alias personas: modò charitas incipit à seipso. *Conclusio responsiva. Objectiones.*

Secundò sic: prodigalitas opponitur prudentiæ: igitur. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia Philosophus vocat prodigos idiotas: modo idiotæ sunt impotentes.

Ad istas rationes. Ad primam respondetur negando antecedens quoad principalem partem, scil. quoad animam: sed bene quoad corpus, immo plus per illiberalitatem peccat, quoad animam, quàm per prodigalitatem. *Ad rationes objectionis.*

Ad secundam dicitur primò, quod omne vitium est contra prudentiam: ideo dicitur Tertio Ethicorum, quod omnis malus est ignorans. Secundo dicitur, quod illiberalitas magis opponitur per hoc quod est accipere, ubi non oportet & nulli dare cui oportet.

Quantum ad secundum articulum videndum est de quæsito principali. Pro quo notandum est, quod non intelligitur, utrum actualiter senes sint magis inclinati ad habita conservanda quam juvenes, & è contrà. *Secundus articulus. Notabile.*

Conclusio responsiva: secundum cursum naturæ senes sunt juvenibus illiberaliores. Probatur per Eust. dicentem, quod senes pluribus indigent, & pluribus impotentius naturalibus subjiciuntur, quàm juvenes: ergo ne natura deficiat in necessariis inclinat senes ad rem lucrandum. Secunda causa est, quia senes sunt magis experti de bonitate, vel malitia bonorum temporalium, quoad absentiam & potentiam, quàm juvenes. Tertia causa est, quia senes sunt magis experti circa varietates hujus mundi, quàm juvenes; & ideo juvenes non curant sic exponere pro illis vestibus. Quarta causa est, quia juvenes non habent prolem propter quam pecuniæ sunt observandæ, sicut senes. Et ob hoc vult Philosophus Quarto Ethicorum, quod prodigalitas satiatur. *Conclusio responsiva.*

Ad rationes principales. Ad primam negatur illa: nam ad tales defectus pro quibus succurrendum est, pecunia *&c.* non sunt paria apud senes & juvenes; quia juvenes possunt vigere, & sunt potentes ad lucrandum quod non sunt senes. Et sic dicitur ad confirmationem: *Ad rationes principales.*

Ad secundam dicitur concedendo, quod juvenes magis vigent: sed negatur consequentia, quia multæ vires & aliæ causæ in juvenibus reperiuntur.

Ad tertiam dicitur quod bene concludunt, si non timerent defectus incurrere, qui removerentur pecuniis: modò sic non est in proposito.

Ratio post oppositum &c.

QUÆSTIO ULTIMA.

De medio virtutis moralis.

Quæritur ultimò. Utrum virtus moralis consistat in medio? *Arguitur.*

Et arguitur quod non: virtus moralis consistit in extremo. igitur. pa-

tet consequentia, & antecedens probatur: nam bonum & malum opponuntur: modo virtus est bonum, & bonitas.

Secundò sic: virtus attenditur penes ultimum in quod potest: ergo. patet consequentia, quia ultimum habet rationem extremi. & antecedens patet per Philosophum Primo cœli.

Tertiò sic: si sic esset, sequeretur quod virtutes non essent virtutes. Consequens est falsum: & patet consequentia, quia virtutes consistunt in extremo. Nam magnanimitas consistit circa honores maximos, & similiter magnificentia.

Quartò sic: sequitur quòd vitium in aliquo nunquam generetur nisi virtute prius habita in illo. consequens est falsum. & patet consequentia, quia dicitur Quinto Ethicorum; *medium est in quod transmutans prius transmutat, quam in extremum.*

Quintò sic, si sic esset, vel esset in medium rei, vel in medium quoad nos: sed nullum istorum dicitur. igitur. major patet, & minor probatur. Primò quòd non in medio rei, quia quod est in uno vitium, in alio est virtuosum: modo medium rei est idem apud omnes: nec secundum, quia consistit in caritate quæ est medium rei, ut patet satis. ergo sequitur propositum.

In oppositum. Oppositum patet ex intentione Philosophi Cap. 6. hujus. *Medium superabundantiarum laudamus, & dicimus prosequi optimè*, quod non esset verum, nisi virtus consisteret in medio. In quæstione erunt duo articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum, sciendum est primò, quod in proposito per medium intelligimus medium inter defectum vitiosum, & superabundantiam etiam vitiosam scil: quando aliquis vitiosè deficit vel superabundat.

Primum notabile. Secundò notandum est, quòd virtutem esse mediocritatem dupliciter intelligitur: uno modo quòd sit medietas habituum: alio modo quòd si medietas passionum.

Secundum. Secundo sciendum est, quòd virtus tripliciter consideratur: uno modo secundum essentiam: alio modo secundum bonitatem sibi attributam.

Virtus tripliciter consideratur

Tertium. Tertio notandum est, quòd duplex est medium. quoddam est medium rei, aliud est medium quoad nos.

Duplex medium.

Quartum. Quartò notandum est, quòd inter media rei & quoad nos triplex est differentia: prima est, quia medium rei est per æquè distantiam ab extremo: ut sunt quatuor inter duo & sex: sed medium quoad nos est, quod quoad nos non deficit, nec superabundat.

Triplex differentia inter media rei, & media quoadnos.

Secunda differentia est, quia medium rei est idem apud omnes: sed medium quoad nos non est idem apud omnes, & hoc declarat Philosophi. satis in Secundo Ethicorum: quia dicit quòd unus bos esset nimis pro uno homine: sed pro gigante non esset satis.

Tertia differentia est, quia medium rei requirit debita extrema, quia alias non esset medium per æquam distantiam ab extremo: sed non est medium quoad nos. Unde medium quoad nos potest sic describi. medium quoad nos est illud quod est debitè mensuratum & proportionatum secundum exigentiam omnium circumstantiarum nostræ dispositionis.

Descriptio rei quoad nos.

Quintum. Quintò notandum est, quòd virtutes non sunt dispositiones ut habetur Secundo Ethicorum, & hoc est, propter quatuor causas quas posuit Philosophus in

Propter quatuor

in eodem secundo, prima causa est nam habentes virtutes & vitia redduntur boni vel mali, propter eas, non autem propter passiones. Secunda causa est, quia secundum virtutes laudamur, & propter vitia vituperamur, non autem propter passiones. Tertia causa est, quia passiones non sunt nec conveniunt in nobis ex electione: sed bene virtutes morales. Quarta causa est, quia passiones insunt nobis motu caloris, & spirituum, & virtutes non. *virtutes non sunt dispositiones.*

Quantum ad secundum articulum, sit prima conclusio: virtus moralis secundum bonitatem sibi attributam non consistit in medio. Patet ista conclusio per rationem ante oppositum. *Secundum articulum. Prima conclusio.*

Secunda conclusio: virtus considerata secundum ejus substantiam non est medium, seu medietas inter passiones: probatur, quia omne tale medium debet esse de genere extremorum: modo virtus sic considerata non est hujusmodi, quia non est passio, ut satis patuit. *Secunda.*

Tertia conclusio: virtus considerata secundum substantiam ejus est medium passionum objectivè. id est, virtus moralis habet passiones refrenare, & est circa illas tanquam circa objecta: patet Secundo Ethicorum. *Tertia.*

Quarta conclusio: virtus considerata secundum substantiam ejus est medium inter extrema vitiosa, patet quia habet refrenare & mediare inter superabundantias & defectus, igitur. *Quarta.*

Quinta conclusio: omnis virtus moralis secundum quod virtus, est medium quoad nos seu consistit in medio quoad nos: probatur, quia virtus moralis consistit in illo quod est nobis mensuratum & proportionatum secundum exigentiam omnium circumstantiarum. Item habet regulare & refrenare passiones, & illud habet Arist. Quarto hujus cap. ultimo. *Quinta.*

Ad rationes. Ad primam conceditur major, si virtus consideretur secundum bonitatem sibi attributam. *Ad rationes.*

Ad secundam cum dicitur quòd virtus consistit in ultimo, conceditur unà cum aliis circumstantiis; & hoc est medium quoad nos.

Ad tertiam negatur consequentia. Unde dicitur quod licet isti habitus sint circa operationes extremas quoad magnitudinem operationum, non tamen quoad rationem. Nam magnanimitas inclinat ad maximos honores, sed hoc non est nisi quando oportet: & sic de aliis circumstantiis.

Ad quartam negatur consequentia, & ad probationem de medio Quinto Physicorum, dicitur quod intelligitur de medio per participationem extremorum, ut esset transmutatio de calidissimo in frigidissimum oportet transire per tepidum.

Ad quintam dicitur quòd consistit in medio quoad nos: quia unumquodque ens habet suum proprium finem in quem debet dirigi: modo ad hoc non possumus: nisi habeamus media per quæ nos possumus regulare actus nostros ut finem adipiscamur in vita perfecta & continuata.

Ratio post oppositum est pro dictis.

FINIS.

INDEX QVÆSTIONVM ET DVBIORVM EISDEM ANNEXORVM, SVPER OCTO Politicorum Libris Aristotelis, per capita distributarum apertissimus.

In primis super Primo Politicorum libro tituli quæstionum sunt sedecim.

Prima quæstio. Utrum bonum commune sit præferendum bono particulari sive privato? Pag. 1

Capita dubiorum quæstionibus annexorum sunt quinque.

Primum dubium. Utrum condemnatus ad mortem per principem licitè possit abire, si tempus & locum habeat. (3

Secundum. Utrum vinculatus posset frangere vincula, & licitè abire. 4

Tertium. Utrum si talli timeat mori, possit recedere juramento præstito. ibid.

Quartum. Utrum possit licitè pugnare contra principem, ut liberetur à morte. ibid.

Quintum Utrum licitè quis posset à defensione reipublicæ cessare, dum est actu defensor. 5

Secunda quæstio. Utrum in humana communicatione necessarii sint principatus specie distincti? 6. & ibi tractatur de speciebus principatuum. 8

Tertia quæstio. De Institutione civitatum. Utrum civitas sit à natura? 11

Tituli dubiorum sunt quatuor.

Dubium primum. Utrum homo habet naturalem appetitum ad illud, quod est sibi bonum & optimum. 13

Dubium secundum. Utrum communicatio civilis sit à natura. ibid.

Dubium tertium. Utrum omnis communicatio sit gratia alicujus boni instituta. ibid.

Dubium quartum. Utrum communicatio mariti & fœminæ in domo sit à natura. ibid.

Quarta quæstio. Utrum homo sit animal civile à natura? 16

Capita dubiorum sunt tria.

Primum. Utrum soli homini insit loquela. pag. 17. fin. & p. 18

Secundum. Utrum homini insit loquela à natura. ibid.

Tertium. Utrum homo sit animal magis gregale, quàm aliud animal. 19

Quinta quæstio. Utrum homo solitarius & incivilis inter omnia animalia sit pessimum animal? 20

Tituli dubiorum sunt tres.

Primum,

Primum. Utrum homo ſolitarius ſit veſter ſit melior inter omnes homines. (ibid.

Secundum. Utrum homo ſolitarius contemplativus ſit melior alijs hominibus. 22

Tertium. Utrum homo ſeparatus à lege, & juſtitia ſit peſſimum animalium. 23

Sexta quæſtio. Utrum aliquis homo ſit ſervus à natura? 24

Tituli dubiorum ſunt ſex.

Primum. Utrum ſecundum Theologicam veritatem concedendum ſit aliquem eſſe ſervum à natura. 27

Secundum. Utrum in ſpeciebus animalium aliorum ab homine ſit ſervitus à natura. ibid.

Tertium. Utrum ſi homo ſtetiſſet in ſtatu innocentiæ fuiſſet animalia homini deſervientia. ibid.

Quartum. Utrum ille qui deficit in aliquo bono ſit ſervus à natura illi, qui in eodem bono excedit. 29

Quintum. Utrum aliqui debeant dici ſervi à natura, vel Domini, ibid.

Sextum. Utrum homines debeant eſſe æqualiter ingenioſi. ibid.

Septima quæſtio. Utrum aliquis ſit de jure ſervus? 31

Tituli dubiorum ſunt tres.

Primum dubium. Utrum aliquis ſit de jure naturali ſervus. 33

Secundum. Utrum ratio principetur parti ſenſitivæ.

Tertium. Utrum aliquis ſit aliter ſervus, quam de jure naturali. 35

Octava quæſtio. Utrum ex bonis parentibus naſcantur boni filij? 36

Dubium unum. Utrum cuicunque natura dat animam nobilem, eidem det nobile corpus, & è contrà. 38. *art.* 3

Nona quæſtio. Utrum aliquis homo ſit nobilis, ſeu ingenuus à natura? 40

Tituli dubiorum ſunt tres.

Primum. Utrum datis duobus diſſimilibus in diſpoſitionibus corporis & animæ, quis illorum eſt magis eligendus in principem. 41. *art.* 1.

Secundum. Utrum filius ſit honorandus propter nobilitatem parentum. 43 *art.* 3

Tertium. Utrum nobilitas ſit quodammodo ex divitiis exterioribus. 44

Decima quæſtio. Utrum plantæ, arbores, & alia animalia ab homine ſint gratia hominis facta? 45

Capita dubiorum ſunt tria.

Primum. Utrum animalium vitæ diverſificentur ad diverſitatem ciborum, & herbarum. 47. *art.* 2.

Secundum. Utrum aliquis poſſit appetere malum. 48. *art.* 3.

Tertium. Utrum quodlibet animatum quolibet inanimato ſit nobilius. ib.

Undecima quæſtio. Utrum commutatio monetarum in politia bene facta ſit licita? 50

Hic agitur de cauſis & utilitate monetæ. 52

Secundum. Utrum inſtitutio pecuniæ in politijs ſit neceſſaria. ib.

Tertium. Utrum multitudo pecuniarum ſint vera divitiæ. ibid.

Dubia quædam ſunt de forma monetæ: aliqua de imagine & valore ſeu pondere. ib.

Dubium quartum. Utrum ad ſolum principem ſpectet mutatio monetarum. (54

Dubium tertium. Utrum ars campſoria in civitate ſit licita. 54 *art.* 3

Vbi quæritur etiam, utrum talis commutans licitè poſſit recipere plus quam det. 56

Duodecima quæſtio. Utrum uſura ſit licita? 57

Tituli dubiorum ſunt ſeptem.

Dubium primum. In quibus contractibus uſura committitur. 59. *art.* 2

Dubium ſecundum. Vtrum appeti-

tus

tus divitiarum sit in infinitum 60

Tertium. Vtrum recipiens pecuniam ad usuram peccet. 61

Quartum. Vtrum contractus per quem politiarum rectores orphanos & pupillos nutriunt per certum tempus post quod suam pecuniam recipiunt, sit licitus. 62

Quintum. Vtrum contractus quo pauperes vendant vina sua divitibus expectando per certum tempus, post quod plus valeret sit licitus. 63

Sextum. Vtrum contractus quo quis emit blada in herbis sit licitus. ibid.

Septimum. Vtrum contractus quo divites pauperibus vendunt blada vel vina credendo in anno futuro ipsa fore cariora, ut rebibeant sit licitus. ibid.

Decima tertia quæstio. Utrum in politia bene recta sit admittenda usura? 65

Capita dubiorum sunt quatuor.

Primum. Vtrum recipientes pecuniam ad usuram teneantur pactum servare de reddendo ultra sortem. 67. *art.* 2

Secundum. Vtrum per pactum & juramentum illud quod est illicitum, fiat licitum & debitum. 68

Tertium. Vtrum juramentum faciat licitum illud quod est illicitum. ib.

Quartum. Vtrum usura sit pejor illiberalitate, & de modis usurarum, & multa alia dubia. Circa materiam navigationis. Circa servitia. Circa societatem. Circa venditiones immobilium & mobilium. 69,70,71. *& multæ dubitationes circa materiam usurarum.* ibid. & 72

Quarta decima quæstio. Utrum virtuosus sufficienter præmietur ex sola virtute morali? 73

Tituli dubiorum sunt quatuor.

Primum. Vtrum quilibet teneatur homini virtuoso honorem tribuere in virtutis premium. 74

Secundum. Vtrum malum moraliter ex sua malitia sufficienter puniatur. (75. *artic.* 2.

Tertium. Vtrum pœnæ corporales sint vitæ hominis medicinæ. 76

Quartum. Vtrum fœlicitas sit præmium virtutis. ibid.

Quæstio decima quinta, Utrum usus camsoriæ sit contra justitiam? 78

Tituli dubiorum sunt duo.

Primum. Vtrum licitum sit pro locatione rei aliquam pecuniam recipere. 80

Secundum. Vtrum camsores percent recipiendo pecuniam pro usu pecuniæ: & alia dubia sunt de locatione domorum, equorum, indumentorum. ib.

Quæstio decima sexta. Utrum emere rem vilius, ut vendamus eam cariùs sit licitum? 81

Tituli dubiorum sunt quatuor.

Primum dubium de revocationibus faciendis per contractus injustos. 82

Secundum. Vtrum si venditor sciat vitium in re vendenda teneatur emptori revelare, vel non. 83

Tertium. Vtrum quis possit vendere rem minus eò quod pecunia est sibi præ manibus tradita, quàm si pecunia expectaretur. 83

Quartum. Vtrum facientes arma invasiva & enses illicitè agant. ibid.

LIBRI SECUNDI

Primæ quæstio. Utrum expediens sit in civitate mulieres esse communes? 85,

Capita dubiorum sunt tria.

Primum. Vtrum commixtio viri & fœmellæ sit à natura. 87

Secundum. Vtrum matrimonium sit de jure naturali, ib. *art.* 2.

Tertium. Vtrum commiscere carnaliter cum parentibus sit contra naturam, 89. *art.* 3.

Secunda

Secunda quæstio: Utrum jure naturali omnes possessiones sint communes. 91

Tituli dubiorum sunt octo.

Primum, Utrum civitati expediat civium possessiones esse æquales. 92. *art.* 1

Secundum. Utrum expediat omnia bona civitatis esse communia. 93

Tertium. Per quam legem sunt distincta dominia rerum. 96

Quartum. Utrum omnia esse communia sit præceptum de jure naturali ib.

Quintum. Utrum ars acquisitiva possessionum sit pars Oeconomiæ. 96. *art.* 3.

Sextum. Utrum vita pastoralis sit perfectior vita agriculturæ. 96 *art.* 3

Septimum. Quibus regulis licitum est acquirere possessiones secundum jus. ibid.

Octavum. Utrum legislator debeat permittere aliquem ditari in civitate, ibid.

Tertia quæstio. Utrum meliori lege inventa, sit antiqua lex ei incompossibilis abolenda. 99

Tituli dubiorum sunt septem.

Primum. Utrum subdito legi liceat eidem legi contrariari. 99 *art.* 1

Secundum. Utrum si nulla esset lex posita contingeret aliquem peccare. 101 *art.* 2.

Tertium. Utrum in politia licitum sit aliquid furari. 103. *art.* 3

Quartum. Utrum propter vitæ necessitatem licitum sit furari, puta vinum, vel panem, vel quid hujusmodi. 105

Quintum. Utrum si Sortes concedat Platoni equum suum ad eundum præcisè ad Sanctum Dionysium, & vadat per decem leucas ultra, an Plato furetur. ibid.

Sextum. Utrum si esset unus usurarius multum parcus & dives, & alius rapiat 10 libras de bonis suis, & det pauperibus, sit furtum. ib.

Septimum. Utrum si sint tres socii in taberna qui potent unum potum vini inter plures potos qui non sit solutus, utrū si vadant non soluto dicto poto, quilibet tenetur ad solutionem illius poti. ib.

Quarta quæstio. Utrum princeps possit injuriari alicui sive punire aliquem sine culpa. 106

Tituli dubiorum sunt quatuor.

Primum. Utrum Judex possit punire Sortem in casu quo esset justus, & accusaretur de homicidio per falsos testes. 107

Secundum. Utrum etiam innocentem quem scit innocentem, possit licitè Judex condemnare. ib.

Tertium. Utrum plus peccet Judex corruptus ferens iniquam sententiam, aut pars corrumpens. 108. *art.* 2.

Quartum dubium. Utrum subditus possit puniri propter delictum sui principis. 110. *art.* 3

LIBRI TERTII

Prima quæstio. Utrum quilibet homo in politia licitè possit sine peccato honorem appetere 113

Tituli dubiorum sunt duo.

Primum. Utrum inferior possit honorem etiam si præceptum sit recusare. 115

Secundum. Utrum superior licitè possit inferiorem cogere ad acceptandum honorem. 115

Secunda quæstio. Utrum in bellis justis licitum sit insidiis uti. 116

Dubium. Utrum homicidium in aliqua casu licitè possit fieri. 117

Tertia quæstio. Utrum melius sit politiam regi ab uno, quàm à pluribus, vel è contra. 118

Et additur huic quæstioni. Utrum tutius sit eam regi à divitibus, quàm à

pauperibus. 119

Quarta quæstio. Utrum melius sit civitatem regi bono principe sine lege, quàm bona lege sine principe? 120

Hic est dubium, Cui debet magis obedire subditus vel legi, vel principi, ubi lex & princeps discordant. 120

Quinta quæstio. Utrum consilium mulierum sit invalidum. 122

Hic est dubium. Quare mulier cui proponitur veritas aliqua melius judicat in prima consideratione, quàm si diu consideraret. 124

Sexta quæstio. Utrum res quantumcunque turpis sit de perfectione universi. 125

Ubi habetur de perfectione orbis. ib.

Septima quæstio. Utrum quanto quis plus abundat in bonis, debeat cæteris principari. 127

Hic agitur de ratione electionis principum.

Octava quæstio. Utrum condemnatus ad mortem per principem, licitè possit abire si oportunitatem reperiat. 129

Tituli dubiorum sunt quatuor.

Primum. Utrum homo condemnatus ad mortem habeat dominium supra corpus suum 131. *art.* 2

Secundum dubium, Utrum licitum sit in aliquo casu subtrahere rem alienam. 132

Tertium. Utrum in omnibus licitis subditus teneatur obedire suo superiori. ib.

Quartum. Cui subditus teneatur plus obedire, vel patri, vel principi præcipienti oppositum illius quod præcipit pater. 133

Nona quæstio. Utrum minùs sufficiens altero in honore & dignitate debeat velle præferri sufficientiori se. ib.

Hic habetur qualiter minus sufficiens in casu potest velle præferri sufficientiori se.

Decima quæstio. Utrum licitum sit principi occidere vitiosos, & malefactores. 135

Hic dubitatur. Utrum licitum sit persona privata occidere malos homines, 137. *art.* 2

Undecima quæstio. Utrum in casu licitum sit occidere innocentem, seu justum. 138

Hic dubitatur. Utrum licitum sit principi vel Judici interficere justum, quem scit esse justum, & etiam patet in quarta Quæstione Secundi Libri. 139. *art.* 2

Duodecima quæstio. Utrum expediens sit multitudinem eligere principem, & postea ipsum punire si deliquerit. 140

Hic agitur de modo eligendi & puniendi. 141, 142

Decima tertia quæstio. Utrum sex sint species politiarum & non plures, scilicet Regnum, Aristocratia, Timocratia, Tyrannis, Oligarchia, & Democratia. 143

Tituli dubiorum sunt duo.

Primum. Utrum communicatio Oeconomica consimilibus speciebus dividatur, sicut politica communicatio. 144. *art.* 2

Secundum: Quis istorum principatuum est melior & laudabilior, ubi tantum unus principatur, vel plures. ib.

Decima quarta quæstio. Utrum homo interficiens alium casualiter incurrat homicidii reatum. 145

Hic dubium est, utrum si aliquis interficiat hominem casualiter dando operam rei illicitæ, adhibitâ diligentiâ quantum potest ne mors alterius inde sequatur, petet. 146

Decima quinta quæstio. Utrum liceat hominem occidere se defendendo. 147.

Tituli dubiorum sunt duo.

Primum. Utrum defensio sui ipsius sit

sit licita. 147
Secundum. Vtrum in casu licitum sit seipsum interficere. 148. & 149. art. 3
Decima sexta quæstio. Vtrum liceat homini ad mortem condemnato contra Judicem se defendere, quatenus à morte liberetur. 150
Hic est unum dubium.
Dubium. Vtrum accusatus coram Judice de veritate dicenda possit licitè negare veritatem propter quam condemnaretur, si eam confiteretur. 150. 151. art. 3
Decima septima Quæstio. Utrum perhibere falsum testimonium in quocunque casu sit illicitum. 152
Dubitatur hic: Vtrum quis possit licitè revelare casum sibi commissum in secreto. 153
Decima octava Quæstio: Utrum ingenuitas sit virtus: ubi agitur de nobilitate & generositate. 155
Dubium. Vtrum quis propter nobilitatem sui generis sit honorandus, & in honoribus exaltandus: 156
Decima nona Quæstio. Utrum principatus debeant distribui secundum dignitatem divitiarum, sic quòd divites debeant citius promoveri ad principatum, quam pauperes. 157
Dubitatur hic. Posito quòd Sortes & Plato sint æqualiter virtuosi, unus tamen sit pauper, & alius dives, an dives debeat eligi, vel non. 158, 159
Vicesima Quæstio. Utrum homo excedens alios in aliquo bono in civitate sit dicendus incivilis. 159
Dubitatur hic. Vtrum excedens omnes alios in aliquo bono sit à civitate expellendus. 160
Dubitatur secundo, an amicitia sit inter bonos solum. 162
Vicesima prima Quæstio. Utrum in pecuniis consistant veræ divitiæ politicæ. 163
Dubitatur, qualiter divitiæ sunt appetendæ secundum dictamen rectæ rationis. 165
Vicesima secunda Quæstio. Utrum in illis in quibus lex non determinat, melius sit civitatem regi uno, vel pluribus, vel è converso. 165
Hic dubitatur. Vtrum alicui homini licitum sit judicare. 166
Vicesima tertia Quæstio. Utrum melius sit regem vel principem assumi per electionem, aut per successionem generis. 167
Ibi agitur de electione principum.
Vicesima quarta quæstio. Utrum ad bene vivendum moraliter necessarium sit ablatum per furtum restituere, aut per rapinam. 170
Hic dubitatur. Vtrum quicunq; alterum damnificavit teneatur alteri restituere illud in quo damnificavit eum 171
Secundò dubitatur. Vtrum ablatum debeat restitui illi à quo est ablatum. 172
Tertiò dubitatur. Vtrum ille qui abstraxit aliquid ab aliquo per rapinam teneatur immediatè ad restitutionem. ibid.
Vicesima quinta Quæstio. Utrum sit licitum homini vitioso hominem delinquentem corrigere. 172
Hic dubitatur: an ille qui corrigit alium debeat à correctione cessare, si aliter per hoc deterior fiat. 173
Vicesima sexta Quæstio. Utrum expediat in politia mulierem esse Judicem. 175
Hic dubitatur, an mulier teneatur obedire in omnibus viro virtuoso, & valet pro libro Oeconomicæ. ib.
Secundo dubitatur, An in aliquo turpi facto teneatur mulier obedire viro suo. 177
Vicesima septima quæ. Utrum sit licitum in politia bene recta Judici, reo pœnam relaxare. 179
Hic dubitatur: utrùm Judex possit

relaxare pœnam alicui innocenti Reip. (180

Hîc dubitatur utrum Judex posſit condemnare aliquem ſine accuſatione. ibid. *art.* 2.

LIBRI QUARTI

Prima quæſtio. Utrum judicium ferendum ſit ſecundum leges ſcriptas. 182

Hîc dubitatur. Utrùm licitum ſit judicare per ſuſpicionem. 184. *art.* 2.

Secunda quæſtio. Utrum inter omnes politias Tyrannis ſit peſſima. 185

Dubitatur hîc. Utrùm politicus habeat ſe intromittere de legibus. 186. *art.* 2.

Tertia quæſtio. Utrùm in aliquo caſu licitum ſit iraſci. 187

Hîc agitur de ſpeciebus iræ.

Quarta quæſtio. Utrum adulatio ſit mala & illicita. 190

Ibi agitur de bonitate & malitia actuum.

Quinta quæſtio. Utrùm expediat in civitate mulieres facere contractus civiles. 192

Ubi agitur de officiis viri & mulieris. & valet pro primo libro Oeconomicæ.

Dubitatur primo. Utrum liceat mulieri facere contractum civiles, quando videt virum ſuum Idiotam, ne pereat domus. 194

Secundò dubitatur. Utrùm poſſit quandò vir eſt abſens. 195

Sexta quæſtio. Utrum ad perfectionem principantis requiratur dilectio politiæ, & potentia. 195

Agitur de dilectione politiæ & de potentia principantis multiplici.

Septima quæſtio. Utrùm juramentum in quolibet contractu ſemper obliget jurantem. 197

Hîc dubitatur primò. Utrùm ſi juramentum ſit de impoſſibili jurans peccet. 198

Dubitatur ſecundò. Utrùm juramentum de illicito ſit obligatorium, puta quando vertitur in exitum deteriorem. 199

Dubitatur tertiò, Utrum juramentum per coactionem, & violentiam factum ſit obligatorium ad complendum, de quo juratur. ibid.

Octava quæſtio. Utrùm in politia bene recta divinatio ſit permittenda, aut admittenda 200

Agitur hîc de differentia revelationum, prænunciationum, & divinationum.

Nona quæſtio. Utrum licitum ſit in politia bene recta ſervos otioſos nutrire, & admittere? Et valet pro ſecundo libro Oeconomicæ. ubi dicit Ariſt. quòd Oeconomicus non debet dare ſervis victum ſine labore. 201

Ubi agitur de variis modis ſervitutis.

Decima quæſtio. Utrum in regimine bonæ politiæ licitum ſit juramentum præſtare. 204

Agitur hîc de cauſis inſtitutionis juramenti.

Quæſtio undecima. Utrum in politia bene recta ambitio eſt permittenda. 206

Agitur hîc de diſcrepantia horum nominum, magnanimus, præſumptuoſus, & ambitioſus.

Duodecima quæſtio. Utrum in bono regimine bonæ politiæ homo cuilibet alteri benefacienti ſibi teneatur gratias agere. 208

Dubitatur hîc utrum homo ſuo benefactori confeſtim teneatur ad regratiandum, & beneficium collatum recompenſare. 210. *art.* 2.

Decima tertia quæſtio. Utrum modus Democratiæ, ubi totus populus principatur ſecundum propriam intentionem.

tionem, & non ſecundum leges, ſit politia ſimpliciter. 211

Agitur hic de quatuor modis politiæ Democratiæ.

Primum dubium. Vtrum ad rectam politiam requirantur leges ſecundum quas ordinetur. 212

Decima quarta quæſtio. Utrum in principatu nuptiali bene ordinato vir & uxor debeant eſſe unanimes? *Et valet pro Secundo Oeconomicæ.* 213

Ibi agitur de principatu nuptiali.

Decima quinta quæſtio. Utrum omnis ebrietas ſit peccatum, & vitium. 216

Hic dubitatur. Vtrùm ebrietas excuſet à peccato, ubi ebrius tempore ſuæ ebrietatis lædit aliquem enormiter. 217

Decima ſexta quæſtio. Utrum in regimine politico vel Civili ſolus Rex vel Princeps habeat vim legis coercivam. 218

Hic dubitatur. Vtrum ſermones multum conferant ad virtutum acquiſitionem. 219

Decima ſeptima quæſtio. Utrum in regimine politico amicitia ſit cauſa pacis. 221

Agitur hic de modis amicitiæ.

Dubitatur primò. Vtrum pax exiſtat inter aliquos cum culpa & vitio. 222

Decima octava quæſtio. Utrùm in judicio ſemper interpretanda ſint dubia in meliorem partem. 223

Dubitatur utrùm omne ſcandalum ſit peccatum. 225

Secundò. Vtrùm quis poſſit eſſe perplexus inter duo mala. 226

Tertiò utrum ſcandalum ſit peccatum ſpeciale, vel non. ibid.

Decima nona quæſtio. Utrum beneficiatus in politia bene recta debeat magis recõpenſare benefactori, quàm amico, vel è contra. 227

Dubitatur primò. Si aliquis beneficiatus habeat amicum virtuoſum, & ſcit quòd ſuus benefactor ſit magis virtuoſus, quàm iſtorum eſt præferendus in recompenſatione. 229

Secundò. Si æqualiter eſſent virtuoſi, tamen benefactor habuit pactum cum beneficiato, quòd iſtorum potius recompenſandus eſt. ibid.

Tertiò. Si pater & benefactor eſſent in æquali neceſſitate conſtituti, cui filium beneficiatus teneatur priùs recompenſare. ibid.

Quartò. Cui magis tenetur recompenſare in neceſſitate, vel virtuoſo, vel amico. ibid.

Quæſtio viceſſima. Utrùm ingratitudo ſit vitium & toti politiæ nocivum. 230

Hic agitur de gradibus gratitudinis & ingratitudinis.

Hic dubitatur utrùm ingrato ſit beneficium ſubſtrahendum. 232. *art.* 2.

Secundò dubitatur. Vtrum vitioſus debeat recompenſare illi qui auxiliatus eſt ei in malè agendo & peccando. 233

Tertiò dubitatur. Vtrùm ebrietas eſſet mala, poſito quòd non eſſet prohibita ab aliqua lege. 234

Quæſtio viceſſima prima. Utrum homini civiliter viventi expediat habere plures amicos. 234

Dubitatur. Vtrum expediat in civitate omnes homines eſſe virtuoſos. 236

Quæſtio viceſima ſecunda. Utrum in bona politia vir debeat magis viduam ducere in uxorem, quàm virginem, vel è contrà. 236

Hic diſtingitur de modis virginis & viduæ.

Quæſtio viceſima tertia. Utrum in humana communicatione unus homo poſſit alteri maledicere. 239

Hic agitur de maledictionibus.

Quæſtio viceſima quarta. Utrum quis de illicitè acquiſitis poſſit alteri ſubvenire. 241

Dubitatur hìc utrum ille qui eſt ſub alterius poteſtate ſubditus poſſit elee-

uoſynas facere. ibid.

Quæſtio viceſima quinta. Utrum in politia bene recta virginitas ſit licita. 243

Primò dubitatur. Vtrùm aliquis poſſit facere licitè in aliquo caſu contra vtilitatem illius quòd ſub præcepto cadit. 244

Secundò dubitatur. In quo conſiſtit vera virginitas. ibid.

Tertiò dibitatur. Vtrum per delectationem ventris corrumpatur virginitas. 245

LIBRI QUINTI

Prima Quæſtio. Utrum omnis ſeditio in ciuitate eſt vitioſa, & vitanda? 246

Agitur hic de rationibus horum terminorum bellum & rixa.

Dubitatur utrum omnis rixa ſit vitioſa. 247

Secunda quæſtio. Utrum ſollicitudo circa bona temporalia ſit licita? 248

Agitur hic de materia bonorum temporalium.

Tertia quæſtio. Utrùm diſſimilitudo ciuium ſit cauſa diſſentionis in politia, aut in ciuitate? 250

Dubium utrum pax ſit finis ciuitatis. 252. *art.* 2.

Quæſtio quarta. Utrùm in politia vindicatio ſit licita? 253

Dubitatur hic utrum unus pro alio juſtè puniripoſſit, & agitur de punitione ſpirituali, & temporali. 254. *art.* 2.

Quinta quæſtio. Utrùm locus ſit cauſa ſeditionis vel diſſentionis in politia bona? 255

Et hic agitur de origine ſedionum in ciuitatibus.

Sexta quæſtio. Utrùm Tyrannis alicui homini ſit expediens? 257

Et hic agitur de principatu Tyrannico, & Deſpotico.

Septima quæſtio. Utrùm ille qui peccat contra politiam ex certa malitia grauiùs peccet, quàm ille qui peccat ex paſſione. 259

Dubitatur. Vtrùm paſſio totaliter excuſet à peccato. 260. *art.* 2.

Octava quæſtio. Utrùm omnes homines legibus humanis ſubjiciantur politiarum? 261

Hic dubitatur utrùm rectores ciuitatum in legibus humanis poſſint diſpenſare? Vbi agitur de diſpenſatoribus & diſpenſationibus. ibid.

Nona quæſtio. Utrùm lex humana licitè & juſtè poſſit mutari? 264

Hic dubitatur. Vtrùm conſuetudo habeat vim legis. 265. *art.* 2.

Dubitatur ſecundò. Vtrùm per conſuetudinem lex humana valeat aboleri, ibid.

Decima quæſtio. Utrum effectus legis ſit facere homines bonos, ſic quòd lex tales faciat? 267

Hic dubitatur quot ſunt actus principales legis, & qui ſunt illi. 268

Dubitatur ſecundò. Vtrum præmiare & conſulere ſint actus legis. ibid.

Quæſtio undecima. Utrùm vivere inordinatè ſit multùm delectabile. 269

Dubitatur primò. In quo conſiſtit principaliter vita inordinata & voluptuoſa, & utrum omne vitium ſit contra naturam. 271

Dubitatur vltrà utrùm definitio peccati ſit bona, in qua dicitur, eſt dictum vel factum. *Et hic agitur de vitio peccati & malitia, & etiam bonitatis.* 271

Duodecima quæſtio. Utrùm multitudo paſtoralis ſit melior ad politizandum, quàm multitudo ciuilis. 273

Hic dubitatur, utrùm beatitas poſſit homini eſſe. ibid.

Decima tertia quæſtio. Utrùm in politia licitum ſit artibus magicis uſum, fidem,

fidem, ſtudium adhibere? 276
Dubitatur hic. Vtrum poſſibile ſit eundem actum eſſe bonum & malum. (278
Secundo dubitatur. Vtrum divinatio quæ ſit per aſtra ſit licita. 280
Tertio dubitatur. Vtrum per artem Magicam homo poſſet novas res producere, vel unam rem in aliam convertere. 281
Quarto dubitatur. Quot ſunt genera divinationum. 282. art. 3
Et hic ponuntur tria genera divinationum: ſcil. unum ad Necromanticos, aliud ad Augures, & tertium ad Sortilegos. ibid.
Quæſtio decima quarta. Vtrum divinatio quæ ſit per ſomnia ſit licita? 282
Agitur hic de cauſis ſomniorum.
Quæſtio decima quinta. Vtrum peccans ex ignorantia invincibili contra politiam, à peccato excuſetur? 284
Hic dubitatur. An omnis malus ſit ignorans. 286
Et hic quæritur de ebrio, an excuſetur à peccato. ibid.
Decima ſexta quæſtio. Vtrum homo debeat patienter ſuſtinere contumelias ſibi illatas? 287
Agitur hic de differentia horum nominum contumelia, convitium, improperium.
Decima ſeptima quæſtio. Vtrum virginitas quæ eſt virtus moralis in politia bene recta ſit licita? 289
Primum dubium. Vtrum virginitas ſit virtus moralis. 291. art. 1
Secundum. Vtrum virginitas ſit præferenda conjugali caſtitati. 293. (art. 3.
Decima octava quæſtio. Vtrum omnis actus voluntatis quem princeps circa regimen politicum eligit ſit bonus aut malus? 295
Sed hic dubitatur. Vtrum actus exterior ſuper actum interiorem elicitum addit bonitatem, vel malitiam, aut non. 296
Decima nona quæſtio. Vtrum lex talionis ſit juſta ſimpliciter, & in contractibus humanis legaliter obſervanda? 298
Dubitatur hic. Si aliquis interficiat principem, & alter unum gartionem, an æqualiter eſſent puniendi. 299
Quæſtio viceſſima. Vtrum virtuoſe viventes, & civiliter debeant quandoque verecundari? 300
Agitur hic de modis verecundiæ.
Quæſtio viceſſima prima. Vtrum in bono regimine politico amicitia ſit præferenda juſtitiæ? 302
Primum dubium. Vtrum ille plus peccet, qui rem ſubſtrahit domino ſciente, vel non ſciente. 303
Nota multas conditiones amicitiæ.
Secundum. Vtrum furtum in aliquo caſu ſit licitum. 305
Tertium. Vtrum inter ſolos virtuoſos reperiatur amicitia. 306. art. 2.
Quartum. Vtrum omnia bona amicorum debeant eſſe communia. 307
Quintum. Vtrum actus juſtitiæ ſit alteri tribuere quod ſuum eſt. 309. (art. 3.
Sextum. Vtrum juſtitia ſit principaliſſima virtus. ibid.

LIBRI SEXTI

Prima quæſtio. Vtrum humana voluntas in actu ſuo difficultari poſſit? (312
Primum dubium. Vtrum ſi homo potens facere duo bona, quorum unum eſt alio majus: ſi minùs faciat, vitioſè agat. 313
Secunda quæſtio. Vtrum ad rectè principandum requiratur ſcientia in principante? 315

Hic

Hic dubitatur. Vtrum ad rectitudinem humanorum actuum, & ad directionem vitæ humanæ requirantur virtutes cum prudentia. 315

Etiam dubitatur hìc: quomodo differunt activa vita & contemplativa, & qualiter contemplativa est excellentior altera. 317

Tertia quæstio. Vtrum agricultura sit homini naturalis? 319

Hìc dubitatur. Vtrum homo naturaliter sit civilis aut socialis. 321. (*art.* 2.

Secundò dubitatur. Vtrum possit licitè homo vitam solitariam eligere. ib.

Quarta quæstio. Vtrum Butrapeli in civitate bene recta sint permittendi. Intelligendo per Butrapelos homines bene se habentes circa ludos? *Et hic agitur de diversis modis ludorum.* 322

Quinta quæstio. Vtrum principantes in Oligarchia ordinent consilium suum in bonum Oligarchiæ? 325

Hìc dubitatur. Vtrum consiliabile sit objectum consilii. Et inquiritur utrum consilia sint de his quæ eveniunt à casu, vel à natura. ib.

Sexta quæstio. Vtrum electio personarum contra justitiam distributivam sit peccatum? 327

Hìc dubitatur. Vtrum ad principandum semper sint assumendi meliores. Et agitur etiam, utrum Deus possit esse acceptator personarum. 328

Septima quæstio. Vtrum quis possit esse perplexus inter duo mala? 331

Et hic agitur quis possit esse perplexus inter duas culpas mortales, ut Judæi crucifigentes Christum. 333

Octava quæstio. Vtrum licitum sit ad conservationem civitatis justas sententias demandare executioni? 334

Hic dubitatur primò. Vtrum licitum sit in aliquo casu se ipsum interficere. (335

Secundò dubitatur. Vtrum licitè Judex possit ferre sententiam contra illum qui non est subditus sibi. 336

Tertiò dubitatur. Vtrum subditus auctoritate sui superioris possit compelli ad detegendum secretum sibi commissum. ibid.

Quartò. quæ & qualis sit justa sententia, & de conditionibus ejus. ibid.

Quintò dubitatur. Vtrum quicunque est causa injustæ acceptationis secundum justam sententiam teneatur ad restitutionem. 337, 338

Sextò. Vtrum executor justitiæ possit aliquem incarcerare, mutilare, vel occidere. 338

SEPTIMI LIBRI

Prima quæstio. Vtrum fœlicitas humana consistit in bonis exterioribus? 340

Et ponuntur hic acceptiones fœlicitatis.

Secunda quæstio. Vtrum humana fœlicitas consistat in voluptatibus, vel in aliquo bono corporis? 342

Et hic ponit differentiam inter hæc duo nomina delectatio & voluptas. ib.

Tertia quæstio. Vtrum fœlicitas humana in opere, aut in virtutis opere consistat? 345

Hic dubitatur. Vtrum fœlicitas sit eligibilissima. 358. *art.* 3.

Secundò dubitatur. Vtrum cessans ab opere fœlicitatis compulsus necessitate naturali, ut puta somno, aut comestione, dicatur miser. ibid.

Tertiò dubitatur. Vtrum possibile sit ex habitu malo bonam operationem elicere. 359

Quarta quæstio. Vtrum humana fœlicitas sit realiter delectatio? 360

Tituli dubiorum sunt quatuor.

Primum. Vtrum unus fœlix sit alio fœlice fœlicior. 362. *art.* 2.

Secundum.

Secundum. Utrum fœlicitas humana sit amissibilis. 363
Tertium. Vtrum omnes homines appetant fœlicitatem. ibid.
Quartum. Vtrum fœlicitas insit homini à principio, quo sit fœlix usque ad finem vitæ. 364
Quinta quæstio. Utrum fœlicitas humana consistat in actu intellectus, vel voluntatis, pura utrum sit volitio, vel cognitio Dei? 364
Hic dubitatur Primò. Vtrum voluntas sit magis potentia libera, quàm intellectus, aut è contra. 366
Secundò dubitatur. In quo consistit principaliter fœlicitas hominis. 369
Tertiò dubitatur. Vtrum fœlicitas speculativa sit melior fœlicitate practica. Et hic tractatur, quomodo vita civilis & practica est utilior speculativa. 372, 373
Sexta quæstio. Utrum ex dispositione regionis habeant homines quod malè politizent? 375
Hic agitur per quæ est sumenda dispositio alicujus regionis. 376
Septima quæstio. Utrum habitantes in regionibus mediis temperatis sint optimè politizantes, sive principantes? 378
Agitur ibi de differentia hominum diversarum regionum in moribus, & vita. 378, & 379
Octava quæstio. Utrum in politia usus armorum sit licitus? 380
Agitur hic de generibus pœnarum. ib.
Primò dubitatur. Vtrum vindicatio qui fit per pœnas consuetas sit licita. 381
Secundò dubitatur. Vtrum mors infligatur in medicinam. 382
Nona quæstio. Utrum sacrificare Deo sit naturale homini? 382
Hic dubitatur primò. Vtrum soli Deo sacrificia sint offerenda. 384 *art.* 2
Dubitatur secundò. Vtrum ad omnes homines spectet Deo sacrificare? & ibi agitur de diversis modis sacrificiorum &c. 385
Dubitatur tertio. Quot sunt genera eleemosynarum spiritualium. 386
Dubitatur quartò. Vtrum eleemosynæ spirituales sint potiores corporalibus. ibid.
Decima quæstio. Utrum in cultu divino possit esse superfluitas? 387
Undecima quæstio. Utrum vacando circa divinum cultum expediens sit orare Deum? 390
Dubitatur primo. Quare Deus ordinavit aliqua dare mediantibus orationibus. 391
Dubitatur secundo. Vtrum solus Deus sit orandus. ibid.
Dubitatur tertio. Vtrum in oratione debeamus aliquid determinatè petere. 392
Dubitatur quarto. Vtrum licitum sit bona temporalia petere. ibid.
Dubitatur quinto. Vtrum licitum sit orare pro inimicis; & utrum cadat sub præcepto. ibid.
Duodecima quæstio. Utrum homo possit assuefieri ad oppositum illius ad quod inclinatur? 394
Dubitatur primo. Vtrum aliquis è naturali inclinatione sit bonus aut malus. 395
Secundo. Vtrum virtus insit homini à natura. ibid.
Tertio. Quæ potentia est assuefactibilis, & quæ non. 399
Quæstio decima tertia. Utrum subditus cognoscens quod princeps vult eum punire ex rancore motus debeat ei obedire? 400
Primò dubitatur. In casu quo subditus esset dignus pœna, quam suus superior ei imponit, quid agere debeat. 400
Secundò dubitatur Utrum subditus teneatur obedire suo superiori præcipienti,

cati, etiam in illis, in quibus est suus subditus. ibid.

Tertiò dubitatur, quid sit obedientia, ib. *Item præcipiat pater Joh. quòd vadat ad coquinam ad decoquendum carnes, & princeps præcipiat ei tunc quod vadat quæsitum aquam ad lavandum manus, cui tenetur obedire.* ib.

Dubitatur quartò. Quomodò salvabitur quod obedire sit gratuitum & meritorium. ibid.

Sed si princeps præcipiat quod vadat ad bellum, & pater quod vadat ad ignem, quid faciet. ibid

Etiam dubitatur. Utrum in omnibus teneatur homo obedire Deo. 403

Quæstio decima quarta: Utrum matrimonium cadat sub præcepto? 404

Hic dubitatur. Utrum matrimonium sit de jure naturali. ib. art. 1.

Secundo dubitatur. Utrum matrimonium sit inter animalia bruta, 406

Quæstio decima quinta. Utrum adulterium sit de se malum. ibid.

Dubitatur hîc. Utrum simplex fornicatio sit de se mala. 407. art. 1.

Dubitatur secundò, quis plus peccat adulterando aut vir, aut mulier. 407

Dubitatur tertiò. Utrum quod est secundum se malum, ut furtum, & homicidium, possit bene fieri. 408

Quæstio decima sexta. Utrum adhibere studium circa cognitionem veritatis sit virtuosum. ibid.

Hic agitur de tribus virtutibus scil. temperantia, modestia, & studiositate.

Unicum dubium Utrum circa cognitionem sensibilium sit studiositas. ibid.

OCTAVI LIBRI.

Prima quæstio. Utrum juvenes sint idonei auditores Scientiæ Moralis. 411

Dubitatur. Cum juvenes sint idonei auditores Scientiæ Speculativæ, quare non Scientiæ Moralis? 412

Quæstio secunda. Utrùm advocatus pro patrocinio alicujus causæ alicui impenso possit licitè pecuniam recipere. 413

Hic dubitatur. Utrum defendendo causam injustam peccet. 414. art. 1.

Tertia Quæstio: Utrum socius teneatur defendere socium, si possit. 415

Dubitatur. Utrum obligatio diminuat quodammodo, de bonitate actus, 416. art. 1.

Secundò dubitatur. Utrum ad solos superiores pertineat delinquentem corrigere. ib. art. 2.

Tertiò dubitatur. Si Judex vel superior esset eodem vitio infectus sicut inferior, quid habet facere. 418

Quarto dubitatur: Si Judici esset notorium quòd accusatus coram eo esset innocens de delicto sibi imposito, & tamen probaretur ejus nocentia per testes apparentes fide dignos, quid esset agendum. 419

Quintò dubitatur. Utrum superior videns clericum verberari, & ipsum non defendens si commodè posset, plus peccet, quàm si esset æqualis illi clerico qui injuriam pateretur. ibid.

Sextum dubium. Utrum quis possit licitè pecuniam recipere ex pacto pro illo quod posset gratis facere. ib.

Septimum dubium. Utrum medicus teneatur infirmum gratis curare. ibid.

Octavum dubium, Utrum quis teneatur bonum alterius procurare propriis expensis & sumptibus. ib.

Nonum dubium. Utrum quis possit cogi ad benefaciendum. 420

Quæstio quarta. Vtrùm virtus moralis sit circa delectationes & tristitias. 420

Hic agitur de materia duplici virtutis. ib.

Quinta Quæstio, Utrum universitati moralis

ti mortalium expediat quòd universo sit unus solus sæcularis princeps. 422

Primum dubium. Utrum ignorantia juris naturalis sit cuilibet damnabilis, & vitiosa. 425. *art.* 2.

Secundum dubium. Utrum ad principem sæcularem & nulli alteri subditum pœnæ sint arbitrariæ. ib. art. 3.

Tertium dubium. Utrum princeps absolutè & simpliciter pœnam alicui pro peccato suo infligendam possit remittere. 426

Quartum dubium. Utrum sit licitum fidelibus cum infidelibus conversari & habitare. ib.

Quintum dubium. Utrum expediens esset regimen in statu naturæ lapsæ esse consimile in statu integræ seu non lapsæ. 427

Sextum dubium, Utrum expediret idem esse judicium quoad regimen de totali mundo, & de regimine partiali. ibid.

Sexta quæstio. Utrum senes de communi cursu naturæ sint illiberaliores juvenibus. 427

Hic dubitatur, an prodigalitas sit pejor illiberalitate, aut è contra. 428. *art.* 1.

Secundò dubitatur. Quomodo prodigalitas & illiberalitas possint simul stare, & quod sint extrema. ib.

Septima quæstio. Utrum virtus moralis consistat in medio. 429

Et agitur de multiplici medio virtutis. 430

FINIS.



U* 6.2 (E)

U * 6. 2.

IOHANNIS BVRIDANI PHILOSOPHI TRECENTIS RETRO annis celeberrimi

QVÆSTIONES IN OCTO LIBROS POLITICORVM *ARISTOTELIS.*

UNA
CVM INDICE QVÆSTIONVM
Dubiorúmque eiſdem annexorum
locupletiſſimo.


BIBL. CAPIT. COLON.

OXONIÆ,
Excudebat GUILIELMUS TURNER.
M. DC. XL.

LIBR.
CANT.



Academiæ Cantabrigiensis
Liber



505.02

LIB.
CANT.

Joh. Colbatch, S.T.P.
Trin. Coll. Cant. Socius Sen.

W. S. fec.

GVILLERMI BATEREL PARISIANI AD BENIGNVM LECTOREM EPIGRAMMA.

Si sacra Canonici placeant decreta Senatus,
Aut quæ Romulei jura dedere patres,
Altaque politicæ delectent dogmata normæ,
Et quod diva parit Philosophia decus:
Suspice melliflvum gratanti fronte volumen:
Chalcographus superâ quod renovavit ope.
Nam primos aditus sanctarum & semina legum
Edocet: ac facili ducit ad alta viâ.
Quicquid alit regalis amor, quid sæva Tyrannis
Obruit, aut plebes seditiosa vorat.
Cur pereat commune bonum, quo publica frano
Res ad tranquillum sæpe trahatur iter;
Candide sub claro cognosces ordine lector,
Si sub hoc abstrusum codice dogma legas.
Quare eme: dehinc emptum legites: intellige lectum:
Et modicus referet commoda multa labor.
Sic tua fælices attingent carbasa portus:
Et tuâ patriam dexteritate reges.
Hoc cape: jam cunctis quod parva pecunia donat:
Nil timeas syrtes: hoc duce prosper abi.

DEO GRATIAS.

IOHANNIS GIRODI CROSETANI AD GUILLERMUM BATEREL amicorum fidelissimum Carmen.

HUc propera, & rapido celeratos impete gressus,
Jam BURIDANÆI *flecte per arva soli.*
Qui quondam sterili fuerat suppressus arenâ,
Fœcundus vario gramine floret ager.
Spinosos frutices tellus inculta ferebat,
Quos duro evulsit fessa ligone manus.
Sic tribulus, lóliumque nocens sic aruit herba;
Istáque sunt trunco germina adempta pede:
Et nunc flava Ceres, spicas, bacchúsque latos
Vitis agit floret: nardus odora viret.
Palladio fragrans vestitur campus honore;
Quem sacra Pegaseo flumine turba rigat.
Hic sub legifera maturos arbore fructus
Invenies: & quæ semina jura ferant.
Quare age Cæsareas leges, Guillerme, *salutans:*
Ista legas avidus lilia: jamque vale.

DE

DE BONORVM ELECTIONE.

Incipiunt quæstiones breves & perlucidæ, super Octo Libris Artis Politicæ ab Aristotele *confectis, quæ Moralis Disciplinæ partem, utriusque juris Ecclesiastici scilicet, & Civilis promiscuè exstringunt.*

QVÆSTIO I.

CIrca primum librum Politicorum *Aristotelis* talis movetur Quæstio. Utrùm bonum commune sit præferendum bono particulari, sive privato? Arguitur primò quòd non, nam si sic esset præferendum, sequeretur quòd homo secundum dictamen rectæ rationis deberet velle perdere fœlicitatem propriam, propter utilitatem boni publici: Consequens est falsum, quia hoc esset contra charitatem: Et probatur consequentia ex eo quòd fœlicitas & virtutes sunt bona privata, & particularia. *Arguitur.*

Secundò sic, quia sequeretur quod homo secundum dictamen rectæ rationis deberet dare thesaurum & hæreditates suas bono publico: consequens est falsum, & probatur consequentia, quia illud est commune bonum.

Tertiò sic, maximè homines curant bonum privatum & proprium secundùm Eustratium, & hoc non esset, nisi bonum proprium esset præferendum.

Quarto sic, si conclusio esset bona & vera, sequeretur quòd secundùm dictamen rectum latro deberet velle suspendi propter furtum suum. Consequens est falsum & contra charitatem & legem naturæ. Et probatur consequentia, quia est expediens reipublicæ quod latro suspendatur, ut amplius non furetur, cum sit in detrimentum reipublicæ.

In oppositum arguitur primò sic, commune, bonum bono particulari est multo nobilius & melius, igitur &c. patet satis consequentia. Antecedens probatur *In Oppositum.*

primo hujus, & primo Ethicorum, amabile quod uni soli, amabilius et utilius eo quod est omni genti & communitati.

Secundò sic, bonum communitatis est optimũ bonum inter omnia bona, igitur &c. patet consequentia. Et Antecedens probatur per illud Philosophi in primo hujus ille qui communitatem instituit fecit optimum bonum, & fuit maxime bonorum causa. Tertiò sic, homo debet præferre illud quod est sibi bonum & aliis, illi quod est sibi bonum tantùm. Sed sic est de bono communi. igitur &c. patet consequentia, & major satis nota est: & minor patet, quia omne bonum commune est bonum multis: & non bonum privatum. In ista quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur utrùm aliquis actus malus licitè possit fieri pro salute & tuitione patriæ. In secundo de quæsito principali. In tertio movebuntur dubia circa materiam.

Primus articulus.

Primum notabile.

Quantum ad primum articulum. Est notandum & supponendum quòd in nullo casu mala sunt facienda, ut inde bona eveniant. Ista suppositio patet auctoritate *Eustracii.* 3. *Ethicorum* qui dicit, Christiana religio fatetur non esse peccandum propter commodum consequendum.

Secundum.

Duplex actus malus.

Secundò notandum, quod actus mali sunt in duplici differentia: quidam sunt mali de se, ut odire Deum, tristari de bono alterius: & isti non sunt mali quia prohibiti, sed prohibiti quia mali, alii sunt mali eò quòd prohibiti, & non quia mali; sed illi possunt fieri licitè in aliquibus: ut desponsare cognatam, non jejunare die Veneris.

Tertium.

Tertiò notandum est quòd lex prohibens actum malum de per accidens, non intendit prohibere, ubi bonum publicum periret si non fieret. Ista suppositio patet, quia legislator semper intendit bonum publicum.

Prima conclusio.

His suppositis ponitur prima conclusio sive propositio. Actus malus primo modo, seu de per se, non licitè potest fieri pro defensione vel salute communi patriæ. Probatur sic, nam nullum malum est faciendum ut bonum eveniat, sed malum si fieret, fieret ut bonum inde sequeretur: igitur &c. Consequentia patet ex prima suppositione, & minor etiam.

Secunda.

Secunda propositio: Actus malus secundo modo licitè potest fieri pro defensione patriæ, vel reipublicæ: probatur, nam lex non prohibet quod fit in detrimentum patriæ vel reipublicæ: sed hoc dimittere esset detrimentum reipublicæ: igitur &c. patet consequentia, & major patet de se, minor probatur, quia aliquando detrimentum fieret si dimitteretur, ut si rex non posset habere alienam, expediret quòd haberet cognatam in uxorem.

Secundum articulum. Primum notabile.

Quantum ad secundum articulum restat respondere ad quæstionem. Unde sciendum quòd triplex est bonum, scilicet utile, delectabile, & honestum; & dicitur quòd illa non distinguuntur nisi ratione; quia virtus moralis potest dici bonum utile, delectabile, & honestum. quia prout est appetibile propter seipsum, esto quòd nullum bonum consequatur, dicitur bonum honestum. Si ut inde bonum sequeretur, dicitur utile. Sed prout est conveniens appetitui dicitur bonum delectabile: Unde sciendum quod triplicia sunt bona homini attributa: quædam sunt infima, ut sunt bona temporalia, divitiæ, & bona fortunæ; & illa sunt fortunæ subjecta: quædam sunt suprema, ut bona animæ, quæ sunt virtuosa: quædam sunt media, ut bona corporis, scilicet formositas, pulchritudo, sanitas. Et bona suprema, scilicet bona animæ sunt optima.

Quid bonum, honestum, utile, & delectabile.

Secundum triplicia hominis bona.

Tertiò,

Tertiò notandum quod in politia nos possumus invenire triplicia bona proportionabilia ad bona homini attributa; infima, ut possessiones & divitiæ. Alia sunt suprema, sicut fœliciras politica, ut sunt tranquillitas, pax, bona concordia: alia sunt media, ut sunt membra politiæ, uti sunt principes sæculares. *Tertium:*

Quartò, sciendum est & notandum, quod cum quæritur: utrum bonum commune dupliciter potest intelligi. Uno modo comparando bonum partiale privatum ad commune bonum partiale. Alio modo comparando bonum privatum totale, ad bonum commune totale. *Quartum.*

Quinto notandum, quod præferentes bonum commune privato bono, quidam sunt cives qui non habent regere in politia; alii sunt qui habent regere politiam, & tales debent bonum proprium negligere, & bonum commune si concigit procurare. His prædictis sunt ponendæ conclusiones. *Quintum.*

Prima conclusio; Bonum privatum honestum, ut virtus, fœlicitas propria, cuilibet bono communi est præferendum: probatur, nam homo virtuosus diligit bonum commune principaliter propter propriam virtutem, ergo magis diligit propriam virtutemt ergo &c. patet consequentia per regulam Topicorum, propter unumquodque tale. Secundò probatur, quilibet homo debet magis eligere secundum rectam rationem suum proprium bonum & salutem propriam simpliciter, quàm quodcunque aliud citra Deum: ergo &c. patet consequentia, & antecedens apparet, quia aliàs appeteret suam imperfectionem. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio, nullum bonum privatum aliud a bono honesto, est præferendum bono communi: probatur, quia appetere bonum totius communitatis est virtus, & virtus est præferenda bono cuilibet non honesto: igitur &c: patet consequentia, & major patet, & minor patet, quia non est honor condignus virtuti. Etiam confirmatur, quia dicitur 1. Ethicorum, quod bonum quanto communius, tanto melius est, & divinius: igitur &c. consequentia est nota. *Secunda.*

Tertia conclusio est, comparando bonum privatum partiale, & bonum commune partiale, bonum privatum est præferendum ab illo qui non habet politiam regere. Ista conclusio est de intentione philosophi, dicentis quod homo magis debet curare de bonis maximè propriis, quam de aliis. Secundo confirmatur, quia videmus quod justi viri magis curant de propriis. Et dicitur notanter, [si non habeat politiam regere,] quia talis debet negligere bonum proprium, & facere quandoque bonum commune reipublicæ. *Tertia.*

Quantum ad tertium articulum. Est movenda dubitatio circa tertium argumentum, ubi arguebatur, sequeretur quod latro, &c. utrum condemnatus per principem licitè possit abire, si locum & tempus habeat. Et arguitur primò quod non, quia condemnatus non habet dominium, nec sibi est corpus suum, immo est corpus suum principis, & politiæ: ergo &c. patet consequentia, quia talis condemnatus non habet magis suum corpus arripere, quod est principis, quàm aliquod aliud corpus alienum: & Antecedens probatur, quia postquam est condemnatus, tunc corpus suum est sub jure & dominio principis, vel politiæ. *Tertius articulus. Dubium primũ. Arguitur.*

Secundo, si sic, sequeretur quod non esset differentia inter condemnatum & non condemnatum: consequens est falsum ut patet, & consequentia patet per adversarium, quia condemnatus potest abire, similiter & non condemnatus.

Tertiò si sic, sequeretur quòd aliquis licitè posset justitiam velle non fieri, consequens est falsum, & patet consequentia de se.

Quartò ſic, ſubditus tenetur obedire principi in omnibus juſtis: ſed talis eſt ſubditus & ſubjectus: igitur &c. patet conſequentia, & major de ſe patet ex lege, & minor apparet, quia ipſe eſt ſubditus.

In oppoſitum. Oppoſitum arguitur, nullus poteſt licitè facere contra legem naturæ: ſed non evitare mortem ubi poteſt eſt contra legem naturæ: igitur &c. patet conſequentia, & major patet de ſe, quia natura in ſuis operationibus dirigitur ab agente infallibili: minor patet, quia omne ens appetit ſuam perfectionem & permanentiam.

Primum notabile: duplex princeps. Pro cujus evidentia eſt notandum quòd duplex eſt princeps in politia, videlicet princeps ſupremus, ut rex, dux, vel imperator in politia. Et alius infimus, ut balivus, vel vicecomes, & de utroque intellige.

Secundum: judicari dupliciter. Secundo notandum quod aliquis poteſt judicari ad mortem dupliciter. Uno modo juſtè, alio modo injuſtè.

Tertium: jus in re tripliciter. Tertio notandum, quod aliquis poteſt habere jus in aliqua re tripliciter: uno modo quod habeat proprietatem, licet non habeat uſum: ſecundo modo quod habeat uſum, non tamen proprietatem: tertio modo habendo uſum, & proprietatem. Exemplum primi, ut quando aliquis habet domum alteri conductam. Exemplum ſecundi, ut ille qui conducit domum alterius. Exemplum tertii, ut utens domo propria.

Quartum. Quarto, ſciendum eſt quod ſi aliquis ſit condemnatus ad mortem juſtè, licet non ſit vinculatus, habet jus & dominium quantum ad proprietatem, & non

Quintum. quantum ad uſum in corpore ſuo. Et ſi ſit injuſtè condemnatus, & ſi ſit vinculatus, habet dominium, & uſum, & proprietatem. Quinto notandum, quod

Concluſio prima. quilibet debet præſervare proximum ſuum à vitio quantum poteſt, quia illud eſt præceptum divinum. Conſequenter ponuntur aliquæ Concluſiones. Prima, ſi ſit aliquis condemnatus injuſtè, ipſe poteſt licitè abire, ſi locum & tempus habeat, imo tenetur. Probatur primò, quod licitè, quia ſic non facere hoc eſt facere contra legem naturæ, quod imo tenetur probatur, quia tenetur præſervare proximum a vitio ubi poteſt: Modò ſi talis qui poſſet evadere, ſi non evaderet non præſervaret proximum a vitio, ſc: principem.

Dubium Primum. Sed tunc dubitatur: Utrum vinctus poteſt licitè frangere & diſrumpere vincula. Ad hoc reſpondetur quòd ſic, quia talis princeps non habebat aliquod dominium ſupra corpus ſuum, nec ſecundum uſum, nec ſecundum proprietatem.

Secundum. Secundò dubitatur, ſi talis timeat mortem & recedat ſub juramento revenien-di, utrum teneatur redire ad carceres: reſpondetur, ſecundum quoſdam, quod non tenetur redire; quia juramentum eſt illicitum; & ideo non eſt tenendum, quia licitum eſt in omnibus legem falſam abſcindere: dicunt etiam aliqui quod licitè poſſet permanere.

Secunda concluſio principalis. Secunda concluſio, condemnatus ad mortem juſtè licitè poteſt abire ſi locum & tempus habeat: probatur primò per rationem poſt oppoſitum, quia talis peccat contra legem naturæ. Sed ſi dicatur, quod talis non habet jus & dominium. Reſpondetur quod imo habet dominium quoad proprietatem, & illud eſt multo magis, quàm habere dominium, quoad uſum.

Quartum dubium. Sed dubitatur, poſito quod jam de facto ſit vinculatus firmiter, utrum licitè poſſit frangere vincula, & recedere, ſi poteſt, vel pugnare contra principis cuſto-

dem.

dem. Reſpondetur quod nec ſic, nec ſic, quia tolleret jus principis, ſi rempublicam læderet. Aliqui tenent oppoſitum, quod licitè hoc poſſit, quia habet proprietatem in corpore ſuo, ideò juxta primam reſponſionem concluſio eſt gloſanda ſic, ſcil: quod talis non ſit vinculatus, nec vinculis detentus, imo quia non habet jus ad uſum ideò non tenetur frangere. Nec ſecundum potest, quia non habet dominium quoad uſum, nec quoad proprietatem.

Reſpondetur ad rationes. Ad primam cum dicitur corpus ſuum, non eſt in ſuo dominio: igitur &c. Negetur antecedens, licet non habeat in uſu, habet tamen in proprietate. Ad ſecundum reſpondetur negando conſequentiam ſimpliciter. Ad tertium negatur conſequentia, dum modo ſit vinculatus firmiter, quia melius eſt quod obediat legi reipublicæ, quam legi naturæ tali modo. Ad quartam conceditur major, & negatur minor: quia habet recedere ſi locum habeat & tempus, ut dictum eſt ſatis.

Ulterius dubitatur juxta ſecundam concluſionem ſecundi articuli, ubi dicitur quòd nullum bonum privatum &c. utrum in aliquo caſu homo licitè a defenſione reipublicæ poſſit ceſſare, ſcil: fugiendo, & hoc ſi actu ſit regens & defendens rempublicam. Arguitur quod non, quia ſi ſic, tum licitum eſſet bonum privatum aliud a bono honeſto præferre bono communi, conſequens eſt falſum, ut dicit concluſio, & probatur conſequentia, quia ſic fugiendo præferret corpus ſuum proprium, quod eſt bonum privatum. *Quintum.*

Oppoſitum arguitur, quia minus malum eſt quod ipſe fugiat, quam quod maneat longo tempore: igitur &c. patet conſequentia, & antecedens probatur, quia defenſor reipublicæ in caſu quo videt mortem imminere, poteſt licitè ceſſare. Hic erunt duæ partes. In prima quid dicendum ſecundum aliquos. In ſecunda reſpondetur ſecundum propriam opinionem Philoſophi. *Opinio quorundam.*

Quantum ad primam partem ſupponitur primo, quod poſt iſtam vitam ponenda eſt alia vita æterna. *Suppoſitiones.*

Secundò ſupponitur quod ſicut anima præferenda eſt corpori, ita decor animæ decori corporis.

Tertiò ſupponitur quod quilibet bonus Chriſtianus mallet omnia mala pati quam malum moraliter, ut furtum committere, ut patet per martyres et ſanctos.

Nunc ponitur concluſio reſponſiva in aliquo caſu, non eſt licitum hominem à defenſione reipublicæ ceſſare fugiendo. Et probatur, poſito quòd juſtus videat, quòd magnus populus Chriſtianorum debeat perire, niſi ipſe eum defendat, & ſi permaneat morietur, tunc tenetur defendere & non recedere. Probatur per primam ſuppoſitionem, ſicut anima præferenda eſt corpori. Sed verum eſt ſi aliquis videat aliquo modo, quod populus alio modo præſervari poteſt, non debet ſe periculo exponere, quia dicit Philoſophus quod magnanimus ſe leviter periculo non exponit, & hæc debet eſſe cauſa quare principes non ſe ſtatim morti exponunt. Et iſta pars fide eſt tenenda. *Concluſio reſponſiva.*

Quantum ad ſecundam partem, eſt videndum ſecundum opinionem & dicta Philoſophi, & ab aliquibus tenetur opinio. Pro quo notandum eſt quod aliqui tenent quod de intentione Philoſophi fuit non fore aliam vitam poſt iſtam: et hoc probatur per Philoſophum tertio hujus, mortuus Rachel videtur bonum aut malum eſſe, et ſic videtur dicere quod Philoſophus non poſuit niſi meritoriam felicitatem. *Opinio propria.* *Primum notabile.*

Secundum. Secundo notandum est de illo defensore reipublicæ, quia vel ille videt & habet spem quod non possit supervivere si permanserit, aut habet spem quod possit supervivere si captus fuerit ab hostibus.

Prima conclusio Prima conclusio in casu secundo non est licitum à defensione reipublicæ cessare probatur, illud non est licitum quod est contra supremum gradum virtutis & fortitudinis: ergo &c.

Secunda. Secunda conclusio: in primo casu, sc. in quo manifestè videret quòd ipse inevitabiliter non potest supervivere, licitum est cessare sive non expectare. Probatur conclusio quadrupliciter: primò expectare mortem non est fœlicitas, nec pars fœlicitatis, ergo &c. patet consequentia. Et assumptum probatur, quia vera fœlicitas non est sine vita. Secundò probatur, virtus non debet esse contra manifestam inclinationem naturæ, sed non fugere est contra inclinationem naturæ: ergo &c.

Tertiò probatur, quia si sic, vel hoc esset pro bono proprio, vel alieno. Non proprio, ut patet de se. Nec alieno, quia plus diligeret virtutem alienam, quàm propriam.

Quartò videmus, quòd valentissimi viri fugerunt, ut fideles ab infidelibus, quia viderunt insidias malorum: ergo &c. patet consequentia, & antecedens patet in multis historiis. Ex hoc patet quod fortitudo moralis non inclinat ad expectationem mortis, si non poneretur vita post hanc æterna, unde minus malum est fugere, quàm perseverare.

Ad rationem quæstionis. Ad rationem in probantem respondetur, negando consequentiam, quia ille non solum præferret bonum honestum bono proprio, & privato, sed communi &c. imo præferret bonum honestum. Vel etiam intellige secundum adversarium, quod bonum privatum aliud à bono honesto non est præferendum bono communi citra mortem corporalem, quia virtus moralis, scil. fortitudo non inclinat ad expectandum mortem, si non ponatur vita post istam.

Ad rationes. Ad primam, quando dicitur, si sic, sequeretur quod homo deberet &c: negatur consequentia, nam dicitur in conclusione, quod bonum honestum privatum est præferendum cuilibet bono communi.

Ad secundam respondetur dicendo vel talis est princeps civitatis, vel qui habet regere terram, & talis tenetur dare thesaurum; vel est simplex civis, & sic non tenetur.

Ad tertiam respondetur, quod est pro una conclusione secundi articuli, scilicet de bono partiali privato.

Ad quartam dictum est satis per quartam conclusionem.

QUÆSTIO II.

QUæritur secundo: utrum in communicatione humana necessarii sint principatus specie distincti. Et quia quæstio supponit unum, ideo arguitur primò contra suppositum. *Arguitur.* Nam supponit quòd sit principatus necessarius in humana communicatione. Arguitur sic: possibile est quod homines habitantes in communicatione essent sinceri amici: ergo &c. patet consequentia, quia illorum omnia bona sunt communia, & principatus non ponitur nisi propter judicium

rium faciendum. Secundo probatur consequentia, quia possibile est omnes homines esse æquales: igitur &c: Et antecedens patet de se.

Secundò sic arguitur, ibi non est necessaria justitia: ergo &c. patet consequentia, quia justitia pertinet ad principatum & judicium, quia judex dicitur a justitia. Et antecedens patet: quia si homines essent amici, non esset opus justitia, ut dicit Philosophus octavo Topicorum.

Tertiò arguitur sic, in humana communicatione illud non est ponendum per quod oriuntur lites & jurgia. Sed propter principatum fiunt jurgia: igitur &c: patet consequentia, & major est nota de se: minor apparet, quia visum est hoc sæpe quòd principes inimicitias habent discordando.

Deinde arguitur contra quæsitum, quòd tales principatus non sint specie distincti: illa non differunt specie quæ solùm differunt secundum multum & paucum: ergo &c. patet consequentia: major est nota. quia scilt non est differentia specifica secundum magis et minus.

Et probatur minor per ipsos antiquos qui propter hoc dixerunt, quod non differunt magna domus et parva civitas.

Quintò arguitur sic, principatus paternus, et principatus regalis, et principatus sponsalis, et principatus despoticus non differunt specie: ergò &c. patet consequentia, quia non est major ratio de uno, quàm de alio. Et de paterno patet, quia rex aliquis est pater, et subditi vocant eum regem patrem: de principatu desponsali, et de alio patet de se.

Sexto modo arguitur: si sic, hoc maxime esset quatenus per illos principatus melius civitas regeretur, sive communitas humana. consequens est falsum, quia multò melius regitur communitas per paucum principatum, quia pluralitas principatuum non est bona: imo sufficit unus solus princeps bonus, & tamen consequentia prima non videtur dubia, quia non videtur alia ratio.

Septimò arguitur sic, in communicatione principatus, non sunt nisi homines principantes: sed tales homines non differunt specie: ergo &c. patet consequentia: major est nota, quia principatus idem est quod principans, et minor est nota.

In oppositum.

In oppositum arguitur, quoad suppositionem, & hoc per philosophum primo hujus, capitulo tertio, ubi dicit quod qualibet communicatione requiritur princeps et subditus. Sed pro quæsito etiam patet per Philosophum primo hujus, ubi oppositum determinat in textu. dicentem quicunque existimant Despoticum, Oeconomicum, Regale idem esse non bene dicunt manifestè. In ista quæstione erunt tres articuli. In primo videbitur de supposito. In secundo de diversis speciebus principatuum. In tertio de quæsito principali, et quomodo differunt.

Primus articulus.

Quantum ad primum articulum est videndum, utrum principatus est necessarius in communicatione. Et est sciendum, quòd isti termini princeps et principatus, subditus et subjectio, sunt de prædicamento ad aliquid, igitur per se invicem definiuntur. Unde principatus est potentia naturalis hominis, vel habitus acquisitus quo sit homo regere ipsos subditos, gubernando, et dirigendo in suum bonum. corrolarium infertur, quòd tyrannus non est princeps ad illos quibus est tyrannus.

Primum notabile.

Secundò notandum, quod duplex principatus, scz: naturalis, et de jure, et isti

Secundum.

tanguntur

Duplex principatus. tanguntur in deſcriptione. Primus tangitur naturalis, cum dicitur potentia naturalis. Secundus, quando dicitur habitus, *&c.*

Tertium. Subjectio. Tertiò ſciendum eſt, quòd ſubjectio ſic definitur, eſt naturalis potentia hominis, vel habitus acquiſitus, quo homo ſcit ſe habere ad ſuum ſuperiorem, inclinans ipſum ad ſe faciliter regulandum per ipſum. Corollarium, quòd eſt dare principem à natura, et etiam ſervum à natura; et hoc eſt Philoſ. 1. hujus; qui poteſt mente providere princeps eſt à natura; et qui non, ſervus eſt.

Quartum. Quatuor conditiones principantis. Quarto modo ſciendum, quòd quatuor ſunt conditiones principantis. Prima eſt præcipere ſuis ſubditis. Secunda eſt præmiare bene meritos, ſeu benefactores, et ſic alios allicit. Tertia eſt punire malefactores, ut timeant alii. Quarta eſt aliis honore præeſſe, ſecundum quod ſit honorabilis homo. Ex iſtis patet quòd talis princeps debet eſſe virtuoſus et moralis. patet quia debet aliis honore præeſſe. Iſtæ proprietates patent in hoc verſu, Præcipit, et præmiat, punit, honore ſubeſt. Conſimiliter ad ſubjectionem quatuor conditiones requiruntur. Prima eſt obedire. Secunda eſt ſeparare. Tertia eſt timere contra pœnitionem. Quarta eſt quòd debet honorem ſuo ſuperiori impendere.

Quintum. communicatio humana. Quintò notandum eſt, quòd communicatio humana eſt hominum ſimiliter viventium, et ſimiliter habitantium ſocietas, ut indigentiæ eorum releventur.

Sextum. Sextò ſciendum, quòd cum quæritur utrum eſt neceſſarius *&c.* ibi non capitur neceſſarium ſimpliciter, ſed conditionaliter pro illo ſine quo res eſſe non poteſt bene.

Concluſio reſponſiva. Quantum ad iſtum articulum ponitur concluſio reſponſalis in humana communicatione eſt neceſſarius principatus, probatur. illud eſt neceſſarium ſine quo non poteſt politia diu permanere. ſed principatus eſt hujuſmodi, igitur *&c.* conſequentia patet, et major ex, quod nominis neceſſarii. Et minor probatur, quia videmus quòd multi ſunt unum et idem appetentes, et ſi nunc non eſſent principes ad judicandum voluntates neceſſarias varias, immediatè fierent rapinæ, furta *&c.* Secundò probatur, in humana communicatione neceſſaria eſt juſtitia. igitur *&c.* patet conſequentia, quia principes ſunt ad quos ſpectat juſtitiam exercere. Et antecedens probatur per Philoſophum 8. Ethicorum, qui dicit impoſſibile eſt homines habere perfectam amicitiam, id eſt difficile, ubi pro difficili impoſſibile exponitur.

Tertiò arguitur: quia niſi ſic, ſequeretur quòd in humana communicatione juſtitia diſtributiva non requireretur. conſequens eſt falſum, ut notum eſt, & probatur conſequentia. quia ſi homines eſſent æquales qua ratione unus homo diſtribueret bona, ita & alius, patet quòd illud ſequeretur.

Quartò, niſi ſic, ſequeretur quòd pax politiæ & communitas periret: conſequens eſt falſum, & patet conſequentia, quia ſi homines eſſent æquales, fierent interfectiones. Item ſicut eſt in natura, item eſt in humana communicatione. ſed in natura eſt unum principans, ergo &c. patet conſequentia, & major à ſufficienti ſimilitudine. Et minor patet, quia in naturali principatu eſt deus princeps, ſcil. prima cauſa, ita Jovem eſſe deorum principem poſuerunt antiqui, ut Poëtæ finxerunt. tertiò, patet per Negromanticos ponentes principatum etiam inter diabolos qui habent principem. quartò patet, etiam inter angelos & ſidera eſt principatus: patet etiam per creaturas, quia omnia facta ſunt propter hominem. Unde cuncta timent hominem, quia præſidet ille

creatis.

creatis. Patet etiam de avibus, de brutis animalibus, etiam de membris & partibus animalis.

Quantum ad secundum articulum. Est videndum de speciebus principatuum in generali. Et sciendum est, quòd omnis humana communicatio ordinatur ad aliquos actus. Ista suppositio patet in litera. *Secundus articulus.*

Secundò sciendum est, quòd sicut habetur in textu, duplices sunt actus humani, quidam sunt diurnales & quotidiani, ut comedere, bibere. alii non sunt diurnales. *Primum notabile.* *Secundum.* *Duplices actus humani.*

Tertiò sciendum est, quòd omnis communicatio est diurnalis, vel non. si sic, vocatur domestica, & illa continet tres communicationes. Prima est viri et mulieris, et illa est naturalis, et est principatus nuptialis. Secunda communicatio vel principatus est domini ad servum, et vocatur principatus despoticus. Tertia communitas est solummodò ad perfectam rem patris ad filium, et vocatur principatus paternus. Et sic sunt tres principatus. Ex his sequitur, quòd in qualibet domo perfecta requiruntur quatuor personæ, vel tres communicationes prædictæ, scilicet pater, mater, filius, et servus. *Tertium.*

Sed tunc dubitatur, quia videtur quòd sit unus principatus maternus, quia habet etiam præcipere filiis. *Dubitatio.*

Secundo sic, quia multa sunt collegia & domus, ubi non sunt illæ quatuor personæ. Ad primum respondetur, quòd principatus maternus reducitur ad principatum paternum. Unde principatus bonæ mulieris debet aliis principari. & si sit principatus filialis, reducitur ad principatum paternum. Ad secundum respondetur quòd tales domus sic non sunt perfectæ domus. *Responsio.*

Quartò notandum, quòd si humana communicatio non sit diurnalis sed civilis, hoc est iterum dupliciter: vel principans intendit bonum principaliter, scilicet præferens bonum commune, vel è contrà. Si primo modo, hoc est tripliciter, vel est unus solùm principans, & ille principatus dicitur Regalis, non subexistens legibus. Alia est communicatio, ubi pauci principantur, sed tamen virtuosi, & vocatur principatus Aristocraticus. Tertia est ubi multi et plures principantur, sed semper intendunt bonum commune, & vocatur principatus Timocraticus. *Quartum notabile.*

Quintò notandum, quòd si in humana communicatione quotidiana principans præferret bonum proprium communi, ibi sunt tres malæ communicationes. Prima est quando scil. unus principans præfert bonum privatum communi, et est malus, et vocatur principatus Tyrannicus. alia est ubi pauci principantur, sed sunt mali eodem modo, et vocatur principatus Oligarchicus. Tertia est, ubi multi principantur, sed omnes sunt mali, et vocatur principatus Democraticus. Ex istis patet, quòd novem sunt species principatuum in speciali, primi tres domum constituunt, & sunt boni: & tres secundi sunt boni; & tres ultimi sunt simpliciter mali. Et hæc de secundo Articulo. *Quintum notabile.* *De speciebus principatuum.*

Quantum ad tertium articulum. Est videndum de distinctione principatuum specifica. Et est sciendum, quòd principalissima distinctio quæ potest reperiri, potest ex quinque attendi. scilicet, ex parte finis, quia ad diversos fines ordinantur. Secundò ex parte illorum quæ attribuuntur principi, ut sunt quatuor dicta in primo articulo. Tertiò ex natura suppositorum, secundum quod suppositа sunt nobiliora, Quartò ex diverso modo obligationis. Quintò ex parte *Tertius articulus.* *Primum notabile.*

et modo se habendi, quia ibi oportet principem alio modo se habere, quàm subditum.

Secundum notabile. Secundò notandum est, et supponendum, quòd principatus domesticus, et principatus civilis ordinantur ad diversos fines, ut clarum est.

Tertium notabile. Tertiò supponendum est, quòd aliter se habet princeps in principatu nuptiali, quàm in principatu paterno, vel despotico. Istis notatis ponuntur tres propositiones.

Prima propositio. Prima propositio: Principatus domesticus, & principatus civilis sunt specie distincti. patet, quia isti principatus sunt specie distincti, qui ordinantur ad diversos fines, sed isti principatus sunt hujusmodi. igitur &c. patet consequentia, & major patet, quia ex hoc distinguuntur scientiæ, & aliæ res. Et minor patet, ex eodem dicto prius in notabili, quia in civili principatu principans potest remanere.

Secunda. Secunda propositio: Principatus despotici et nuptiales distinguuntur specie. probatur, illa distinguuntur specie quorum finis est diversus, sed sic est de istis. igitur &c. patet consequentia; & major, quia principatus nuptialis ordinatur ad prolis propagationem, et despoticus ad providendum de necessariis domui, ut de nutrimento. Sed minor patet ex dictis prius in secundo articulo.

Tertia. Tertia propositio: Principatus civiles differunt specie, probatur comparando bonos principatus ad tres ultimos malos: differunt specie, patet. Sed comparando bonos ad invicem differunt specie; ergo &c. patet consequentia, quia illi boni principatus differunt ex parte finis. igitur &c. patet consequentia, et major nota est ex dictis. Et minor probatur inductivè. Eodem modo diceretur de tribus malis, quòd differunt specie inductivè.

Conclusio responsiva. His dictis, sit conclusio responsalis, quòd necessarii sunt principatus specie distincti in communicatione humana. Ista conclusio satis probata est quoad utramque partem, et ex dictis.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes. Ad primam dicitur, quando dicitur contra suppositum, possibile est ipsos virtuosos &c. conceditur antecedens. Sed negetur consequentia, quia licet pro aliquo tempore possunt esse amici, tamen propter varias voluntates non est possibile diu stare hoc.

Ad secundam dicitur quòd illa non est necessaria, &c. negetur antecedens saltem de justitia distributiva, non est possibile quòd ista justitia diu maneat.

Ad tertiam negatur minor, saltem de principantibus bonis.

Ad quartam, quæ probat quod non differunt specie, conceditur major; sed negetur minor, quia differunt ex parte finis, & non ex parte suppositorum.

Ad quintam, quando dicitur principatus &c. Respondetur, quod distinguitur ratione; licet idem possit esse principans, hoc tamen non est secundum eandem rationem, sed ordinantur ad diversos fines.

Ad sextam, quando dicitur hoc maximè &c. conceditur consequentia, et quando dicitur, melius regitur à paucis &c. dicitur quòd secundum veritatem reddendo singula singulis non est possibile quod unus solus principetur, nisi habeat sub se principes alios, præpositos, & ballivos, et sic de singulis.

Ad septimam, conceditur major, sicut antecedens, sed negetur consequentia, quia

quia unus homo est albus, et alter est niger; & cum albedo et nigredo differant specie, non oportet quod homo differat ab alio specie.

QUÆSTIO III.

De Institutione Civitatum.

QUæritur tertiò. Utrum civitas sit à natura. Et arguitur quòd non, nullus effectus voluntarius est à natura, sed omnis civitas est effectus voluntarius. igitur &c. patet consequentia. major est nota, quia voluntarium, & naturale distinguuntur. Et minor probatur, quia partes civitatis ut vicus & domus sunt à voluntate. Secundò, patet quia quælibet civitas constituta est à Deo, et ab hominibus.

Secundò arguitur; si sic, sequeretur quòd civitas numquam aliter, et aliter se haberet: consequens est falsum, quia aliqua est pacifica, & aliqua discors. Et probatur consequentia, per Philosophum 2. Ethicorum dicentem, quòd nullum natura existentium aliter assuescit.

Tertiò sic, nullum artificiale est naturale, sed civitas est artificialis. ergo &c. patet consequentia, et major est nota, quia artificiale et naturale distinguuntur. Et minor probatur, quia multi principes civitates ædificaverunt, ut patet de Roma quam Romulus ædificavit. Etiam probatur, quia sicut habetur in multis historiis, quòd multi expectabant tempus & horam quibus possent ædificare. igitur &c.

Quartò sic, nam si sic, sequeretur quòd civitates semper fuissent eædem. consequens est falsum, & probatur consequentia, quia species sunt perpetuæ. Et patet falsitas consequentis, quia quondam non fuerunt civitates, quia homines in campis dormiebant.

Quintò sic, civitas bona & bene recta est regulanda à ratione, & non à natura: igitur &c. patet consequentia, quia omnis effectus naturalis sic debet determinari à natura. Et antecedens probatur, quoniam secundum naturam omnia sunt communia, & si civitas gubernaretur à natura, tunc omnia in civitate essent communia.

Sextò sic, homo non est animal civile naturaliter. igitur &c. probatur consequentia, quia civitas non dicitur à natura, nisi quia partes ejus sunt à natura. Et antecedens probatur, quia esse animal civile non competit omni animali, igitur &c. patet consequentia, quia illa sunt naturalia quæ competunt omnibus hominibus ejusdem speciei. Et antecedens tamen patet de multis bonis hominibus qui sunt heremitæ, & contemplativi.

In oppositum est de mente Philosophi primo hujus, capitulo primo. Et arguitur sic, Partes civitatum integrantes sunt naturales. ergo &c. patet consequentia, quia totum non est nisi suæ partes. In ista quæstione non erunt, nisi tres articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones. In tertio dubia circa materiam. *In oppositum.*

Quantum ad primum articulum notandum est, quòd civitas accipitur duobus modis. *Primus articulus.*

primum notabile.

Civitas dupliciter capitur.

modis. Primo modo pro ædificiis & vicis compoſitis ex lignis & lapidibus; ſicut diceremus de magna conſtructura, quæ eſt civitas; illo modo capitur impropriè, & non hic. alio modo capitur pro multitudine hominum habitantium in talibus vicis & ædificiis. & iſto modo capitur ab Auguſtino in 5. de Civitate Dei dicente. Civitas eſt concors hominum multitudo, & ab Iſidoro, eſt hominum multitudo vinculo ſocietatis adunata. Ex iſto corollario ſequitur quòd ad civitatem requiritur concordia. Secundò ſequitur, quod Tyrannis non eſt civitas. Tertiò ſequitur, quòd quilibet congregatio hominum ſufficiens ad vitæ neceſſaria, & ad bene vivere, regulata certis legibus, uni principi ſubdita, eſt civitas. Et dicitur notanter [vitæ neceſſaria] quia ſi non eſſet ſufficiens ad reddendum neceſſitates non eſſet civitas.

Secundum notabile.

Secundò notandum quod quando quæritur utrùm civitas &c. Hoc eſt quærere utrùm homo appetitu naturali inclinetur ad communicationem civilem.

Tertium.

Tertiò notandum quod ibi li [a] dicit circumſtantiam cauſæ efficientis.

Quartum Natura capitur multipliciter.

Quartò notandum, quod natura multis modis capitur. Primo modo accipitur pro materia. Secundo modo pro forma. Tertio modo pro appetitu ſive inclinatione. Quarto modo pro fine ſive pro operatione rei, & ſic dicimus quod natura hominis eſt generare ſibi ſimile. Et dicitur quod hic accipitur tertio modo.

Quintum.

Tripliciter aliquid dicitur à natura.

Quintò notandum eſt, quod aliquid dicitur à natura tripliciter. Primo modo à materia. Secundo modo à forma non cognoſcente, ut quia ejus forma non cognoſcens eſt natura. Tertio modo aliquid eſt naturale prout naturale ſeu natura diſtinguitur contra violentum. Et ſic capitur in propoſito.

Sextum.

Sexto notandum eſt quod aliqua ſunt à natura initiativè, & completivè, ſicut patet de plantis. Secundo modo aliquæ ſunt ab arte initiativè, & à natura completivè, ut blada. Tertio modo ab arte completivè, & à natura initiativè, ut patet de vino, & pane. Ex iſtis ſequitur, quod quando quæritur, utrùm civitas ſit à natura, poteſt intelligi tripliciter; ſcilicet initiativè & completivè, à natura. Secundo à natura initiativè, & ab arte completivè. Tertiò, ab arte initiativè, & à natura completivè. Quantum ad ſecundum articulum ponantur concluſiones.

Secundus articulus.

Prima concluſio.

Prima concluſio, quædam ſunt civitati communia & neceſſaria; quædam ſunt voluntariè, & quædam artificialiter, & quædam ex electione. probatur. Leges poſitivæ, & ædificia, & matrimonia ſunt civitati neceſſaria; & leges poſitivæ fiunt voluntariè, ædificationes artificialiter, matrimonia ex electione. igitur &c. Patet conſequentia. major eſt nota, quia ſine illis non poſſunt civitates permanere. Et patet ex dictis, & minor ſatis nota eſt.

Secunda.

Secunda concluſio, quod homo indiget naturaliter humana communicatione. probatur. homo non poteſt venire ſine illa ad ſuum eſſe completum, ergo &c. Patet ex duplici radice hominis. Primò, ex ejus impotentia, quia homo natus non poteſt ſe nutrire. Secundo, ex ejus nuditate, quia homo ſolus nudus naſcitur &c. Tertiò, ex nutrimenti indigentia. Quartò, ex hominis ignorantia.

Tertia.

Tertia concluſio, homo naturalem impetum, & naturalem inclinationem habet ad humanam communicationem. probatur primò. homo naturaliter indiget humana communicatione, ergo &c. Secundò probatur, homo naturaliter inclinatur ad juvandum alterum; ergo &c. Patet conſequentia; & Antecedens probatur, quia deſiderium tale naturale eſt omnibus. 3. Oeconomicæ. Tertiò probatur, homo naturaliter inclinatur ad illud quod eſt ſibi optimum, & perfectiſſimum;

ctissimum: sed tale est civilis communicatio. igitur &c. Consequentia patet. & major & minor probatur. quia per talem communicationem homo acquirit multas virtutes; igitur felicitatem. Quarto probatur. illud naturaliter appetit homo, quod est sibi proprium. sed civilis communicatio est proprium hominis. igitur &c. Patet consequentia. major est nota, & minor probatur; quia homo naturaliter est animal civile.

Quarta conclusio, & responsiva est, quod civitas est à natura. id est communicatio humana sive concors communicatio est à naturali inclinatione ad talem communicationem. probatur conclusio, quia homo habet naturalem inclinationem. ergo. &c. probatur ex multis dictis. *Quarta.*

Quinta conclusio. licet civitas sit à natura initiativè, tamen ab arte & electione est completivè. probatur prima pars, quia homines se habent inclinativè ad civitatem. Et patet secunda pars quia ab arte est completa & electione, igitur. *Quinta.*

Quantum ad tertium articulum, sunt movenda dubia. Primum est utrùm homo habet naturalem appetitum ad illud quod est sibi bonum & optimum. Secundo utrùm communicatio civilis sit naturalissima. Tertium dubium, utrum humana communicatio sit gratia boni instituta. Quartum dubium, utrùm communicatio magis & femellæ in domo sit naturalis. Primum est, utrum homo &c. Arguitur primo quod non. quia homo habet naturalem inclinationem ad passiones, delectationes, & voluptates carnales. ergo &c. Patet consequentia & Antecedens est Philosophi primo Ethicorum. multi quidem omnino bestiales esse videntur, vitam pecudum eligentes. Secundò arguitur per illud quod habetur Genesi cap. 9. sensus, & cogitationes hominis ab adolescentia, pronæ sunt ad malum. *Tertius articulus. Primum dubium. Arguitur.*

Oppositum primo Ethicorum Arguitur, omnia bona appetunt. igitur &c. Patet consequentia ex terminis. Et antecedens est philosophi in hujus & etiam patet per rationem tertiam ante oppositum. Pro isto dubio ponentur notabilia, deinde conclusiones. *In oppositum.*

Primò sciendum, quod appetitus quo quis appetit non differt ab appetente. Probatur conclusio, quia appetitus materiæ quo appetit formam, est ipsa materia. igitur &c. *Primum notabile.*

Secundo notandum est, quod duplex est appetitus; quidam est naturalis, quod fit sine cognitione prævia ipsius appetentis particulariter. Alius est appetitus animalis, quod fit cum cognitione ab anima. Et ideo dicitur ab anima animalis appetitus. *Quid appetitus. Secundum. Duplex appetitus.*

Tertiò notandum est, quod differentia est inter appetitum naturalem, & animalem. nam naturalis non dirigit nisi semper in bonum, quia dirigitur ab agente infallibili. Sed appetitus animalis aliquando fertur in apparens bonũ, quia non semper dirigitur ab agente infallibili, ut quando homo se interficit. Quarto notãdum est, quòd appetitus animalis est duplex. quidam est sensualis, & est ille qui sequitur judicium sensûs. Et alius est intellectualis, qui sequitur judicium intellectus. *Tertium. Differentia appetituum. Quartum Appetitus animalem duplex.*

Quintò notandum est, quod in homine virtuoso appetitus animalis sensualis sine strepitu obedit appetitui intellectuali; patet per Philosophum. Primo Ethicorum, qui dicit quòd *omnia obediunt rationi in virtuoso*, & è contrà est de vitioso homine, in quo est quædam rebellio. *Quintum.*

Sextum. Sexto notandum est quòd homo simpliciter dicendus est talis qualis est secundum partem intellectualem. Si secutus est sensum, bestialis dicitur; si verò intellectum, homo; quia ratio ad optima deprecatur. Deinde ponuntur aliquæ propositiones.

Prima propositio. Prima propositio est ista, Appetitu naturali semper appetit homo quod est sibi bonum & optimum; probatur, quia appetitus naturalis nunquam fertur nisi in verum bonum, quia dirigitur ab agente infallibili. Ex quo sequitur dictum Aristotelis. Primo Methaphysicæ, omnes scire desiderant.

Secunda. Secunda propositio, Homo non semper appetitu sensuali apperit quod est sibi bonum simpliciter. probatur de appetitu sensuali hominis vitiosi, ut dictum est.

Tertia. Tertia propositio, Homo sensuali appetitu appetit illud quod est sibi bonum verè vel apparenter. Probatur, quia appetitus non fertur nisi in verum bonum, vel apparens.

Quarta. Quarta propositio, Homo appetitu intellectuali sibi dimisso appetit semper illud quod est sibi bonum non solum apparenter, sed verè. Probatur auctoritate Philosophi, quia semper ratio ad optima deprecatur. Et dicitur notanter, [sibi dimisso] quia nisi sic, non esset verum.

Quinta. Quinta propositio. Homo naturalem appetitum habet ad illud quod est sibi optimum non solum apparenter, sed verè; probatur semper ex dictis de intellectuali appetitu.

Ad rationes dubii. Ad rationes. ad primam quando dicitur [homo &c,] conceditur bene de homine vitioso, & appetitu animali. Et ad illud Genes. dicitur, quòd illud est verum quoad partem intellectualem subjectam sensualitati, sive sensui. alias &c. hæc de isto dubio.

Secundum. Secundum dubium. Utrum civilis communicatio sit naturalissima.

dubium Arguitur. Et arguitur quòd non conjugalis communicatio est communior. ergo &c. Patet consequentia, & antecedens est Philosophi primo hujus, homo est naturâ animal conjugale, magis quàm politicum.

In oppositum. Oppositum arguitur inter omnes communitates naturales humanas, communicatio civilis est naturalissima; igitur &c. Patet consequentia, quia ideo dicit Philosophus secundo de Anima quòd naturalissimum operum est generare sibi simile. Et Antecedens est Philosophi, communicatio civilis complectitur materiam omnium aliarum. Pro intellectu istius est notandum quòd aliquid potest dici naturalius alio dupliciter. Uno modo quia magis necessarium est ad esse & permanere; & illo modo nutrire est naturalius quàm generare. Secundo modo quia est magis perfectum secundum naturam; & isto modo capitur à Philosopho, Secundo de anima ubi dicit [naturalissimum operum &c.

Primum notabile.

Dupliciter unum est alio naturalius.

Secundum notabile. Secundò notandum est, quòd illa consequentia non valet: hoc est isto magis necessarium quoad esse, ergo est perfectius, & nobilius. patet, gustus est magis necessarius ad esse quàm visus, non tamen nobilior.

Prima propositio. Prima propositio, Capiendo primo modo naturalissimum, civilis communicatio non est naturalissima. patet, quoniam communicatio conjugalis est magis necessaria quoad esse, & ideo dicit Philosophus, quòd prima communicatio quæ est in domo est conjugalis.

Secunda. Secunda propositio. Capiendo naturalissimum secundo modo, communicatio civilis inter omnes alias est naturalissima, probatur per rationem post oppositum;

tum; quia est finis omnium aliarum, & aliæ ordinantur ad eam, & ipsa eriam complectitur omnes alias communicationes.

Tertium dubium. Utrum omnis humana communicatio sit gratia boni instituta, Arguitur primo quod non, quia tyrannis, & communicatio Democratica & Oligarchica, ponuntur humanæ communicationes, ; & tamen non sunt gratia boni institutæ: ergo. Major est Philosophi, & minor probatur, quia omnes illæ communicationes sunt malæ,. Secundo probatur, quia omnes homines qui operantur gratia alicujus boni operantur; ergo &c. Consequentia patet, & Antecedens probatur: quia incontinens operatur secundum incontinentiam. et tamen judicat quòd malum sit cum muliere fornicari: & hoc est quod dicit Philosophus, quod continens & incontinens bene judicant quid fugiendum sit, & agendum, & non gratia boni: ergo. *Tertium Dubium.* *Arguitur.*

Oppositum est de mente Philosophi primo hujus. & hoc arguitur, quia omnes homines operantur gratia alicujus boni. igitur &c. *In Oppositum.*

Primò notandum & supponendum, quòd bonum est triplex, sc: delectabile, utile. & honestum. *Primum notabile.*

Secundo notandum est quòd communicationes humanæ sunt multiplices, ut dictum est. Sed regnum est ubi unus solus sufficiens principatur. Sed Timocratia est, ubi mali principantur, qui non intendunt bonum commune. Sed tyrannica est communitas ubi unus solus principatur intendens bonum privatum. Oligarchia est de istis ut dictum est. *Triplex bonum.* *Secundum notabile.* *Multa conclusiones.*

Tertiò notandum, quòd bonum in moralibus vocatur illud generaliter, quod non est difforme rectæ rationi, & è contrà capitur malum. *Tertium notabile.*

Quartò notandum, quòd titulus quæstionis potest intelligi dupliciter: Primo, utrum sit instituta gratia boni veri. Secundò, utrum gratia veri, vel apparentis. *Quartum.*

Quintò notandum, quòd omnis appetitus dirigitur semper, & fertur ad bonum optimum verum vel apparens: ut patet inducendo in singulis appetitibus. *Quintum.*

His suppositis sit prima conclusio. Omnis communicatio est gratia alicujus veri boni existentis constituta: patet de Oligarchia. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio, omnis communicatio humana est gratia alicujus veri boni, vel apparentis constituta: intentio ista est Philosophi. Ad Rationes. Ad primam dicitur, quod est pro prima conclusione. Ad secundam dicitur, quòd quandocunque operantur continens & incontinens intendunt apparens bonum, vel existens, ut patet per secundam conclusionem. *Secunda.* *Ad rationes dubii.*

Quartum dubium: Utrum communicatio maris & fœmellæ sit naturalis. *Quartum dubium.*

Et arguitur quòd non: communicatio maris & fœmellæ conjugalis est voluntaria: igitur &c: patet consequentia. Et antecedens patet quia nunquam fit contra voluntatem. *Arguitur.*

Oppositum est de intentione Philosophi in isto primo. Proillo est notandum quod beatus Tho. respondet, [communicationem esse naturalem] potest intelligi dupliciter. Uno modo quia fit à principiis naturalibus & agentibus naturalibus circumscriptis agentibus voluntariis, tam initiativè, quam completivè. Secundo modo, quòd sit a natura initiativè, & à voluntate completivè. *In oppositum.* *Notabile.*

His suppositis sit prima conclusio. Communicatio maris & fœmellæ non est *Conclusio prima.*

est naturalis, primo modo: probatur, quia non fit à principiis naturalibus intrinsecis.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: quod talis communicatio seu conjugatio naturalis est, secundo modo. Conclusio illa patet, quia initiativè est à natura, & completiv è à voluntate: quia ibi oportet esse consensum utriusque.

Ad rationes quæstionis. Respondetur quod rationes non arguunt aliud, nisi quòd illa communicatio est naturalis initiativè, & completivè non, & hoc est verum.

Ad rationes quæstionis. Ratio post oppositum ex prædictis conclusionibus in secundo articulo positis patet.

QUÆSTIO IV.

De Hominum Civilitate.

Arguitur. QUæritur quarto: Utrum homo sit animal civile à natura?

Et arguitur primo quod non. homo est animal domesticum à Natura: igitur &c. Consequentia patet, quia domesticum & civile sunt differentiæ oppositæ, ut patet primo hujus. Antecedens probatur, quia communicationis domesticæ homo est pars, quia talis communicatio est naturalis. Secundo arguitur. Homo est animal civile per doctrinã: ergo &c. patet consequentia: quoniam illud quod ineſt alicui à natura non ineſt sibi per doctrinam. Antecedens patet, quia ipse habitat in civitate, & in civili communicatione, ut acquirat mores civitatis. Confirmatur antecedens authoritate Plinii dicentis: quod Dominus nihil dedit homini à natura scire rem vel facere sine doctrina.

Tertiò arguitur: homo est animal civile voluntate: igitur patet consequentia, quoniam voluntarium & naturale distinguuntur. Et Antecedens apparet, quia in voluntate hominis est quòd ipse sit de civili communicatione, vel non.

Quarto arguitur, si homo esset animal civile à natura, sequeretur quòd homo non posset se separare à civili communicatione: Consequens est falsum, ut patet de multis viris justis, ut patet de beato Johanne Baptista in cujus hymno dicitur: Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti. Et patet consequentia, quia homo non potest facere contra illud quod ineſt sibi à natura: ut dicitur tertio Ethicorum: nullum existentium natura contingit aliter assuesci.

Quinto arguitur: possibile est hominem esse incivilem: igitur patet consequentia: & antecedens probatur. Nam dicit Philosophus primo hujus, quòd homo sit incivilis propter punitionem, puerilitatem, vel perse, vel propter sufficientiam, & talis est Deus, aut bestia quodammodo.

In oppositum. Oppositum arguitur per Philosophum in isto primo, qui dicit quòd homo est civilis naturaliter. Et potest sic probari: quia homo habet naturalem impetum ad communicationem & socialitatem: igitur &c. Consequentia patet ex terminis. Antecedens probatur ex præcedenti quæstione. In signum hujus natura dedit plus hominibus quàm animalibus, sermonem.

In ista Quæstione erunt tres Articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo

secundo conclusiones. In tertio movebuntur dubia circa materiam.

Quantum ad primum notandum: quòd hæc tria nomina, sociale, gregale, civile sic se habent, quòd sociale ad alia duo nomina est superius. Unde omne animal perfectum est sociale, & non è contrà: quia diligit societatem suæ speciei; cum quæ dam est amicitia naturalis inter illa quæ sunt ejusdem speciei. Gregale convenit animalibus incedentibus: ut patet de gruibus, ovibus, &c. Civile solùm convenit hominibus, & sit gratia alicujus utilitatis & virtutis. *Primus articulus. Primum notabile. Sociale, gregale, civile.*

Secundò notandum quod illæ quatuor differentiæ, domesticum, campestre, silvestre, aquaticum, indifferenter competunt plantis & bestiis, & una in aliam transit. Ex quo sequitur quòd illæ differentiæ non sunt essentiales. *Secundum notabile. Domesticum campestre, silvestre, aquaticum.*

Tertiò sciendum, quòd aliquid potest inesse seu dici naturale dupliciter. Uno modo inseparabile proprium alicujus speciei, ut esse risibile homini. Alio modo minùs propriè pro illo quod inseparabiliter convenit alicui speciei is sed tamen non cuilibet individuo illius speciei: sed solum supposito perfecto, non orbato, nec à natura sanciato competit; ut habere duos oculos, & generare sibi simile. *Tertium. Dupliciter dicitur naturale.*

Quartò sciendum est, quòd amicitia inest homini à natura initiativè, sic sc: quòd homo habet naturalem impetum ad amicitiam: immò dicit *Tull. Credo quod amicitia magis inest homini à natura, quam ab electione.* *Quartum.*

Quintò sciendum est, quòd medietates morales insunt hominibus initiativè: illa est de intentione Philosophi 6. Ethicorum dicentis: omnibus quidem videntur similes mores inexistere à natura: quidam temperati, morales &c. *Quintum.*

Sextò sciendum est, quòd sermo est inditus homini à natura, propter aliquem finem quem non potest exequi sine communicatione. patet. quia homini datus est sermo, propter liberaliter communicandum aliis, ut puta, fiant eorum judicia. *Sextum.*

Septimo sciendum, quod titulus Quæstionis dupliciter potest intelligi: uno modo initiatione scil: sine alio præsuppositò: alio modo initiativè & completivè. *Septimum.*

Quantum ad secundum sit prima conclusio, sumendo civile esse à natura primo modo, homo non est animal civile; probatur, quia esse civile non competit inseparabiliter cuilibet homini semper. igitur. patet consequentia per notabile: Antecedens patet de heremitis, & Sanctis. *Secundus articulus. Prima conclusio.*

Secunda conclusio: Civile esse est à natura; probatur conclusio: quia etiam venit cuilibet homini perfecto non in naturalibus sanciato, nec ultra naturam elevato: igitur. patet consequentia per notabile. Antecedens apparet, quia omnis tales habens conditiones, appetit communicationem. *Secunda.*

Secundo sic: Multa sunt quæ insunt homini à natura, ut posset esse in communicatione: igitur. patet consequentia. Et Antecedens apparet, quia amicitia & sermo insunt homini ut sit civilis.

Tertia conclusio: licet homo sit civilis à natura, non tamen à natura initiativè, et cõpletivè: sed solũ initiativè: patet ista conclusio quoad primã partẽ ex dictis. Et pro secunda parte patet: quia homo fit à voluntate & electione in communicatione civili. Et pro tertia parte patet: quia homo semper appetit naturaliter societati & communicationi inesse propter amicitiam & sermonem: igitur &c. *Tertia.*

Quantum ad tertium articulum sunt movendæ dubitationes. Et sunt tres: prima, utrum soli homini inest loquela. Secunda, utrum loquela inest *Tertius articulus.*

homini à natura: tertia, utrum homo sit animal magis gregale, vel civile quam aliquod aliud.

Primum dubiũ. Arguitur. Et ad primum arguitur quod non. Nam animalibus brutis ineſt loquela: igitur &c. Conſequentia patet, & Antecedens probatur, primò, quia multæ aves videntur prænoſticare ſuis vocibus futura: ſecundò per Plin. in lib. de mirabilibus mundi, ubi loquitur de quadam cornice quæ loquuta fuerat: tertiò videmus de pica, monedula, & ſic de aliis.

In Oppoſitum. Oppoſitum arguitur per Philoſophum in iſto primo, & per illud quod notabatur in una Quæſtione.

Primum notabile. Pro evidentia iſtius notandum quòd loquela capitur dupliciter, uno modo communiter pro quacunque voce ſive humana, ſive ſimili voce humanæ: ſecundo modo propriè pro voce humana ſolùm.

Loquela dupliciter capitur. Secundò ſciendum eſt quòd ad hoc quòd aliqua vox debeat dici ſermo, requiritur quod exprimat intentionem mentis, Unde ſecundum Plat. Ad hoc nobis datus eſt ſermo, ut mutuo fiant nobis hominum judicia nota, ut dicit.

Secundum quid requiritur ad ſermonem. Tertiò ſupponitur, quòd nulli animali convenit per voces exprimere mentis conceptum, niſi homini propriè. Iſtis præmiſſis ponuntur duæ propoſitiones ad quæſitum. Prima eſt, ſumendo loquelam primo modo largè, loquela non ineſt ſolis hominibus à natura. Patet, quia etiam avibus brutis ineſt, ut patet de philomela & pica. Secunda propoſitio, ſumendo loquelam ſecundo modo, ſolùm competit hominibus exprimere per voces mentis conceptum: igitur, patet conſequentia, & antecedens per unam ſuppoſitionem, & hoc de primo dubio.

Tertium.

Prima propoſitio.

Secunda.

Secundum dubium, arguitur. Secundum dubium. Arguitur primo quod non. Loquela ineſt homini à doctrina & conſuetudine: igitur patet conſequentia. Et Antecedens probatur quoniam voces addiſcimus ad formandum, patet per experientiam.

Secundò arguitur ſic, voces imponuntur ad voluntariè ſignificandũ, ut Logici dicunt: igitur, patet Conſequentia, & Antecedens probatur, quoniam voces ſignificant ad placitum:

Tertiò arguitur, ſi ſic, ſequeretur quod omnes eſſent unius idiomatis: conſequens eſt falſum, ut patet: & patet conſequentia, quia illud quod ineſt individuo unius ſpeciei à natura, & cuilibet illius ſpeciei.

Arguitur quarto, ſi ſic, maximè hoc eſſet ad exprimendum mentis conceptum; ſed non propter hoc: ergo &c. Conſequentia patet: & major eſt Platonis & Philoſophi ubi ſuprà, ad hoc datus eſt ſermo &c. minor apparet de monialibus qui exprimunt mentis conceptum per ſigna & motus.

In oppoſitum. In Oppoſitum Arguitur. Humana communicatio ineſt homini propter ſermonem: Ergò &c. patet conſequentia. Et Antecedens eſt prius declaratum.

Primum notabile. Pro intellectu iſtius ſciendum eſt quòd exprimere mentis conceptum poteſt dupliciter intelligi: uno modo communiter, & ſic per verba fit et per ſignum: ſecundo modo propriè, & ſic fit ſolum per verba, voces, & ſermones.

Exprimere mẽtis conceptum.

Secundum notabile. Secundo notandum, eſt quòd refert nullum quærere, utrum loquela inſit homini à natura: vel utrum taliter loqui inſit à natura,

Tertium. Tertio notandum quod loquelam ineſſe homini à natura poteſt intelligi dupliciter. Uno modo initiativè ſolum. Alio modo initiativè & completivè.

Quartum. Quarto ſupponitur, quod ſicut veriſimile eſt, quod ſi pueri parvi caperentur, &

in

in loco ponerentur, in quo homines non loquerentur, illi pueri loquerentur, et unus alium non intelligeret, et novum idioma facerent. Patet per Plinium, et Tho.

Quintò notandum est, quod loquela ordinatur ad humanam communicationem tanquam ad finem. Illa suppositio patet, et est de intentione Philosophi dicentis, quòd lingua nobis datur propter duo: scil. propter necessitatem in gustu, et propter utilitatem quoad exprimere mentis conceptum. *Quintum. Finis loquelæ.*

His præmissis pro illo dubio ponuntur duæ propositiones.

Prima propositio est. Loquela propria inest homini à natura: igitur &c. Patet consequentia, quia finis inest homini à natura: ergo. probatur, finis in quem loquela ordinatur, inest homini à natura: igitur &c. & ordinatis in finem: igitur &c. quia si finis inest à natura, & effectus. Antecedens patet de communicatione. Secundo, organa requisita homini ad loquelam insunt homini à natura: igitur &c. Patet consequentia. Et antecedens patet, quia illa duo insunt homini à natura. *Prima Propositio.*

Secunda propositio, taliter loqui vel taliter in idiomate tali non inest homini à natura. probatur, quia si sic, tunc omnes homines uno idiomate loquerentur, consequens est falsum. Et probatur consequentia: quia quod inest à natura uni individuo alicujus speciei, inest cuilibet individuo illius speciei. Secundò apparet: quia taliter loquuntur homines per naturam & consuetudinem. *Secunda.*

Ad rationes dubii istius. *Ad rationes dubii.*

Ad primam quando dicitur, loquela inest &c. Verum est, talis loquela vel taliter loqui, licet loquela insit à natura:

Ad secundum bene arguitur, quòd taliter loqui bene inest homini à natura initiativè.

Ad tertiam respondetur eodem modo: immo potest dici quòd diversitas linguarum provenit propter peccatum perpetratum in Babilonia.

Ad quartam conceditur major, sed negatur minor. Et dicitur quod probatur de exprimente mentis conceptum impropriè.

Ad tertium dubium respondetur sine arumentis, quòd homo est naturaliter animal magis civile gregale, quàm aliquod aliud. probatur, quia natura plura requisita ad communicationem dedit homini, quam alicui alteri animali. igitur: quia natura nihil facit frustra. Et antecedens probatur, quia præ omnibus aliis animalibus dedit homini loquelam & sermonem; ut sciret, quid bonum, quid justum, quid verum, quid falsum, quid injustum; & hoc non pertinet, nisi ad animalia civilia. Ex istis infert unus expositor, quòd quacumque specie individui assignata nullum individuum ejusdem speciei potest exire limites suæ speciei, sicut homo; quia potest loqui & tacere, sicut homo, & allegat auctoritatem Primi Ethicorum, quòd homines viventes secundum voluptatem sunt bestiales: & multa alia. *Ad tertium dubium Responsio. Corollarium.*

Ad rationes. respondetur, quòd omnes rationes bene arguunt, quòd homo non est animal civile à natura initiativè & completivè: sed voluntate & electione, & aliis consimilibus: sed tamen est homo animal civile initiativè solùm à natura. Et hoc est pro conclusionibus in secundo articulo positis. *Ad rationes Quæstionis.*

QUÆSTIO V.

De ſolitudine hominum & incivilitate.

QUæritur quintò. Utrum homo ſolitarius & incivilis inter omnia animalia ſit peſſimum animal?

Arguitur. Et arguitur primò quod non. homo ſolitarius & incivilis omnibus animalibus aliis debet præſidere: igitur &c. Patet conſequentia. Et antecedens probatur, quia dicit Philoſophus ſecundo Phyſicorum. nos ſumus quodammodo finis omnium.

Secundò ſic. homo ſolitarius & incivilis eſt individuum perfectioris ſpeciei, quàm aliquod aliud animal. ergo &c. Patet conſequentia. Et antecedens apparet, quia homo ſolitarius eſt homo. & humana ſpecies eſt nobilior aliis ſpeciebus.

Tertiò, illud animal eſt inter omnia optimum cui ſoli convenit inquiſitio ſummi boni: ſed ſic eſt de homine. ergo &c. patet conſequentia. Et major et minor apparent, quia homo ſolitarius eſt ratiocinativus, et per conſequens poteſt ſpeculari ſummum bonum.

Quartò ſic. homo per incivilitatem et ſolitudinem evitat multa mala quæ faceret ſi eſſet in ſocietate: igitur &c. Patet conſequentia. Et antecedens patet per experientiam.

Quintò ſic. ſolitudo et incivilitas ſunt effectus Juſtitiæ: igitur &c. patet conſequentia. & probatur, quia videmus quòd multi propter eorum delicta mittuntur ad ſolitudinem & incivilitatem, et hoc eſt per Juſtitiam.

Sextò. Multi ſunt juſti viri qui vitam ſolitariam elegerunt, igitur &c. Patet conſequentia. Et antecedens apparet de multis ſanctis heremitis, & de ſancto Johanne Baptiſta.

Septimò ſic. Homo ſeparatus à Juſtitia & lege, non eſt peſſimum animal, igitur &c. Conſequentia patet per locum à majori. Et antecedens probatur, quia ad hoc quòd homo ſit bonus non requiritur Juſtitia, ut dicit Philoſophus. Octavò, ſi omnes eſſemus amici non indigeremus Juſtitia.

In oppoſitum. Oppoſitum eſt de intentione Philoſophi, capitulo quarto, ubi dicit, quòd talis eſt beſtia.

In Quæſtione iſta erunt tres articuli. In primo videbitur de ſolitario ſilveſtri. In ſecundo de ſolitario Contemplativo. In tertio de ſolitario de quo tangitur in ſeptimo argumento.

Primus articulus. Quantum ad primum videndum eſt de homine ſolitario ſilveſtri.

Primum notabile. Ubi notandum quòd duplex eſt ſolitarius. primo modo, ut melius & faciliter poſſit vitam contemplativam ducere: et tales ſunt contemplativi. Alio modo ſunt qui vitam ſolitariam ducunt, non ut melius ſpeculentur, et iſti vocantur

Duplex eſt ſolitarius. ſolitarii ſive inciviles ſilveſtres.

Secundum notabile, triplicíter ſolitarius. Secundò notandum quòd aliquis poteſt eſſe ſolitarius tripliciter. primo modo à patria. ſecundo modo à natura. tertio modo ab electione. A prima quia naſcitur in patria ubi non ſunt multi homines propter frigiditatem et caliditatem;

tem, et tales sunt inciviles propter intemperiem regionis. Alii sunt à natura inciviles, quia deficiunt in membris et organis, et tales sunt monstruosi. Alii sunt ex electione, quia licet sint nati in patria bona, et à natura bene dispositi, tamen declinant ab aliis propter vitam malam, propter quam non possunt admitti licitè.

Tertiò notandum est, quòd homines sunt in multiplici differentia. quidam sunt qui non habent judicium rationis, sive usum, nec habebunt ex eo quòd sunt sauciati in membris naturalibus. Alii sunt qui quanquam habent usum rationis, et bona naturalia: sed tamen propter suam culpam usum rationis perdiderunt, ut vinolenti, rixosi. Alii sunt qui habent usum rationis, et habuerunt, et possunt uti ratione quando volunt. *Tertium notabile. Multiplex hominum differentia.*

Quartò sciendum est, quòd aliquid dicitur malum dupliciter: scil. malum culpæ, et illud est simpliciter vitandum, & causa est, quia est semper voluntarium. aliud est malum pœnæ, quod non est semper voluntarium, & illud non est simpliciter malum. *Quartum notabile. Dupliciter aliquod malum.*

Quintò notandum, quòd animal potest dici malum tribus modis. primo modo, quia defectuosum à natura. secundò, quia est nocivum aliis. tertiò modo, quia est depravatum moribus. *Quintum. tripliciter animal dicitur malum.*

His præmissis ponuntur propositiones. Prima Propositio. Homo solitarius & incivilis non habens usum rationis propter defectum naturalium, non est malus moraliter. probatur, quia quicquid talis facit hoc non est ab electione, & voluntate, sed ex defectu naturalium: igitur. patet consequentia, & antecedens patet de se. *Prima propositio.*

Item homo dicitur malus moraliter qui non habet liberum arbitrium bene vel male faciendi, et sic est de tali homine: igitur &c.

Secunda propositio. Homo incivilis et solitarius propter defectum naturalium solum non est pessimum animal. Probatur, quia talis homo non est malus moraliter &c. *Secunda.*

Tertia Propositio. Homo solitarius et incivilis qui usum rationis habebat, et postea amisit ex culpa voluntariè est pessimum animalium. probatur primò conclusio, ex malitiarum multitudine. secundò, ex malitiarum magnitudine. tertiò, ex malitiarum conditione. quartò, ex nocumenti illatione. Ex istis quatuor radicibus. Primo ex malitiarum multitudine. primo ex defectu quia caret perfectione quæ sibi debetur, non ut homo est. secundo, ex affectu est malus, quia semper affectat majorem malitiam. tertio, est malus ex effectu, quia talis est maxime nocivus aliis, et per consequens est pessimum animalium, quia est injustitia ferens arma. secundo ex malitiarum magnitudine. Unde sicut homo qui est elevatus ultra cursum naturæ dicitur divinus, et heroicus; ita et homo qui perdiderit usum rationis voluntariè, est bestia et diabolicus, patet ex illa Topica. *si oppositum in opposito, & propositum in proposito.* tertiò ex multiplici conditione, quia tali homini attribuuntur quinque prædicata imperfectibilia, ut dicitur Philosophus, quòd talis homo est maledictus, insocialis, illiberalis, sceleratus, et belli affectator. quartò ex nocumenti illatione, quia semper per suam astutiam multis aliis, immo toti politiæ infert nocumentum, ut quòd est latro, vel raptor; et hoc voluit dicere in hoc primo. *Tertia.*

Quantum ad secundum articulum. In quo videndum est de solitario contemplativo, *Secundum articulum.*

templativo. Et utrum ſolitarius contemplativus ſit inter omnes alios homines pejor vel melior.

Primum notabile. Contemplativus ſolitarius dupliciter.

Primò notandum eſt, quòd aliquis poteſt dici contemplativus ſolitarius dupliciter, uno modo quia eſt adeo abſtractus, ſic quòd non indiget cibis, et potibus, et veſtimentis: immo talis eſt elevatus ſupra curſum naturæ, ut fuit beatus Johannes Baptiſta. ſecundo modo qui indiget cibis, potibus, et veſtimentis, nihil tamen vult facere, niſi ſpeculari, et ille non eſt elevatus ultra curſum naturæ.

Secundum notabile.

Secundò notandum eſt, quòd iſta oratio [ſolitarius contemplativus eſt melior inter omnes homines] poteſt intelligi dupliciter. Uno modo communiter, quòd ſit omni homine melior. Secundo modo, quòd ſit meliorem vitam ducens.

Tertium.

Tertiò notandum eſt, quòd licet Deus primaria intentione ſit ſui gratia: tamen ſecundaria intentione eſt propter nos: ſcilicet quatenus nobis proficiat: iſtud eſt de intentione Philoſophi ſecundo Cœli. omne habens opus eſt gratia ſui operis.

Quartum.

Quartò ſupponuntur, quòd omne ens quantum natura ſibi permittit appetit aſſimilari ipſi Deo. Ex quo ſequitur primò quod homo naturaliter inclinatur ad benefaciendum aliis. ſecundò, ille qui ex deliberatione aliis nocet peccat contra naturam. Patet, quia facit contra judicium naturæ.

Quintum.

Quintò ſciendum, quòd ſtat aliquem eſſe in adulta ætate, qui nec bonus, nec malus moraliter eſſe dicitur. Patet de illo qui eſſet furioſus natus. Etiam patet de uno ſimplici heremita qui nullo modo intenderet aliis proficere, nec nocere.

Prima propoſitio.

His præmiſſis ſit prima propoſitio. Homo ſolitarius primo modo eſt inter omnes homines optimus. probatur, talis homo habet & ducit vitam angelicam & divinam, quæ excedit vitam humanam: igitur. Patet conſequentia: quia ſicut vitæ ad invicem ſe habent, ita talem vitam ducentes. Antecedens patet. quia talis homo dicitur heroicus & divinus.

Secunda.

Secunda propoſitio. talis ſolitarius & incivilis non debet eſſe ita ſolitarius, quin quandoque aliis interſit & proficiat. Probatur ex prima ſuppoſitione, ſive notabili, quia Deo debet maxime appetere aſſimilari, ut poſſit bene facere aliis, & alios docere; & niſi ſic fecerit non ſequitur vitam Chriſti.

Secundò ſic, ſequitur quòd vita ſolitaria non eſt felicitas. igitur &c. Conſequentia patet. & antecedens apparet per Senecam dicentem. *Nullum boni ſine ſocio eſt jucunda poſſeßio*, ſive delectatio, & Ariſt. octavo Ethicorum, *nullus eligeret ſine amicis vivere habens reliqua bona omnia.* ergo &c. Secundò, quia poſſe prodeſſe multis, & non facere eſt contra juſtitiam & charitatem: ergo talis ex recta ratione tenetur aliis benefacere. igitur: &c.

Tertia.

Tertia propoſitio. ſi eſſet aliquis ſolitarius, qui ab aliis nihil peteret, vel alios non informaret propter ſuam ignorantiam, talis non eſſet bonus moraliter, neque malus: ſed nec permittendus in civitate. probatur, quia ad hoc quòd ſit bonus requiritur quod operetur ad alios: quia juſtitia eſt reſpectu alterius, & liberalitas, &c.

Quarta.

Quarta propoſitio. quia ſi aliquis eſſet heremita vel ſolitarius, qui non haberet neceſſaria vitæ, qui non vellet laborare, immo indigeret ab aliis peteres

& non

& non vellet nisi speculationi vacare: talis est pernitiosus in civitate, & est cogendus à legislatore ad laborandum. probatur primo ex Apost. qui non laborat non manducet. secundò, quia non est securus quod maneat in voluntate illa, quia potest fieri malus, & intelligitur si sit fortis & robustus.

Quinta. Quinta propositio, Vita civilis est securior vita solitaria, nisi esset talis elevatus ultra cursum naturæ. patet conclusio ex dictis.

Tertium articulum. Quantum ad tertium articulum. Est videndum, utrum homo seperatus à lege & justitia sit pessimum animalium.

Primum notabile quid justitia. Et est primo notandum, quod in proposito per justitiam intelligitur quidam habitus intellectualis, mediante quo homo inclinatur ad reddendum unicuique quod suum est.

Secundum quid lex. Secundo notandum est quòd duplex est lex. quædam est naturalis, & est illa adquam natura inclinatur, esto quòd nullum est præceptum circa illam, ut nemini nocere, neminẽ interficere. Alia est positiva, & est illa quæ est instituta ab hominibus, ut à Senatoribus Curiæ Imperatorum Romanorum propter commune bonum; & non est inconveniens quod ista lex mutetur & varietur.

Tertium. Tertio notandum est, quòd privatus justitia dicitur qui facit actus oppositos justitiæ, & separatus à lege qui non facit secundum legem: sed operationes oppositas.

Quartum Quartò notandum, quòd in titulo quæstionis aliquid potest dici pessimum animal dupliciter. uno modo quoad naturam. alio modo quoad effectus & mores.

Prima propositio His dictis sit prima propositio. Homo separatus à lege & justitia non est pessimum animalium quoad naturam suam. probatur, quia adhuc semper est perfectum animal inter omnia animalia.

Secunda Secunda propositio. homo separatus à lege & justitia est pessimum animal inter omnia, quoad effectus & operationes. probatur ex quadruplici radice: sc. quia est illiberalis, belli affectator, &c. Et etiam patet ex malitiarum multitudine, & magnitudine, prout dictum est: quia in tali natura ex actibus ad mala inclinatur.

Ad rationes quæstionis. Ad rationes Quæstionis. Ad primam, quando dicitur, homo incivilis secundum rectam &c. dicitur, quòd si talis sit solitarius, & contemplativus, & quodammodo communicativus aliis, talis est bonus: sed si sit solitarius propter suam malitiam, dicitur quòd talis est malus & bestialis, & pessimum animal, quia est diabolicus.

Ad secundam, quando dicitur homo &c. conceditur quòd est pessimum animal, non quoad naturam; sed quoad mores.

Ad tertiam quando dicitur, illud est optimum animal &c. Conceditur major. Et concluditur bene de solitario contemplativo.

Ad quartam, quando dicitur propter solitudinem multa mala & peccata &c. Dicitur quod hoc est verum de multis: sed tamen constat quòd quandoque nocet, ut dictum est.

Ad quintam, quando dicitur solitudo & incivilitas &c. Conceditur de incivilitate & solitudine, quæ attribuuntur ex parte malitiæ. Et ulteriùs negatur consequentia, sed bene sequitur, quòd justitia est bona et laudanda.

Ad sextam, quando dicitur, multi sunt viri &c. Dicitur, quòd ratio bene arguit

de

desolitariis speculativus elevatis ultra cursum naturæ:

Ad septimam negatur antecedens. & dicitur quòd pessimum est quoad mores & operationes, licet non quoad naturam. Et dicitur quòd Arist. loquitur de Justitia in communi; sic concedit ur, sed non aliter, quia qui caret una virtute caret omnibus virtutibus.

Ratio post oppositum &c.

QUÆSTIO VI.

De servis factis à Natura.

QUæritur sextò. Utrum aliquis sit servus à natura?

Arguitur. Et arguitur primò quòd non, In aliis speciebus à specie humana non reperitur servitus à natura: igitur &c. Patet consequentia per simile, qua ratione non reperitur in aliis, nec in specie humana. Et antecedens patet per experientiam, quia non videmus quod unum individuum obligetur servire alteri ejusdem speciei servitute naturali.

Secundò sic arguitur. si sic, sequeretur quod cuilibet homini non orbato competeret talis servitus consequens est falsum: quia tunc nulli essent nobiles. Et probatur consequentia. quia quod convenit individuo unius speciei naturaliter, convenit omnibus, ut Isido. dicit, libro quarto Etymologiarum, quòd *Jus naturale est commune omni.*

Tertiò. Omnes homines sunt æquales in perfectione: igitur &c. Patet consequentia. quia postquam omnes homines sunt æquales, non videtur quare unus sit servus, & alius non. Et antecedens patet per Boe. de Consolatione dicentem, *omne hominum genus consimili surgit ab ortu.* Et subdit, *mortales egit æquali genere &c.* Patet consequentia, Geneſis quarto. natura omnes homines genuit æquales.

Quartò sic. Nam unus homo habet voluntatem ita liberam sicut alter, & è contrà: igitur patet consequentia, quia postquam libertas est in uno sicut in alio, sequitur propositum. Et antecedens probatur. quia voluntas est ita libera quòd si non esset libera, non esset voluntas.

Quintò sic. aliqua sunt loca & regiones in quibus omnes homines sunt æquales, & nullus servus. igitur. patet consequentia, quia naturale est commune omnibus. Et antecedens probatur. de quibusdam vocatis Bragmannis, unde quidam Didimus Rex scripsit Alexandro, quod in regione sua fuit tranquillitas omnium personarum, & æqualitas, & nullus alteri serviebat, ac si omnes essent in statu innocentiæ.

Sextò nullum violentum est à natura, sed quælibet servitus est violenta, ergo &c. Patet consequentia. Major apparet, quia violentum & naturale distinguuntur. Minor probatur, quia servitus infert quandam coactionem & per consequens quandam violentiam. Patet, quia dicitur primo hujus, despotizare injustum est, quia violentum est.

Septimò. Nullus homo se habet ad alium sicut organum ad principale mo-

ven

vens: igitur &c. Patet consequentia, quia sic se debet habere servus, Et antecedens patet, quia quilibet homo habet liberum arbitrium, sic quòd potest resistere non assentiendo sibi.

Octavò sic. Nulla servitus est naturalis: igitur &c. Patet consequentia. Et antecedens probatur, quia illa quæ dicuntur primo hujus, lege, hunc autem esse servum, hunc autem liberum natura non differre, propter quod despotizare injustum & violentum est.

Nonò. Nam non minus potest unus homo providere quam alter; non ergo unus est magis servus, quam alter. Consequentia patet per Philosophum: quia servus debet esse ille qui non potest mente providere. Antecedens patet quia omnes homines sunt æqualiter nobiles, & unus est ita nobilis sicut alter.

Decimò, si sequeretur, maximè esset verum de illo qui est robustus corpore, & qui non potest exequi præcepta domini: sed non ille: igitur &c. Patet consequentia per Philosophum dicentem quod robustus debet esse servus, & natura fecit corpora differentia inter servum & dominum. Et minor probatur, quia corpus ordinatur propter animam, ut dicunt morales, si ergo sit robustus & fortis corpore, sequitur quòd habet aliquid proportionabile in anima.

Undecimò arguitur: Nullus homo est servus legalis de jure, igitur &c. Consequentia patet, quoniam lex bene posita debet esse naturæ consona. Sed aliter probatur. quia si sic, maximè sequeretur quod esset ille servus qui esset devictus in bello: ut dicitur: sed hoc non, quia quidam dicunt quòd hoc injustum est.

Duodecimò sic. Omnis impotentia sive defectus est præter naturam, servitus est impotentia sive defectus: igitur &c. Major patet per Philosophum secundo Ethicorum dicentem, quòd omnis defectus est præter naturam. Et antecedens probatur: quia servus dicitur qui non habet mente providere, ut dicit Philosophus primo hujus. Et dominus ille qui potest mente providere de futuris.

Oppositum est de intentione Philosophi primo hujus, capitulo secundo, ubi dicitur, quòd aliquis est servus à natura, & etiam dominus, propter hoc natura fecit corpora divina, et multa adducit pro probatione. *In oppositum.*

In ista Quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur notabilia. In secundo conclusiones. In tertio dubia. Et videbitur quomodo dicta sanctorum, et dicta Philosophi possunt concordari.

Quantum ad primum articulum, Est notandum, quòd illud dicitur à natura quod nec violenter nec voluntariè est introductum: sed solum ex necessitate & inclinatione & ordinatione naturæ, sicut comburere, ardere respectu ignis. habet enim hoc ex naturali inclinatione. Ex isto sequitur corollario quòd illud quod est voluntarium à voluntate particulari, & creata, non debet dici naturale. Et dicitur notanter [à voluntate particulari] quia omne ens est naturale de voluntate universali divina. *Primus articulus.* *Primum notabile, aliquid esse à natura.*

Secundo notandum est quòd aliquid dicitur esse à natura dupliciter, uno modo quia ineſt à tota specie, scilicet cuilibet individuo speciei disposito naturaliter, & isto modo nullus est servus à natura, quia non ineſt cuilibet individuo speciei: sed alio modo quia in eadem specie est quædam differentia ordinata ad legitimos fines, sicut diceremus de masculo et femella, domestico et silvestri, et inter individua ejusdem speciei. Ex hoc sequitur corollario, quando dicitur, *Secundum notabile. dupliciter aliquid dicitur esse à natura.*

Quartò dicitur, quòd justitia proportionatur sanitati, quia sicut justitia conservat æqualitatem & debitum medium in dando: ita etiam sanitas conservat æqualitatem & debitum medium humorum corporalium adinvicem. Ex quibus patet, quòd Eustrachius bene dicit ubi prius fuit allegatus.

Quartum. Quartò notandum est, quòd sicut corpus ordinatur ad animam tanquam minus principale ad magis principale, & minus perfectum ad magis perfectum: ita etiam bona corporis ad bona animæ. Prima pars patet, quia corpus est ad serviendum animæ, & non nisi ad bonum animæ. & sic deterius est semper gratia melioris. Ex quo sequitur, quòd nullum bonum corporis est bonum honestum, licet sit bonum utile. patet, qui nullum bonum corporis est propter se eligendum; sed quod sit bonum utile satis patet de se.

Secundum articulum. Quantum ad secundum articulum. Sit prima conclusio: fœlicitas humana non consistit primo & principaliter in bonis corporis. Patet primò, quia fœlicitas non debet nobis inesse à natura; sed debet nobis inesse acquisita: sed bona corporis insunt nobis à natura. igitur.

Prima conclusio. Secundò sic: fœlicitas non debet esse communis nobis & brutis, sed bona corporis sunt hujusmodi. imo multa bona corporis sunt in brutis, quæ non sunt in nobis.

Tertiò sic: fœlicitas non debet esse communis bonis & malis. igitur.

Quartò sic: fœlicitas non debet nobis præbere occasionem peccandi; sed bona corporis sunt hujusmodi. igitur.

Quintò sic; quia fœlicitas non debet nobis esse bonum propter aliud melius acquirendum; quià fœlicitas est ultimus finis; sed bona corporis non sunt quærenda propter se.

Sextò sic: bona animæ sunt perfectiora bonis corporis. igitur. patet consequentia, quia sunt posteriora viâ generationis, & sunt priora viâ perfectionis; quoniam natura semper procedit de imperfecto ad perfectum, & ideo dicit Philosophus in fine Hujus Septimi: quòd *pueri sunt prius introducti in imperfectioribus*: modò bona animæ sunt posteriora viâ generationis bonis corporis.

Secunda. Secunda conclusio est ista: in bonis corporis primo & principaliter humana fœlicitas non consistit; tamen organicè & instrumentaliter & minus principaliter bona corporis sunt necessaria ad fœlicitatem humanam. Prima pars patet ex præcedenti conclusione. Secunda pars satis patet per Philosophum Secundo Ethicorum, quia anima sine sensuum vivacitate non potest bene exercere opera virtutum & operationes virtuosas, ideo dicit Philosophus, quòd quædam sunt ad fœlicitatem necessaria, & quædam quæ habent continuare.

Ad rationes. Ad rationes ante oppositum. Ad primam quando dicitur; voluptas est bonum quæsitum propter se &c. negetur ista. loquendo de bono ultimato. Unde sicut debet alibi videri non est inconveniens, quando sunt plures fines subordinati. unde bene stat quòd aliquid propter se acquiratur, & hoc est solum ab illis qui habent appetitum corruptum.

Ad secundum cum dicitur, quòd voluptas est summè appetibilis; negetur illa loquendo simpliciter. ad probationem, quia tristitia ei opposita est summè tristabilis & fugibilis; negetur illa loquendo de tristitia voluptati oppositæ, quià melius est omnem tristitiam sustinere quam aliquo modo animam maculare.

Ad tertiam negetur antecedens, ad probationem dicitur de delectatione, quia

quia quandoque capitur pro voluptate; quandoque non.

Ad quartam, quando dicitur, quòd sanitas est quid optimum; dicitur quod ista ratio bene arguit, quòd sanitas est necessaria; non tamen in illo principaliter consistit fœlicitas.

Ad quintam dicitur, quòd in bona animæ consistit: ad probationem, dicitur, quòd consequentia non valet, & eodem modo argueretur, quòd finis esset meliordinatis in finem.

Ad sextam, negetur, ad probationem, cum dicitur, quòd mors est ultimum terribilium, licet ita sit; tamen melius multo est vivere virtuosè per modicum tempus & statim mori, quam è converso, ad probationem dicitur, quòd loquitur contra illos qui ponebant fœlicitatem humanam in bonis exterioribus.

Ratio post oppositum est prodictis.

QUÆSTIO III.

De fœlicitate qua ponitur in habitu & actu:

QUæritur tertiò. Utrum fœlicitas humana consistat in virtute, vel in opere virtutis.

Arguitur quod consistit in virtute auctoritate Senecæ in libro de vita beata. Item auctoritate ejusdem in multis epistolis. Item auctoritate Tullii in libro de Officiis. De vita beata dicit Seneca: *quid petam de virtute, ipsa nihil melius esset seipsa.* Item dicit, quòd *est quoddam bonum honestum, quod non potest augeri vel minui*: & tale est virtus. Item Tullius dicit, quòd *bonum honestum est, quod sua vi nos trahit, & sua virtute nos allicit*. & illud est virtus. ergo. patet propositum. *Arguitur.*

Secundo sic: fœlicitas consistit in illo quod est bonum seipso, & non ex alio; sed virtus est bona seipsa, quia esset propter se eligibilis, esto quòd nullum bonum inde sequeretur. Item patet, quòd una operatio secundum substantiam in uno est bona, & in alio est mala: & sic patet, quòd operatio seipsa non est bona; immò totam bonitatem capit à virtute. Tertiò sic: principaliter fœlicitas humana debet principaliter consistere in illo secundum quòd homo dicitur bonus simpliciter: sed non dicitur bonus operatione. Ergò. major patet, & minor probatur: nam non laudamus aliquem ex opere suo, nisi percipiamus opus suum provenire ex virtute & bono habitu: & ideo dicit Philosophus: non fortissimi & optimi coronantur, sed agonizantes, verum est, dum sciamus talem operationem provenire ex habitu bono & virtuoso: etiam patet exemplo, quod nunquam virtus moralis est in aliquo, nisi in bono: nos autem sumus domini operationum nostrarum usque ad finem.

Quartò sic: operatio virtutis non est delectabilissima. ergo. patet consequentia, quia fœlicitas humana est quid delectabilissimum. Antecedens probatur, quia operatio est laboriosa, cum ipsa sit circa difficile; ut habetur Secundo Ethicorum, modò laboriosum non est delectabile.

Quintò sic: virtus moralis est melior & præstantior operatione ejusdem, &c.

patet consequentia, quia fœlicitas est optimum possibile homini in ista vita. antecedens probatur, quia virtus moralis debet dirigere operationem, modo dirigens est nobilius directo.

Sexto sic: nam si fœlicitas consisteret in operatione virtutis, sequeretur quòd pluries in die contingeret esse fœlicem eundem hominem & miserum, Consequens est falsum, ut notum est. Consequentia patet, quia contingit frequenter in die operari secundum virtutem, & frequenter ab illo opere cessare.

Septimò: operatio virtutis non est perfectissima. igitur. consequentia patet, quia notum est, quòd fœlicitas debet esse quid perfectissimum. Et antecedens probatur, quia operatio virtutis per delectationem virtutis perficitur, quia dicitur decimo Ethicorum; quòd delectatio perficit operationem.

Octavo sic; fœlicitas humana debet esse diuturna; sed operatio virtutis non est hujusmodi; imo nec virtus. ergo. patet consequentia & major ex terminis: quia aliter possibile esset, quod fœlix fieret miser. minor probatur, quia operatio est laboriosa, & non potest ei vacare. sed oportet quandoque aliis vacare.

Nono sic: fœlicitas humana consistit in scientiis speculativis, quæ sunt quædam virtutes intellectuales. igitur. patet consequentia ex terminis, & antecedens principale probatur per Commentatorem in Septimo Ethicorum in prologo; ubi dicit, quod *tota perfectio hominis consistit in scientia speculativa*: modo tota perfectio hominis est fœlicitas sua.

Decimo sic: possibile est aliquem esse fœlicem sine operatione. ergo. consequentia patet, & antecedens probatur, quia virtus moralis acquiritur, vel potest acquiri sine operatione exteriori. Item pauper est ita liberalis sicut dives.

In oppositum. Oppositum tamen vult Philosophus in isto Septimo, & in Primo Ethicorum. Et arguitur sic quibusdam rationibus: quia si fœlicitas consisteret in virtute, sequeretur, quod possibile esset aliquem fœlicem multas habere miserias. Consequens est falsum, quia fœlicitas excludit omnem miseriam. Et probatur consequentia, quia dicit Philosophus in 1. Ethic. quòd *habentem virtutem multa infortunia tribulant*. Secundo sic: fœlicitas magis consistit in illo quod quæritur propter se, quam quod quæritur propter aliud: sed virtus quæritur propter aliud, & opera non: ergo. Major patet de se, & minor patet, quia virtus est quæ habentem perficit & opus ejus bonum reddit. Tertio sic: excellentius & perfectius est operari secundum virtutem, quam habere virtutem & non operari secundum eam, modò fœlicitas est excellentior semper, ergo. Major patet à simili, quia excellentius est uti divitiis, quam habere & non bene uti eis; ita esset in proposito, & etiam potest adduci illa auctoritas in Olympiadibus: *non optimi & fortissimi coronantur, sed agonizantes*: major patet clare, quoniam fœlicitas est quid optimum & perfectissimum.

Quarto sic: fœlicitas est quid delectabilissimum; sed delectatio operationis est necessariò annexa operationi & non virtuti; major patet, & minor per Philosophum 4. Ethicorum dicentem: *delectationes inseparabiles sunt ab operationibus*.

Quintò sic: fœlicitas est quid sufficientissimum; sic quod habita fœlicitate nihil ulterius ab homine quæritur. Sed virtus moralis non est quid sufficientissimum. igitur. Patet major, quia fœlicitas debet nostrum appetitum quietare, minor patet, quia virtute habita homo petit adhuc secundum illam virtutem operari.

Sextò

Sextò sic: fœlicitas humana consistit in contemplatione summi boni, ergo, patet consequentia, quia talis contemplatio est quædam operatio: antecedens non est dubium.

Septimò: fœlicitas consistit in illo per quod immediatius unitur potentia fœlicitabilis cum objecto fœlici, sed hoc est per operationem virtutis, & non per virtutem. ergo. Patet consequentia, & antecedens patet pro utraque parte, ut notum est, verum est quòd Aristoteles & Seneca in ista materia sunt contrarii sicut patet ex istis & ex auctoritatibus Senecæ allegatis in epistolis suis hinc inde, & idem dicit Tullius cum Seneca, sicut oppositum est ante oppositum. In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus.

Quantum ad primum articulum. Primò notandum, quòd fœlicitas uno modo capitur pro statu eligibilissimo in ista vita, & sic non est aliquid unum; sed est aggregatus ex omnibus illis quæ virtuosus mallet habere quam non habere: & sic non capitur hic, quia non solum consistit in virtute vel opere virtutis; sed in omnibus simul. Et sic capitur à Boetio 3. de consolatione. Secundo modo capitur pro quodam bono simplici, quod est optimum inter omnia bona possibilia homini in hac vita; ut est speculatio Dei: & isto modo capitur hic; cum quæritur: utrum fœlicitas est operatio, vel virtus illius operis, vel actus.

Primum notabile.

Dupliciter capitur fœlicitas.

Secundum.

Secundo notandum est, quod duplices sunt operationes: quædam sunt interiores, quæ dicuntur elicitæ, aliæ sunt exteriores operationes in potestate nostra; ut eleemosynas dare.

Duplices sunt operationes in homine.

Tertium.

Tertio notandum est, quod inter operationes elicitas & imperatas sunt duplices differentiæ. Prima est; quia operetiones elicitæ sunt per seliberæ, & operationes imperatæ non; quia illæ necessario sequuntur effectivè volitionem. Secunda differentia: quia operationes imperatæ non sunt meritoriæ vel demeritoriæ, bonæ vel malæ, nisi propter bonitatem vel malitiam operationum elicitarum. Sed communis opinio est, quod actus exteriores non addunt bonitatem vel malitiam operationibus interioribus. Tertia est: quia operationes elicitæ animam perficiunt sed operationes imperatæ animam decorant per istum modum; scil, si percipiamus operationes exteriores frequentatas, dicimus animam esse decoram. Quarta differentia est: quia operationes exteriores reguntur per operationes interiores, licet non è contra.

Quadruplex est doctrina inter operationes elicitas & imperatas.

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio: operationes exteriores non sunt perfectiores virtutibus, patet conclusio; quia virtutes morales perfectius informant animam, quam operationes exteriores. Item, quia virtutes seipsis sunt bonæ. Item non laudamur propter operationes exteriores, nisi quia percipimus quod ab illis habitibus virtuosis proveniunt.

Secundus articulus.

Prima conclusio.

Secunda conclusio; operatio interior & elicita est melior & perfectior virtute cujus est actus. probatur, quia operatio fœlicitabilis per operationem interiorem intimiùs unitur cum subjecto ipsam beatificante; ergo. patet consequentia, quia quanto actus intimiùs unitur cum subjecto, tanto est melior & antecedens probatur, quia per actualem speculationem Dei, qui est finis omnium, magis quietatur mens quam per purum habitum. Item non proficeret homini habere habitum & nunquam exire in operationem, imo nullus tales habitus eligeret. Tertiò: nam homines magis laudantur per tales actus interiores. ergo. Patet consequentia, & antecedens probatur, quia tales operationes sunt in potestate

Secunda.

nostra, postquam sunt acquisitæ, modo magis laudamur propter illud quod est in potestate nostra, quam è converso:

Quarto sic: operationes sunt causæ virtutum, ergo, patet consequentia, & antecedens probatur per Philosophum Secundo Ethicorum dicentem: *Ex actibus secundum rationem commensuratis fiunt & generantur virtutes. Et ideo fabricando fabri sumus, & sytharizando sytharistæ.*

Tertia. Ex istis sequitur conclusio responsiva: quod fœlicitas consistit in operatione
Conclusio responsiva. virtutis, & non in virtute. Patet conclusio ex dictis, quia fœlicitas est eligibilis propter se, & debet esse ultimus finis, & omnia alia debent propter ipsum acquiri. Modò omnia ista conveniunt operationi virtutis. Et istud patet ex definitione fœlicitatis: nam fœlicitas est operatio, etiam ut prius patuit.

Tertium articulus. Quintum ad tertium articulum. Sit prima dubitatio. Utrum fœlicitas capta ut dictum est sit eligibilissima. Arguitur quod sic: quia aliàs non haberet
Primum dubium. contentare appetitum hominis.

Arguitur. Oppositum arguitur sic: nam fœlicitas isto modo capta cum minimo bono
In Oppositum. sumpta redditur eligibilior; & tamen est possibile, quòd cum alio bono connumeretur. ergo, patet conclusio ex dictis Philosophi primo Ethicorum. Et minor patet, quia contemplatio Dei conjungi potest cum amicitia & possessione
Prima conclusio. bonorum exteriorum; & sic tale bonum est eligibilius. Pro intellectu hujus sit prima conclusio: fœlicitas capta primo modo non est eligibilior, melior & perfectior fœlicitate sumpta pro simplici bono meliori inter omnia bona possibilia homini.

Secunda. Secunda conclusio: inter omnia bona possibilia homini fœlicitas secundo modo capta est quid optimum & perfectissimum. patet, quia est finis ad quem omnia alia ordinantur.

Tertia. Tertia conclusio: non obstante secunda conclusione fœlicitas capta secundo modo connumerata cum minimo bono redditur eligibilior: patet per Philosophum primo Ethicorum. Et tunc ad argumentum: quando arguitur est bonum eligibilissimum: verum est inter bona simplicia homini possibilia in vita: cum hoc tamen stat, quod actus est eligibilior in quo habetur fœlicitas secundo modo dicta.

Secundum dubium. Secundo dubitatur: Utrum ille qui cessat ab operatione in qua fœlicitas humana consistit compulsus naturali necessitate, ut comestione vel dormitione; & sic de aliis, reddatur miser.

Arguitur. Et videtur quòd sic, quia omnis status qui recedit à fœlicitate est miseria. igitur.

Notabile. Pro quo notandum est, quòd miseria capitur dupliciter. Uno modo, prout
Miseria capitur dupliciter. opponitur contrariè fœlicitati, & sic ad esse miserum non sufficit carere fœlicitate: sed quòd homo natus sit in malitia. Secundo modo est carere fœlicitate in subjecto apto nato, quando debet esse, & quomodo. & qualiter, & cum aliis circumstantiis: & sic sumendo miseriam, Dicitur, quòd non est miser qui cessat à tali operatione in qua est humana fœlicitas solum compulsus naturali necessitate, & isto modo dicitur miseria privativè: & ideo homo dicitur cæcus, quia non videt sed est aptus natus ad videndum, & ita est in proposito, quia adhuc est in fœlicitate habituali: sic quòd omnes operationes quas exercet ordinat in operationem, quæ est fœlicitas humana: ut scilicet comedat: vel dormiat; quòd hoc

hoc faciat ut melius & liberius possit divinæ speculationi vacare.

Dubitatur tertio : Utrum possibile sit per potentiam liberam habituatam *Tertium.* habitu vitioso bonam operationem eligere ? Et videtur quod sic : quia aliàs non *Arguitur.* esset libera.

Oppositum arguitur, Nulla est operatio bona, nisi ab habitu bono, nec mala, *In oppositum.* nisi ab habitu malo : ergo. patet consequentia, & antecedens notum est, quia dicitur Secundo Ethicorum, quòd *virtus est quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit.*

Pro quo est notandum, quòd ad bonam operationem interiorem elicitam *Primum notan.* frequenter requiruntur duæ causæ, una principalis : scilicet potentia libera, alia *bile,* est instrumentalis, quæ est directiva : quatenus promptius talem actum produ- *ad bonam ope-* cat : & vocatur virtus, & isto modo dicitur ; quòd virtus perficit opus. *rationem inte-*

Secundò notandum est ; quòd quantum est de se potentia libera quantum- *riorem duæ cau-* cunque habituata potest producere actum vitiosum vel virtuosum ; verum est ta- *sæ requiruntur.* men quòd quandoque facilitatur & dirigitur, ut dictum est, a virtute & ha- *Secundum.* bitibus. Ex istis patet, quòd virtus non est principium bonæ operationis principale.

Ad rationes. Ad primam ad auctoritatem Tullii & Senecæ. Dicitur quòd *Ad rationes.* fuerunt illius operationis.

Ad secundam conceditur : fœlicitas consistit in illo &c. negatur minor, & dicitur, quòd operatio in quo consistit fœlicitas, de qua est ad propositum, est de se bona, & non potest malefieri, & virtus ordinatur ad talem operationem, ut sunt dilectio : vel contemplatio : vel visio Dei.

Ad tertiam quando dicitur ; fœlicitas magis consistit in illo &c. Dicitur conformiter negando minorem, loquendo de operatione de qua est ad propositum, ut clarum est. & talis operatio est optima, & non potest melius acquiri in hac vita : sed homo potest melius quærere quam virtutes.

Ad quartam cum dicitur : operatio virtutis non est delectabilissima. negatur ista ; loquendo de operatione ista. Et quando dicitur, virtus est circa difficilia & laboriosa. Dicitur, quòd licet sit tristitia quantum ad membra deservientia intellectui & vires inferiores ; tamen illa tristitia propter delectationem & fruitionem vel visionem totaliter & omnino exterminatur.

Ad quintam negatur antecedens. Ad probationem. dicitur, quòd hoc facit virtus instrumentaliter & non principaliter.

Ad sextam negatur minor. loquendo de operatione de qua est hic ad propositum. Et quando dicitur ; delectatio perficit operationem. Dicitur, quod hoc est verum ; loquendo de operationibus ordinatis in illam operationem. primò dicitur ; quòd secundum aliquos delectatio est ipsamet fœlicitas.

Ad septimam negatur consequentia, & dicitur, quòd sufficit quòd aliquis sit actu vel habitu fœlix.

Ad octavam dicitur consimiliter.

Ad nonam dicitur ; quòd magis videbitur post : scilicet, utrum fœlicitas consistat in actibus intellectûs vel voluntatis.

Ad decimam dicitur, quòd consistit in actu interiori, & ille actus est perfectior.

QUÆSTIO IV.

De fœlicitate in delectatione.

Quæritur quartò. Utrum fœlicitas sit realiter delectatio?

Arguitur. Arguitur quod non. nulla passio est fœlicitas: sed delectatio est passio, consequentia est nota, & major probatur. quia sicut dicit Eustra: quòd

Quid passio. *passio est animæ irrationalis motus.* modò clarum est, quod hoc non convenit fœlicitati, ex alio patet, quia propter passiones non laudamur, ergo. major patet per Philosophum in Tertio Ethicorum, & in aliis multis locis.

Secundò sic, fœlicitas est operatio; sed delectatio non est operatio. ergo. consequentia est nota, & major ex diffinitione fœlicitatis, ubi dicitur; quòd *fœlicitas est operatio secundum virtutem.* Et major probatur, quia delectatio auget operationem & sequitur eam; ut habetur Sexto Ethicorum, & per consequens sequitur propositum.

Tertiò sic: nulla delectatio sponte & libere elicitur; sed fœlicitas libere elicitur. igitur. consequentia est nota, & major patet per Philosophum Secundo Ethicorum, qui per hoc probat, quòd virtutes non sunt passiones, quia in aliis videmus, quòd multi delectati volunt & non possunt. Apparet etiam, quòd tristitia non libere elicitur. minor patet, quia alias propter ipsam non laudaremur nec redderemur habiles.

Quartò sic: fœlicitas & delectatio habent objecta distincta. ergo. consequentia est nota ex eo, quia *habitus adinvicem distinguuntur per objecta.* secundo de anima. antecedens probatur, nam objectum fœlicitatis est ipse Deus, objectum delectationis est actus animæ.

Quintò sic: fœlicitas est actus rectus, & delectatio est actus reflexus, & non rectus. ergo. consequentia est nota, & major patet, quia est actus quo potentia fœlicitabilis immediate & recte fertur in objectum delectabilissimum: sed delectatio est actus reflexus, qui fertur super actum animæ.

Sextò sic: fœlicitas secum compatitur dolores & tristitias: ergo. consequentia est nota, quia delectatio non secum compatitur tristitias, & antecedens patet per Philosophum Quinto Ethicorum dicentem; quod multa infortunia circumdant.

Septimò sic: tristitia & miseria non sunt illud. ergo. patet consequentia per regulam: Si oppositum in opposito &c. Et antecedens probatur, quia jam diceretur tristitia.

Octavò sic: si sic esset, sequeretur, quod omnes virtutes morales essent passiones. consequens est falsum, ut patet per Philosophum Secundo Ethicorum. probatur consequentia, quia passionem sequitur delectatio: similiter ad virtutem moralem sequitur fœlicitas; cum fœlicitas sit finis eorum.

Nonò sic: per Philosophum Primo Ethicorum dicentem; quod fœlicitati est delectatio admixta, & etiam arguitur auctoritate ejusdem in Septimo Ethicorum dicentis; quòd delectatio implicatur in fœlicitate. Tertia auctoritas est Primo Ethicorum, ubi dicitur, quòd fœlicitas habet delectationem in seipsam.

Oppositum

Oppositum est de intentione Philosophi Decimo Ethicorum; ubi hoc dicitur, & concluditur hinc inde. *In Oppositum.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo respondebitur ad quæsitum. In secundo erunt dubia.

Quantum ad primum articulum. Videndum est de quæsito principali; & primò præmittitur, quod in præsenti quæstione fit mentio de felicitate meritoria homini possibilis in hac vita. *Primus articulus. Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod fœlicitas prout sufficit ad propositum debet esse satiativa appetitus rationalis, & quietativa humanæ voluntatis. hoc patet, quia fœlicitas debet esse quid optimum & delectabilissimum: modò nullum est tale, quin sit satiativum & quietativum. Et ob hoc dicit Augustinus *Domine inquietum est cor meum donec in te requiescat.* *Secundum.*

Tertiò notandum est, quòd in genere actus ipsius animæ sunt duplices: quidam sunt producti naturaliter, & non mediante consilio: ut sunt sensationes; sicut etiam sunt primi actus voluntatis qui consequuntur naturalem rei justitiam aut delectationem. alii sunt actus ipsius animæ qui consequuntur primos actus animæ, & quandoque duos; ut sunt tristitiæ & delectationes. Et illi actus vocantur passiones animæ. *Tertium. Duplices sunt actus animæ.*

Quartò notandum est, quòd circa actus animæ, qui dicuntur passiones animæ, adhuc sunt duplices: quidam qui consequuntur naturalem apprehensionem objecti sine discursu primo: ut si præsentetur aliquod sensibile excellens alicui homini: manifestum est, quod auget, & tristitiam compatitur. *Quartum. Circa passiones animæ sunt duplices actus.*

Unde *passio est repentinus impetus sequens naturalem notitiam sive apprehensionem naturalem*, ut dicit Commentator Secundo Metaphysicæ sed aliæ sunt passiones quæ consequuntur operationes animæ sponte & liberè elicitas, ut volitio, nolitio. *Quid passio.*

Quintò notandum est, quod differentia est inter passiones consequentes naturalem apprehensionem objecti, & inter passiones consequentes operationem animæ libere, quia secundum primas passiones nec laudamur nec vituperamur; quia tales non sunt in potestate nostra & voluntate: sed secundum secundas passiones nos laudamur & vituperamur. *Quintum. Differentia est inter passiones consequentes apprehensionem objecti & inter consequentes operationem voluntatis.*

Sextò notandum est, quòd delectationes consequentes operationes animæ liberè & sponte elicitas sunt duplices: Nam quædam sunt corporales: aliæ spirituales & intellectuales. Primæ vocantur voluptates. Secundæ vocantur delectationes secundum quas aliquis dicitur temperatus vel intemperatus, & non secundum secundas. *Sextum.*

Septimò notandum est, quòd conformiter distinguere possumus de tristitia & miseria; sicut dictum est in quæstione præcedenti. nam quædam sunt sensibiles: aliæ sunt spirituales & intellectuales. *Septimum.*

Prima conclusio: loquendo de delectatione corporali seu sensitiva; humana fœlicitas non est delectatio: probatur, quia illa delectatio non est in fœlicitate quæ sic se habet; quòd quanto plus reputatur, tanto dicitur beatior: sed delectatio sensitiva seu corporis est hujusmodi: ergo. consequentia est nota. & major similiter. Minor patet per Philosophum in isto Septimo Hujus, qui expressè hoc ponit. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: cum fœlicitate homini possibili in hac vita bene stant *Secunda.*

miseriæ

miseriæ & dolores corporales sensitivæ. Ista conclusio est de mente Philosophi Ethicorum Primo, ubi dicit, quòd multa infortunia tribulant fœlicem: sed illis tribulationibus refulget bonum.

Tertia. Tertia conclusio: cum fœlicitate possibili in hac vita non stat miseria sine tristitia speciali. probatur conclusio: quia fœlicitas debet esse operatio partis rationalis secundum perfectissimam virtutem & in vita perfecta, & pro moderamine sequentis conclusionis capitur ibi fœlicitas pro summo bono simplici, quod est optimum inter omnia bona homini possibilia in hac vita.

Quarta. Responsiva. Quarta conclusio responsiva: loquendo de delectatione spirituali & intellectuali quæ est potissima fœlicitas, de qua est in proposito, est delectatio. probatur, quia sola delectatio talis est simpliciter quietativa & satiativa perfecti nostri appetitus. consequentia est nota, & antecedens probatur, quia clarum est, quòd quicquid habeatur, sive sit bonum corporis, sive bonum animæ, nunquam appetitus satiatur, nisi habeat delectationem.

Secundò: delectatio nostra propter seipsam acquiritur propriissime, ergo. consequentia est nota, & antecedens probatur. quia si quæcunque bona haberentur, & non delectatio; adhuc delectatio quæreretur.

Tertiò: illud formaliter & proprissime est fœlicitas, quod formaliter & intrinsecè opponitur miseriæ & tristitiæ: sed delectatio est hujusmodi: ergo.

Quartò: miseria summa est summa tristitia: ergo summa delectatio est summa fœlicitas, consequentia patet, & antecedens notum est.

Quintò sic: illud est fœlicitas quod proprissime omnes appetunt: sed omnes appetunt delectationem: igitur. consequentia est nota. & antecedens similiter.

Secundus articulus. Quantum ad secundum articulum, ponuntur dubitationes. prima est: utrum fœlix sit major fœlicior?

Primum dubium. Arguitur. Arguitur quòd non, quia omnis fœlix est fœlicissimus. ergo. consequentia est nota & antecedens, quia fœlicitas est eligibilissima: modò bono summo nihil est melius.

Secundò sic; sequeretur quòd minus fœlix non esset fœlix, Consequens est falsum, ut notum est. Patet consequentia, quia ad hoc quòd aliquis sit fœlix, oportet quòd appetitus ejus sit satiatus, & sic minus fœlix appeteret esse magis fœlix.

In oppositum. Oppositum arguitur, quia minus virtuosus est virtuoso virtuosior ergo. Consequentia patet, quia sicut se habent virtutes ad virtutes; ita se habent operationes ad operationes. Item Johan: 10. *in domo patris mei multæ mansiones sunt.*

Notabile. Duo sunt in fœlicitate consideranda. Pro quo notandum est, quod in fœlicitate sunt duo considerandа: scil. objectum fœlicitativum, quod est ipse Deus. aliud est, adeptio illius objecti seu summi boni; & est dilectio, seu cognitio ipsius boni: si fœlicitas ponatur in actu ipsius intellectus, sic est cognitio: si in actu voluntatis, sic est dilectio. Primum est fœlicitas objectalis. Secundum est fœlicitas formalis.

Prima conclusio. Prima conclusio: Loquendo de fœlicitate objectali. unus fœlix non est alio fœlice fœlicior. Probatur, quia idē est objectū fœlicitatis, objectalis, & formalis.

Secunda. Secunda conclusio: Loquendo de fœlicitate formali unus homo est alio fœlicior. Probatur, quia unus fœlix cognoscit perfectiori modo objectum fœlicitativum quàm alius: ergo. Consequentia est nota, & antecedens probatur, quia secundum hoc quod potentiæ fœlicitabiles diversificantur secundum hoc ille magis & minus cognoscunt.

Ad

Ad rationes dubii. Ad primam; negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod verum est, loquendo de fœlicitate objectali: sed non loquendo de formali. *Ad rationes dubii.*

Ad secundam; negatur consequentia. Ad probationem negatur antecedens, quia quilibet de sua fœlicitate contentatur.

Dubitatur secundò: utrum fœlicitas humana sit amissibilis. *Dubium secundum.*

Arguitur quod sic: quia operatio intellectus vel voluntatis est amissibilis; sed fœlicitas est hujusmodi operatio: igitur. *Arguitur.*

Secundò sic: fœlicitas habet principium & initium: ergo habet finem. Consequentia tenet, quia principio correspondet finis. Antecedens notum est. *In oppositum.*

Oppositum arguitur, quia virtus non est amissibilis: ergo. Consequentia tenet. Et antecedens patet per Philosophum Primo & Secundo Ethicorum.

Pro solutione sit prima conclusio: fœlicitas meritoria, quæ est homini possibilis in hac vita, est amissibilis saltem difficulter. Probatur per rationes antè oppositum, quia homo semper habet liberum arbitrium, & dicitur difficulter: ergo fœlicitas est habitus. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio: fœlicitas præmiatoria non est amissibilis. Probatur, quia nullus est simpliciter beatus, nisi habeat firmam opinionem quod sic perpetuo remanebit: tunc arguitur sic: vel illa opinio est vera; & tunc habetur propositum: vel opinio illa est falsa; & sic intellectus est deceptus, & falsum est objectum ejus, & per consequens non est fœlix: & tunc sequitur quòd fœlicitati sit malum admixtum. *Secunda.*

Secundò, si sic esset, vel hoc esset, quia voluntas libere alteri objecto fœlicitabili converteret se; vel quia tale objectum se abstrahit à voluntate, nullum istorum potest dici: ergo. Primum non, quia voluntas nunquam ab illo se abstrahit, ideo non judicat esse aliquod incommodum. Nec secundum potest dici; quia hoc non faceret, nisi esset in potentia fœlicitabili, quod non est ibi ut supponitur. Ratio post oppositum arguit, quòd fœlicitas non est de facili amissibilis.

Dubitatur tertiò: utrum omnes appetant fœlicitatem? Arguitur quod non, quia non omnes cognoscunt fœlicitatem; ergo non omnes appetunt eam. Consequentia tenet, quia appetitus saltem sensitivus non intellectualis non fertur, nisi incognitum. Et antecedens patet, quia multi antiqui multas opiniones habuerunt de fœlicitate. Secundò, dicit Augustinus quòd *fœlix est qui habet quicquid vult.* *Dubium tertium.* *Arguitur.*

Oppositum arguitur: quia fœlicitas est ultimus finis humanæ vitæ: ergo. Patet consequentia, quia omnes homines appetunt finem. Antecedens patet, quia fœlicitate habita quietatur intellectus. *In oppositum.*

Pro intellectu hujus notandum est, quod fœlicitas dupliciter accipitur: Uno modo, pro illo quod est optimum secundum rationem ejus communem. Alio modo, secundum ejus rationem specialem in qua consistit, cui attribuuntur omnia ista prædicata: scilicet optimum: perfectissimum: sapientissimum: & per se, & in isto multi defecerunt: sed non in alio, scil. in primo, quia sciverunt omnes quod est unum primum ens optimum. *Notabile.* *Dupliciter capitur fœlicitas.*

Prima conclusio est: loquendo de speciali ratione fœlicitatis non omnes homines appetunt appetitu rationali fœlicitatem. Patet per primam rationem antè oppositum. *Prima conclusio.*

te oppositum: quia non omnes cognoscunt fœlicitatem.

Secunda. Secunda conclusio: loquendo de generali ratione fœlicitatis omnes homines naturaliter, & naturali inclinatione appetunt illud quod est perfectissimum & sufficientissimum per se. Loquendo de appetitu animalis & etiam loquendo de hominibus utentibus bona ratione & recta.

Quartum dubium. Quartum dubium: utrum fœlicitas humana insit à principio, quo quis sit fœlix, & duret usque in finem vitæ?

Arguitur. Et arguitur quod non, quia natura humana est labilis, & per consequens sequitur, quod potest duci ad oppositum.

Secundò sic: quia fœlicitas est operatio virtutis: modò homo non semper operatur opera virtuosa, ergo sequitur, quod non semper est fœlix.

In oppositum. Oppositum arguitur per definitionem fœlicitatis: *quæ est operatio animæ rationalis secundum vitam perfectam, & in vita perfecta.* i. continuata, & nullo modo corrupta vel interrupta.

Quid fœlicitas.

Prima conclusio. Pro intellectu dubii sunt conclusiones. Prima est: nulla hominis fœlicitas permanet aut durat à tempore quo homo sit fœlix usque ad finem vitæ per exclusionem corporis stante naturali necessitate. Patet, quia nullus est, quin habeat corrumpere & non continuare actus fœlicitatis propter naturalem necessitate incumbentem, ut propter comedere, vel potare, vel bibere.

Secunda. Secunda conclusio: nullius hominis fœlicitas permanet à tempore quo homo primò est fœlix usque ad finem vitæ per miseriæ exclusionem. Probatur, quia quantumcunque homo sit fœlix, adhuc non est tantum ejus intellectus habituatus, quin sit liber.

Tertia. Tertia conclusio: Cujuslibet hominis fœlicitabilis fœlicitas permanet à tempore, quo homo primò est fœlix usque ad finem vitæ suæ per exclusionem miseriæ faciliter consequentis. Probatur conclusio, quia homo postquam habituatus sit operationibus virtuosis non faciliter trahitur ad oppositum.

Quarta. Quarta conclusio: eadem fœlicitas est totaliter, vel æquivalenter, actualiter, vel habitualiter homini à tempore quo est fœlix usque ad finem vitæ suæ. Patet conclusio per Eustra: Primo Ethicorum dicentem: quod homo non operatur semper virtuosè, tamen omnes illas operationes ordinat in ipsam fœlicitatem.

Ad rationes. Ad rationes dicitur, quod faciliter possunt solvi ex iis quæ dicta sunt in primo articulo, per distinctionem de passione & miseria.

Ratio post oppositum est pro dictis.

QUÆSTIO V.

De fœlicitate in actu intellectus & voluntatis.

QUæritur quintò. Utrum fœlicitas consistat in actu intellectus, vel in actu voluntatis. Et est idem, ac si quæreretur: Utrum fœlicitas humana sit volitio vel dilectio Dei.

Arguitur. Et arguitur primò, quòd consistat in actu voluntatis, quia secundum actum voluntatis

voluntatis meremur, & non secundum actum intellectus: ergo. Consequentia est nota: quia fælicitas est in illo per quod meremur. Antecedens patet, quia cognoscendo non meremur; sed diligendo & amando Deum, quia operationes intellectus non sunt voluntariæ.

Secundò sic: fœlicitas humana consistit in charitate, & tamen charitas est habitus voluntatis, & non intellectus: ergo. Major patet, quia inter omnes habitus homini possibiles superior est charitas. Minor probatur, quia charitas consistit in hoc; quod est diligere & amare Deum, quod est actus voluntatis.

Tertiò sic: fœlicitas humana rationabiliter consistit in actu illius potentiæ, per quem homo intimius & perfectius unitur cum objecto beatifico; sed hoc est per voluntatem, ergo. Major patet de se, & minor probatur, quia humana voluntas per actum suum maximè unitur objecto. quia volumus illud quod acceptamus: sed indifferenter intelligimus illa & alia refutanda. Item amans per voluntatem ad amatum transformatur: ergo.

Quartò sic: per actum voluntatis homo plus Deo placet ut sic, quam per actum intellectus ut sic, ergo. Patet consequentia. Et major probatur, quia manifestum est, quod una vetula quæ habet magnam dilectionem Dei plus placet Deo, quam clericus magnus habens magnam cognitionem de Deo.

Quintò sic: actus voluntatis est melior quam actus intellectus: ergo. Consequentia patet, quia fœlicitas est quid optimum, & quid summè desideratum. Antecedens patet, quia diligere est actus amicitiæ, qui solum reperitur inter bonos; sed actus intellectus reperitur tam inter bonos quam inter malos.

Sextò sic: fœlicitas humana potius consistit in actu illius potentiæ quæ semper in objectum suum fertur sub ratione boni, quam illa quæ fertur in suum objectum ratione boni veri vel apparentis; Intellectus autem fertur in ens ratione boni veri vel apparentis: ergo.

Septimò sic: actus voluntatis est delectabilior quam actus intellectus: ergo. Patet consequentia, quia fœlicitas est quid delectabilissimum & optimum: & antecedens patet, quia solius voluntatis est delectari, Modò unaquæque potentia magis delectatur in proprio actu quam in actu alterius potentiæ, & proprius voluntatis actus est dilectio: igitur.

Octavò sic: odire Deum est multùm pejus quam ignorare Deum: ergo, diligere Deum est multò melius quam cognoscere. Consequentia tenet per illam maximam: Si oppositum de opposito. Et antecedens notum est, quia unum est demeritorium, & alius non, & sic unum est pejus alio.

Nonò sic: Dilectio est actus voluntatis; sed fœlicitas consistit in dilectione: ergo. Patet consequentia, & major patet, quia solius potentiæ volitivæ est delectari. Et minor patet per prædicta.

Decimò sic: Voluntas est nobilior potentia, quam intellectus: ergo. Patet consequentia, quia fœlicitas est operatio partis rationalis secundum optimam potentiam: & antecedens probatur, quia voluntas humana ut sic est libera, & intellectus ut sic non est liber: modò liberum est nobilius non libero.

Undecimò sic: actus voluntatis est perfectior actu intellectus: ergo. Patet consequentia, quia posteriora viâ generationis sunt priora viâ perfectionis. Patet etiam per August. *invisa possumus diligere, incognita autem nequaquam.*

Duodecimò sic: Habitus voluntatis est minor quam habitus intellectus, igi-

tur. Patet consequentia, quia si habitus est melior, ergo & actus. Antecedens probatur, quia bene habituatum quoad voluntatem dicimus bonum simpliciter: non autem habituatum quoad actum intellectus, & habitibus intellectualibus dicimus bonum simpliciter, sed dicimus ipsum bonum Grammaticum: & sic de aliis habitibus.

In oppositum. Oppositum arguitur: & probatur, quòd fœlicitas consistit in actu intellectus, quia fœlicitas humana consistit in speculatione summi entis: sed speculatio est actus intellectus: ergo. Consequentia est nota, & major patet per Philosophum Decimo Ethicorum, & Septimo dicentem: quòd vita speculativa est eligibilior practicâ. Minor probatur, quia ut sic voluntas est cœca.

Secundò sic: intellectus ut sic est melior & perfectior quam voluntas, ergo. Consequentia est nota. Et antecedens probatur multipliciter: scil. quod intellectus sit potentia nobilior. Nam dicit Seneca, *ad divitias optimum quid est de homine.* & sequitur, *sola ratio perfectum verum facit.* Secunda auctoritas est in alia epistola *: in Philosophiam te transfer, si vis esse securus, quod maxima est, si vis esse liber.* Modò Philosophia pertinet ad Metaphysicum, ut sic. Et sequitur: *si vis omnia tibi submittere, submitte te rationi.* Idem Philosophus patet per Tullium in libro de Paradoxis, ubi omnes sapientes vocat liberos, & omnes ministros vocat stultos. modò sapientia est virtus moralis & intellectualis. Et sic sequitur, quod ratio seu intellectus est nobilior voluntate, ergo est perfectior, tenet consequentia, quia liberius est perfectius minus libero, ut dicebam in una ratione ante oppositum: scilicet in prima. Et antecedens probatur, quia intellectus est ante actum voluntatis, sic quod voluntas nunquam suos exercet sine intellectu. Item intellectus est dominus actuum voluntatis, quia habet videre quæ sunt bona, & quæ sunt mala.

Secundò sic: actus voluntatis non propter se quæritur: sed actus intellectus propter se quæritur, quia est speculari quod propter se quæritur, & objectum voluntatis non propter se quæritur: sed propter bonitatem.

Tertiò patet, quia intellectus exercere actus suos potest sine actibus voluntatis, Item *Jo: 10. hæc est vita æterna ut cognoscam te,* Item August. in libro de civitate Dei. *quòd visio Dei est tota merces.*

In quæstione erunt duo articuli. In primo videbitur de comparatione intellectus ad voluntatem penes liberum ad servum. In secundo respondebitur ad quæsitum.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum est prima dubitatio: utrum voluntas sit magis libera, quam intellectus. Et arguitur, quòd voluntas sit magis libera, quia voluntas se habet ad intellectum sicut dominus ad servum: ergo. patet consequentia: quia dominium arguit libertatem. Antecedens probatur, quia *ratio semper ad optima deprecatur* Primo Ethicorum. Ex quo sequitur, quòd cum intellectus deprecatur aliam potentiam; sequitur, quòd est servus, & non respectu appetitus sensitivi, ut notum est: ergo sequitur, quòd est respectu appetitus intellectivi, qui est voluntas.

Dubium primum: Arguitur.

Secundò sic: Nam secundum voluntatem nos sumus domini nostrarum operationum, & non secundum intellectum: ergo sequitur, quòd voluntas dominatur in ordine ad intellectum. Patet consequentia. Et antecedens probatur, quia solum operationes voluntatis sunt meritoriæ & demeritoriæ.

Tertiò

Tertiò sic: Ipsa voluntas præcipit intellectui, & non è converso: igitur. patet consequentia, quia præcipere pertinet ad dominium. Et antecedens patet, quia voluntas præcipit intellectui ut speculetur, & ita speculabitur si non sit impedimentum.

Secundò sic principaliter arguitur: quia voluntas non potest cogi, & intellectus potest cogi: igitur. patet consequentia; & antecedens pro secunda parte: quia nisi sic, voluntas non esset voluntas. Et antecedens patet pro prima parte, quia posito primo principio in intellectu terminis intellectis intelligit de necessitate in actum intelligendi.

Tertiò sic: Voluntas omnibus similiter se habentibus potest in utrumque oppositorum, & intellectus non: igitur. patet consequentia, & major & minor probantur, quia intellectus determinatur à voluntate ad speculandum.

Quartò sic. In potestate voluntatis est reddere hominem servum & liberum: & non est in potestate intellectus. igitur, patet consequentia & major. Minor probatur, quia in potestate voluntatis est, quòd homo sit bonus vel malus. Modò dicitur Primo Hujus, quòd virtus & vitium determinant & servum & liberum. Et minor nota est; quia multi sunt boni Clerici & speculativi; & tamen sunt mali & vitiosi.

Oppositum arguitur. Intellectus habet determinare quid sit agendum & quid dimittendum, quid volendum & quid acceptandum, & quid verificandum: igitur, consequentia est nota, & antecedens probatur. quia voluntas non fertur nisi in cognitum, & per consequens non fertur in actum; nisi intellectus eum determinet. *In oppositum.*

Pro intellectu hujusmodi dubii est primò notandum: quòd tenendo viam communem & veram, scilicet quod in homine non est nisi una anima, quæ est intellectus & voluntas; quæstio de virtute sermonis est falsa. Loquendo de intellectu & voluntate in eodem homine, & in eodem supposito. Apparet, quia voluntas est realiter intellectus, & è converso, & sic idem erit liberius seipso. *Primum notabile.*

Secundò notandum, quòd dubitatio debet recipi ad istum sensum; quando quæritur &c. i. e. utrum anima liberius producat actum intelligendi secundum quem dicitur intellectus: quam actum voluntatis secundum quem dicitur voluntas, quam è converso. *Secundum.*

Tertiò notandum est, quod duplex est libertas: quædam est quæ dicitur sui ipsius gratiâ, alia est libertas oppositionis. Unde agens liberè agit primo modo, sic quòd agit sui ipsius gratia principali intentione, & non gratia alterius, ad quem omnia habent ordinem & reductionem, & hoc modo solus Deus dicitur agens liberum. Oppositio modo aliquis serviliter dicitur agere; quando est agens respectu sui ipsius, quod dicitur agens particulare; sed illud dicitur libere agere libertate oppositionis quod potest in aliquod, vel in oppositum ejus omnibus eodem modo habentibus se; quantum est de se vel ad eligendum vel non eligendum, & istud est multiplex sicut est videri alibi. *Tertium. Duplex est libertas. Quid est libere agere libertate oppositionis.*

Quartò notandum est, quod dupliciter actus potest esse in nostra potestate, uno modo, quia est immediatè & secundum se in nostra potestate, & talis actus vocatur elicitus. alius est actus solum in nostra potestate consecutivè, & secundum quid, & talis actus vocatur actus imperatus, quia consequitur actum imperantem, scilicet qui immediate & secundum se est in potestate nostra, & talis actus *Quartum notabile. Dupliciter actus dicitur esse in nostra potestate.*

actus in comparatione veri actus eliciti sequitur: & ideo dicitur, quòd actus exteriores non addunt aliquam malitiam actibus interioribus.

Quintum. Quintò notandum est, quod quidam sunt actus primi, qui consequuntur simplicem apprehensionem objecti convenientis vel disconvenientis: ut sunt displicentia, & placentia. alii sunt executorii, ut sunt volitio, & sic de aliis, & sic dicitur de actibus intellectus.

Qui sunt actus primi executorii.

Sextum. Sextò notandum est, quod secundum veritatem libertas oppositionis in finem ordinatur tanquam libertatem, quæ est sui ipsius gratiâ. Istud declaratur primò supponendo: quod non quicquid est apparens bonum est bonum simpliciter, vel quod apparet malum est malum moraliter.

Secundò quia libertas oppositionis non est nobis data ad acceptandum omne illud quod apparet bonum; vel refutandum omne illud quod apparet malum: sed est nobis data, ut si judicium non est bonum, possumus distrahere & suspendere actum volendi vel nolendi, quousque sciamus quòd judicium sit magis exquisitum firmum per intellectum habitum.

Istis suppositis declaratur notabile: quia data nobis est voluntas ut differatur actus; donec intellectus habeat veritatem ut sciat, & sic intellectus sui ipsius gratia immediatè operabitur post Deum, ut perficiatur melius, & sic tunc ejus voluntas operabitur. Item, quia nos non sumus liberi respectu ipsius Dei in actibus, quia Deus est gratia omnium. Item tertiò, quia in Deum omnia bona alia ordinantur: modò libertas est bonum humanum.

Corollaria. Corollariè sequitur, quòd illud est simpliciter bonum liberum, quod est liberum sui ipsius gratia. Et ratio est, quia multi Philosophi non attribuerunt libertatem oppositionis Deo.

Prima conclusio. Sit prima conclusio: Voluntas humana est libera libertate oppositionis. Probatur, quia aliàs nullus mereretur vel demereretur, quod est falsum, ut notum est.

Secunda. Secunda conclusio: Nulla potentia alia ab ipsa voluntate est ipsa liberior, loquendo de ipsa voluntate vel libertate. Patet conclusio, quia si aliqua esset alia liberior maximè esset potentia intellectiva, ut videtur: sed hoc non, ut patet ex dictis. Ex istis patet, quid sit dicendum ad dubium, loquendo de libertate oppositionis, Nam voluntas est sic libera.

Tertia. Tertia conclusio: Voluntas humana non est respectu omnium suorum actuum libera isto modo. Patet de actibus immediatè sequentibus apprehensionem objecti. Et ideo dicit Philosophus, quòd *primi motus non sunt in potestate nostra.*

Quarta. Quarta conclusio: intellectus humanus respectu multorum actuum est liber libertate oppositionis secundum quid, & libertate consecutiva. Conclusio patet, quia respectu complexionum mentalium intellectus humanus liberè formar diversos actus complexos, qui sunt imperati, & consequentes ad primos actus. Et sic patet quòd intellectus est liber. Et per hoc patet, quid sit dicendum ad dubium, loquendo de libertate oppositionis consecutiva.

Quinta conclusio. Quinta conclusio: Loquendo de libertate quæ est sui ipsius gratia; voluntas respectu suorum actuum est libera. Probatur, quia quando agit sui ipsius gratia agit, & non gratia alterius à Deo: igitur. consequentia est nota ex quid nominis. Et antecedens patet, quia sæpe producit actus ex quibus causatur habitus perficiens

perficiens ipsum intellectum. Similiter probatur de voluntate, quia producit multas volitiones ex quibus producitur & causatur virtus, quæ perficit voluntatem. Et dicitur notanter; aliquorum actuum & non omnium: quia si voluntas produceret actus ex quibus generatur vitium; non oportet tamen quòd causaretur assensus erroneus.

Sexta conclusio: Si actus optimus intelligendi, quem intellectus produceret, posset, est melior & nobilior optimo actu quem voluntas potest producere; sic intellectus est liberior voluntate, & non è converso. Probatur, quia si actus intellectus est melior, tunc magis perficit ipsum intellectum, & tunc intellectus magis operabitur sui ipsius gratia. Verum est tamen, & ista conclusio est hypothetica & suppositiva. Et de categorica conclusione videbitur in quæstione sequente. *Sexta.*

Ad rationes. Ad primam negatur antecedens: imo è contra dicitur, quòd intellectus se habet respectu voluntatis ad intelligendum; sicut dominus ad servum: quia dicit Philosophus, quòd *intellectus principatur voluntati principatu regali*. Et hoc patet Primo Hujus. Et ad probationem & ad auctoritatem Philosophi Primo Ethicorum dicitur; quòd non capitur ibi propriè deprecari: sed pro persuadere, seu hortari. Modò dominus bene hortatur suum servum. *Ad rationes.*

Ad secundam, cum dicitur, quòd secundum voluntatem sumus domini operationum nostrarum, dicitur quòd non: immo principalius secundum intellectum, quia nihil volumus nisi judicatum sit esse bonum per intellectum, & sic intellectus sententiare habet respectu voluntatis.

Ad tertiam probationem & auctoritatem: quòd voluntas præcipit intellectui. negatur hoc, & dicitur ulterius, quòd si præcipiat, hoc est ut speculetur & ordinetur in speculationem.

Ad tertiam rationem. cum dicitur: Intellectus potest cogi: dicitur quòd intellectus per puram intellectionem non plus potest cogi, quam voluntas per puram volitionem. Ad probationem dicitur, quòd causa necessitatis non est volitio; sed aggregatum ex sententia & volitione conformi ei: & hoc potius arguit præceptionem.

Ad tertiam dicitur, quòd bene arguit de libertate oppositionis.

Ad quartam dicitur, quòd hoc principalius & radicalius est in potestate intellectûs, & hoc quoad intellectum, quia nunquam voluntas exiret in actum bonum vel malum nisi sententia intellectus præhabita. Et hæc de primo articuli.

Quantum ad secundum articulum respondebitur ad quæsitum, & videbitur primò, in quo consistit fœlicitas humana. Et quicquid dicam probabiliter dicam, nihil asserendo. *Secundus articulus.*

Et est primo notandum, quòd quanto est actus nobilioris objecti, tanto cæteris paribus est nobilior & perfectior. Et dicitur notanter cæteris paribus, quia perfecta notitia quæ habetur de festuca est multo imperfectior cognitione confusa, quam habemus de Deo. *Primum notabile.*

Secundò notandum est, quod ad omnem actum voluntatis esse liberum procedit actus intelligendi quoad objectum, quòd appareat voluntati bonum vel malum: Patet suppositio, quia aliàs voluntas in eligiendo actus liberos ferretur in actus incognitos. Et dicitur notanter actum liberum, quia quoad actus primos non oportet. *Secundum notabile.*

Tertiò

Tertium. Tertiò notandum est, quòd si de summa bonitate alicujus objecti habeatur judicium, sequitur perfecta acceptatio alicujus objecti, & perfecta volitio, & etiam perfectus amor. Et si judicium non sit perfectum non sequitur perfecta acceptatio. Prima pars patet, quia perfecta acceptatio objecti summi boni sequitur ad judicium, & non ad judicium imperfectum, quia voluntas prius ferretur in objectum quàm esset cognitum, ergo, sequitur. quòd hoc est ad judicium perfectum. Sed secunda pars notabilis patet, quia esset possibile, quòd voluntas prius ferretur in objectum quam esset cognitum, quod est falsum, quia tunc quodammodo ferretur voluntas in incognitum. Ex quo sequitur corollarie, quod si Deus de potentia sua vellet suspendere actum suum concurrendi; non esset possibile quod esset perfectum judicium, quin sequeretur perfecta acceptatio.

Quartum. Quartò notandum est, quod in nullo actu imperfecto consistit humana fœlicitas. Patet per Philosophum Decimo Ethicorum dicentem: *nihil enim eorum imperfectum quæ fœlicitatis sunt.* Item quia fœlicitas debet esse optimum bonum homini possibile in hac vita: Omne enim imperfectum reducitur ad perfectum.

Quintum. Quintò notandum est, quòd actus intellectus qui est cognitio ut sic, immediatius attingit objectum, quàm actus voluntatis. Probatur, quia actus voluntatis nunquam est circa objectum nisi præsuppositâ sententia intellectûs, modò intellectus bene ferretur in objectum sine alio actu præsuppositio.

Prima conclusio. Iſtis positis sit prima conclusio: actus in quo humana fœlicitas consistit, sive sit actus voluntatis, sive actus intellectus, est circa Deum objective, probatur, quia actus in quo consistit humana fœlicitas debet esse perfectissimus & nobilissimus inter omnes actus humanos. Sed talis actus est circa objectum nobilissimum, quod est Deus. igitur. patet consequentia, & major etiam, quia fœlicitas humana consistit in actu perfecto, & non in actu imperfecto, ut patet per unam suppositionem, & minor nota est.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: fœlicitas humana non consistit in apprehensione abstractiva divinæ essentiæ, vel in actu illam apprehensionem consequente. probatur, quia talis actus est imperfectus.

Tertia. Tertia conclusio & probabilis est ista: capiendo fidem ut distinguitur contra notitiam claram & evidentem; fœlicitas non consistit in actu fidei quoad illa de quibus nati sumus habere notitiam perfectam. Probatur, quia omnis talis actus fidei est imperfectus. igitur. consequentia est nota, & antecedens est notum, quia ibi non est notitia vera & evidens.

Dubitatio. Sed circa hoc dubitatur: numquid fides quæ habetur de Trinitate est nobilior quam scientia quæ habetur de triangulo; scil. quod habeat tres angulos æquales duobus rectis. Et videtur quod non, quia fides non est notitia clara: igitur, &c.

In Oppositum. Solutio dubitationis. Oppositum patet, quia objectum est perfectius, ergo &c. Responderur, quòd fides illa est nobilior scientiâ quam habemus de triangulo, & ideo dicebatur in conclusione; quantum ad illa de quibus nati sumus habere notitiam claram, Modo de Trinitate non sumus nati habere notitiam claram, sed si scientia esset perfectior fide quæ habetur de illo de quo haberemus scientiam non sic esset.

Quarta. Conclusio responsiva. Quarta conclusio & responsiva: fœlicitas humana consistit in actu intellectus, qui est notitia perfecta Dei, seu perfecta Dei apprehensio: probatur sic per Philosophum

Philosophum & Senecam, & alios Philosophos morales qui præferebant speculationem omnibus aliis actibus humanis, & sapientiam, quæ est actus intellectus. Secundò probatur, quia intellectus ut intellectus est potentia nobilior in anima quàm voluntas, modò potentia nobilior se habet nobilius in actu optimo quem potest producere intellectus, quàm in actu nobilissimo quem potest producere voluntas. igitur patet consequentia; & antecedens patet ex dictis.

Tertiò sic: nam dictum est, quod intellectus per actum suum immediatius attingit objectum summe bonum, quàm voluntas per actum suum. igitur consequentia est nota, & antecedens ex terminis. Etiam antecedens patet, quia perfecta volitio de Deo præsupponit perfectam Dei notitiam.

Quartò sic: multi tenuerunt, quòd clara Dei visio in intellectu beati simpliciter à Deo dependet & immediatè, sic quòd non per species intelligibiles; ita quòd intellectus purè passivè se habet. Modo sic non est de actu voluntatis, quia actus voluntatis non dependet à Deo totaliter, immo ab actu intellectus: ut prius dictum est, ergo sequitur, quòd consistit in illo actu qui solum dependet à Deo & immediatè.

Quintò arguunt aliqui sic; & supponunt, quòd quæcunque distincta post Deum quorum unum non includit aliud potest Deus separare; & separatim conservare. modo ita est de clara Dei visione & de dilectione Dei perfecta: ergo Deus potest illos actus separare, & separatim conservare. Voluntulterius, quòd clara Dei visio remanet in anima Petri & dilectio corrumpatur, tunc de necessitate visionem Dei sequitur dilectio, quod non esset, nisi humana fœlicitas consisteret in actu intellectus.

Quinta conclusio.

Quinta conclusio: fœlicitas humana non consistit in actu intellectus reflexo. Probatur, quia actus intelligendi reflexus est minus perfectus & minus nobilis, quam actus rectus saltem respectu ejusdem objecti. igitur, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia actus reflexus habet notitiam pro objecto; sed actus rectus habet Deum pro objecto. Ex quo patet, quòd fœlicitas humana consistit in optimo actu intellectus in recto & non reflexo, qui est actus speculationis, & est actus sapientiæ, ut patet Primo Metaphysicæ.

Arguitur.

Sed contra illud arguitur, quia prudentia est nobilior sapientia, ergo magis consistit in actu prudentiæ igitur. consequentia est nota, quia fœlicitas est operatio secundum virtutem perfectam & optimam. antecedens probatur, quia prudentia est magis necessaria ad bonum regimen politiæ, quam sapientia.

Secundo probatur idem antecedens: nam secundum prudentiam dicitur homo bonus simpliciter; sed secundum sapientiam dicitur bonus secundum quid: igitur, patet major, quia qui habet *prudentiam habet omnes virtutes*, ut patet Sexto Ethicorum. Et minor nota est, quia ille dicitur solum bonus Clericus &c.

Tertiò: prudentia politica habet omnia ordinare, ut patet, Primo Politicorum.

Quartò sic: prudentia est certior. igitur. consequentia est nota, & antecedens probatur, quia prudentia est circa agibilia, sapientia vero est circa alta & divina.

Oppositum tamen patet, quia *sapientia est caput respectu omnium aliarum virtutum*, ut patet per Philosophum Sexto Ethicorum. igitur.

In oppositum.

Sit prima conclusio & responsiva: Sapientia est melior & nobilior prudentia, patet primò, quia est nobilioris objecti.

Prima conclusio.

Secundò, quia est actus nobilioris potentiæ prout satis patet per prædicta:

Secundum patet quod sit nobilior prudentiâ, quia agibilia circa quæ est prudentia sunt multùm mutabilia: divina autem circa quæ est sapientia non sunt mutabilia, ut notum est.

Ad rationes. Et tunc ad rationes. Ad primam negetur antecedens, ad probationem dicitur, quòd hoc non arguit nobilitatem prudentiæ respectu sapientiæ. quia quanto est magis necessarium, tanto est magis utile, & per consequens magis in aliud ordinatur.

Ad secundam probationem dicitur, quòd sapientia est ita habitus intellectualis sicut prudentia, & ut sic homo non dicitur bonus vel malus simpliciter. Secundò dicitur, quòd propter habitus intellectuales ut sic, homo non dicitur bonus aut malus simpliciter. Dicitur tertiò, quòd licet homo dicatur bonus per prudentiam hoc est per accidens, in quantum præsupponit virtutes dirigentes intellectum & voluntatem, non tamen simpliciter.

Ad tertiam dicitur, quòd est verum quantum ad usum, sed non quantum ad scientiam, sive sapientiam in se; quia prudentia non potest facere, quin sapientia sit circa altissima. Ad quartam; quando dicitur, quòd prudentia est certior. Dicitur, quòd licet sit certior quantum ad usum: tamen sapientia est certior ex parte objecti; scil. Dei, & Deus est certissimus & ita certus, quòd intellectus propter sui debilitatem non potest cognoscere Deum perfectè testante Philosopho procœmio Metaphysicæ dicente: *sicut se habet oculus Nicticoracis ad lumen solis: sic se habet intellectus noster ad ea quæ sunt certissima naturæ.*

Dubium. Dubitatur; utrum fœlicitas speculativa sit melior fœlicitate practica. Arguitur quòd non, quia illa fœlicitas est nobilior & perfectior quæ melioribus & perfectioribus inest; sed fœlicitas practica est hujusmodi. igitur, major patet ex terminis, quia ex nobilitate objecti frequenter arguimus nobilitatem actuum seu passionum. minor patet, quia fœlicitas practica inest prælatis & principibus respectu suorum subditorum.

Arguitur. Secundò sic: illa fœlicitas est melior, quæ est minus solitaria; sed fœlicitas practica est hujusmodi; igitur, major patet, quia sollicitudo maximè repugnat fœlicitati, quia dicitur Primo Ethicorum: *non omnino falsè est, qui specie turpissimus, aut ignobilis, solitarius, & sine prole est.* Minor patet per Philosophum Septimo Hujus, qui vocat *vitam speculativam vitam abstractam, & vitam practicam peregrinam.*

Tertiò sic: illa vita est melior, quæ se extendit ad plures actus & operationes; sed vita practica est hujusmodi. igitur, minor patet, quia dicitur Tertio de consolatione; quòd fœlicitas est status omnium bonorum aggregatione perfectus. & sic quanto quis plures actus habet bonos, tanto melior est. & minor patet per Philosophum in isto Septimo, nam dicit, quòd fœlicitas est abstracta; scilicet speculativa, & non peregrina.

In oppositum. Oppositum patet per Philosophum in isto Septimo dicentem: quòd fœlicitas seu vita speculativa est melior. Pro quo notandum est, quòd duplex est intellectus: quidam est practicus: alius est speculativus, non quòd isti differant; sed quòd anima dicitur intellectus practicus respectu habituum practicorum, & speculativus respectu speculativorum.

Primum notabile.

Secundum. Secundò notandum est, quòd fœlicitas speculativa est, quæ consistit in actu sapientiæ

ſapientiæ reſpectu rerum principalium ſpeculabilium, puta Dei & intelligentiarum: ſed practica conſiſtit in actu prudentiæ reſpectu optimorum agibilium, reſpectu proximi.

Tertiò notandum eſt, quod titulus dubii poteſt intelligi dupliciter: Uno modo, utrum fœlicitas ſpeculativa ſit melior & perfectior. Alio modo, utrum ſit melior; id eſt, utilior, ſecundum quod eſt duplex bonum: quoddam eſt honeſtum, & illud eſt propter ſe quæſitum. Aliud eſt utile, quod quæritur propter melius ſe, & hoc ut melius poſſit: ut ſunt pecuniæ. Ex quo patet, quomodo quis abutitur pecuniis. *Tertium.* *Titulus dubii dupliciter intelligitur.*

Quartò notandum eſt: quod ſi quæratur, utrum fœlicitas practica ſit utilior fœlicitate ſpeculativa: ibi non eſt comparatione propriè dicta: ſed abuſiva, ſicut dicitur quod Deus eſt melior Diabolo, quia fœlicitas ſpeculativa non eſt bonum utile, ſicut patet ex dictis, imo ſic aliquid eſſet melius ſe. *Quartum.*

Prima concluſio: fœlicitas ſpeculativa eſt melior, id eſt, perfectior fœlicitate practica. Iſta concluſio probatur, quia illa fœlicitas eſt melior alia, quæ conſiſtit in operatione ſecundum ſuprematn ejus operationem & virtutem: ſed fœlicitas ſpeculativa eſt hujuſmodi. igitur. Major patet ex definitione fœlicitatis, & minor probatur, quia fœlicitas conſiſtit in opere ſapientiæ, quod eſt opus virtutis ſecundum quam maximè Deo aſſimilamur: ſed fœlicitas ſpeculativa eſt hujuſmodi, quia ipſa conſiſtit in actu ſapientiæ, qui actus eſt ſpeculari Deum; modo illa operatio eſt perfectiſſima quæ Deo attribuitur, ut ſi imaginamur in Deo intellectuum practicum & ſpeculativum ſecundum quod debemus; tunc ille ſtatus eſt multo nobilior quo ſeipſum intelligit, quam quo alia. *Prima concluſio.*

Tertiò ſic: illa fœlicitas eſt nobilior quæ paucioribus indiget, quam illa quæ pluribus. ſed fœlicitas ſpeculativa eſt hujuſmodi: igitur. Major patet, quia illud eſt magis per ſe ſufficiens. Et minor probatur per dicta Philoſophi decimo Ethicorum, & in iſto Septimo, quia ad hoc quid aliquis ſit fœlix fœlicitate ſpeculativa ſufficit quod habeat victum & veſtitum, & non ſufficit ad fœlicitatem practicam.

Quartò ſic: ſapientia eſt habitu intellectus perfectior, ergo & actus ejus eſt perfectior. Conſequentia patet, & antecedens patet per Philoſophum Sexto Ethicorum dicentem: quòd ſapientia eſt caput habens reſpectum omnium virtutum ex parte objecti, & ex parte Dei, & intelligentiarum, & objectum prudentiæ eſt agibile humanum ex parte potentiæ.

Secunda concluſio: fœlicitas quæ eſt actus prudentiæ eſt melior, id eſt, utilior fœlicitate ſpeculativa, & hoc loquendo de comparatione abuſiva: Probatur, nam illa fœlicitas eſt utilior, quæ magis propter aliud quæritur quam propter ſeipſam: ſed fœlicitas practica eſt hujuſmodi: igitur. Major & minor patent, quia apud hominem bene regulatum omnes habitus quæruntur propter contemplationem Dei, quantum hoc eſt poſſibile homini in vita. *Secunda.*

Secundò ſic: fœlicitas illa eſt utilior quæ maximè conſiſtit in bonis utilibus, ſed fœlicitas practica eſt hujuſmodi, & ſpeculativa non: igitur. Major patet, quia fœlicitas practica conſiſtit in actu prudentiæ reſpectu primorum agibilium, & ipſa requirit quod homo habeat honores, filios, & uxorem; fœlicitas autem ſpeculativa non, ut notum eſt. Et minor patet per dicta.

Tertiò ſic: illa fœlicitas eſt utilior quæ habet noſtros actus dirigere, quam

illa quæ non habet; ſed fœlicitas practica eſt hujuſmodi: igitur. Minor patet, quia agere & dirigere pertinent ad prudentiam. Ideo dicitur Sexto Ethicorum: quòd *prudentia eſt recta ratio rerum à nobis agibilium.* Ex iſtis patet, quod fœlicitas civilis & practica eſt melior ſpeculativa; tamen ſpeculativa eſt multo nobilior & honorabilior.

Ad rationes dubii. Ad rationes dubii. Ad primam negetur minor: ad probationem dicitur, quod omnia illa ordinantur ad fœlicitatem ſpeculativam, & ideo antiquitus antequam principes deberent principari, eos oportebat prius artes liberales addiſcere.

Ad ſecundam cum dicitur: fœlicitas illa eſt melior quæ eſt minus ſolitaria dicitur primò, quòd vita ſolitaria & ſolitudo non eſt ſemper utiliter laudabilis; ſed vituperabilis: nec eſt ſecura animo, ſed periculoſa, quia homo eſt animal civile à natura. Alio modo capitur vita ſolitaria, ut homo ducit eam, ubi & quando oportet, & ut quodammodo aliis bonitatem communicet. Modò dicitur, quòd licet vita practica non ſit ſolitaria; tamen illa ſolitudo quæ reperitur in vita ſpeculativa eſt multùm nobilior & melior.

Ad tertiam: quando dicitur illa fœlicitas *&c.* negetur illa major, eo quòd omnes illæ operationes ordinantur in unam fœliciſſimam & perfectiſſimam operationem. Et ſic patet, quid ſit dicendum ad dubium.

Ad rationes quæſtionis. Ad rationes principales quæſtionis. Ad primam: quando dicitur fœlicitas conſiſtit in illo actu quo meremur; dicitur quod magis & principalius conſiſtit in actu intellectus, eo quòd intellectus bene judicat de tali vel tali objecto, & voluntas non facit, niſi ſe conformare tali judicio. Unde ſi eſſet poſſibile, quòd voluntas eligeret unum actum ſine intellectu, ille actus non eſſet meritorius.

Ad ſecundam: fœlicitas conſiſtit *&c.* negetur illa: ſed ſalum probabiliter. Ad probationem, cum dicitur; quòd charitas eſt habitus nobiliſſimus: dicitur quòd Philoſophus hoc negaſſet, immo dixiſſet quòd ſapientia eſt habitus nobilior. Et cum dicitur, quòd charitas eſt habitus nobiliſſimus comparando ad alios duos habitus infuſos, ſcilicet ad fidem & ſpem: patet quòd adhuc nihil concluditur, immo aliqui hoc negant, & dicunt, quod gratia eſt habitus perfectiſſimus inter alios habitus infuſos: & quòd nunquam poteſt ſtare cum imperfecto, charitas autem bene poteſt ſtare cum imperfecto.

Ad tertiam: quando dicitur, fœlicitas magis *&c.* dicitur negando primam conſequentiam, quia eadem ratione ſequeretur, quòd fœlicitas conſiſteret in actu viſivæ potentiæ, quia per actum talem homo unitur cum viſibili. Alio modo dicitur, quòd homo æque benè unitur, immo immediatiùs per actum intellectus Deo unitur, quam per actum voluntatis. Patet, quia voluntas nihil vult, niſi ſit præjudicatum eſſe bonum per intellectum. Et ideo dicit Philoſophus Tertio de Anima: quòd *intellectus eſt quodammodo voluntas*, & ſic conceſſa majore negetur minor, ſecundum quòd plus unitur, immo dicitur, quòd ſi intellectus producat habitum debitè judicando; ſequitur de neceſſitate acceptatio voluntatis, & non refutatio. Et quando dicitur Nono Ethicorum: *amans per amicitiam transfertur in amatum*, bene concluditur: ſed dicitur quod hoc radicalius conſiſtit in actu intellectus, quia intellectus judicat & diſcernit quid eſt faciendum.

Ad quartam: cum dicitur fœlicitas magis conſiſtit in illo, quo quis Deo magis placet; conceditur illa, ſed negetur minor. Et ad probationem, quando dicitur,

citur, quòd vetula non plus &c. dicitur quòd vetula non prius diligit Deum, quàm ſcit & credit eum eſſe diligendum, & per conſequens hoc magis conſiſtit in actu intellectus, & quia ſcit & credit quod præcepta Dei ſunt tenenda; idcirco diligit Deum. Et ideo dicitur de clerico, quòd magis errat ſi delectationes magis movent eum.

Ad quintam: quando dicitur fœlicitas &c. negetur minor, & cauſa eſt, quia actus voluntatis nunquam eſſet, niſi prius eſſet actus intellectus, eo quod in tali actu humana fœlicitas conſiſtit. Et quando dicitur; ille actus eſt melior, qui ſolum reperitur inter bonos: dicitur quòd hoc non arguit perfectionem boni.

Ad ſextam dicitur: quod in illo caſu conſiſtit quæ eſt potentia, quæ ſemper fertur in bonum: dicitur negando univerſaliter iſtam majorem, dicitur quòd voluntas nunquam fertur in bonum, niſi quia intellectus prius judicavit quod illud eſt bonum. Et ſic patet quod actus intellectus eſt melior & nobilior.

Ad ſeptimam: quando dicitur quod fœlicitas conſiſtit in actu, qui eſt delectabilior; conceditur major, ſed negatur minor. Ad probationem dicitur, quòd verum eſt dummodo hoc ſit per ſe, & non aliunde.

Ad octavam: quando dicitur odire Deum eſt pejus quàm ignorare ipſum: dicitur etiam diſtinguendo de ignorare. Uno modo, prout dicit privationem. Alio modo, ut dicit penuriam cognitionis ſeu actus, ubi eſt notitia maximè erronea, ut ſi quis diceret, quod maximè Deus eſt odio habendus: & ſic major erat falſa. Aliter reſpondetur negando conſequentiam, quia ibi non eſt talis oppoſitio, ſed contraria & privativa ſunt ibi.

Ad nonam dicitur: fœlicitas conſiſtit in dilectione, ſeu actu dilectionis, qui eſt delectatio intellectus.

Ad decimam: negetur minor, & dicitur, quod intellectus eſt liberior libertate quæ eſt gratia ſuiipſius, quæ eſt nobilior libertate oppoſitionis.

Ad undecimam: quando dicitur; actus voluntatis eſt nobilior, negetur. ad probationem, negetur conſequentia, quia per auctoritatem Philoſophus nono Metaphyſicæ dicitur, quod illa auctoritas intelligitur de eadem re, modo ſic non eſt in propoſito. Ad probationem negetur antecedens: & dicitur negando primam conſequentiam; ſcilicet ſecundum actum voluntatis homo dicitur bonus ſimpliciter, & non ſecundum actum intellectus: igitur eſt melior, quia eſt in inſtantia: ſecundum temperantiam homo dicitur bonus ſimpliciter, & tamen ſecundum prudentiam non: ſed ſolum dicitur bonus politicus, & tamen notum eſt, quod prudentia eſt melior temperantiâ.

Rationes poſt oppoſitum ſunt pro dictis in quæſtione.

QUÆSTIO VI.

De Politia ex bona vel mala diſpoſitione regionis.

Quæritur ſextò. Utrum ex diſpoſitione regionis benè vel malè diſpoſitæ politizans habeat politizare. id eſt, utrum politizans habeat ex diſpoſitione regionis in qua habitat benè vel malè politizare.

Arguitur. Et arguitur quod non, quia si sic esset, sequeretur quod politizare inesset homini à natura; consequens est falsum, quia inest à virtute & à voluntate. Et probatur consequentia, quia illud quod inest homini ex dispositione loci inest sibi à natura.

Secundò, si sic esset, sequeretur quod politizare inesset homini necessariò, consequens est falsum; quia inest homini purè liberè. Et probatur illa consequentia, quia illa quæ insunt ex dispositione loci, insunt à natura, ergo necessariò.

Tertiò sic, aliqui sunt inepti ad politizandum; igitur, consequentia tenet, quia *nullum existentium à natura contingit aliter assuesci.* Secundo Ethicorum. Antecedens patet, quia aliqui sunt idonei ad virtutes, & aliqui proni ad vitia.

Quartò, si sic esset, sequeretur quod propter bene vel male politizare homo non deberet laudari vel vituperari, ut patet de se. igitur. Et patet consequentia, quia postquam hoc inest homini secundum dispositionem loci vel regionis non esset in potestate hominis, quod bene vel male politizaret, quia propter illa quæ non sunt in potestate nostra, non laudamur, nec vituperamur.

In oppositum. Oppositum patet per Philosophum in litera dicentem: quòd *aliqui ex dispositione regionis vel loci habent quòd bene vel male politizant.* Et confirmatur, quia potest fieri quæstio; scil. utrum aliqui ex dispositione loci, vel complexione habitationis fiant virtuosi vel vitiosi.

In quæstione erunt duo articuli. In primo erunt notabilia. In secundo conclusiones.

Primus articulus. Quantum ad primum articulum. Primò notandum est; quod dispositio regionis, civitatis, vel loci, attenditur penes tria: scil. penes dispositionem qualitativam; scilicet, quia minus calida vel frigida est. Secundò modo penes quantitatem, seu mensuram vel extensionem regionis; quia sufficit ad fructificandum pro toto populo. Tertiò penes situm regionis: verum est tamen quod titulus quæstionis intelligitur quoad dispositiones qualitativas; sive quoad primas qualitates, vel alias fluxas à Deo.

Primum notabile.

Penes tria loci dispositio attenditur.

Secundum. Secundò notandum est, quod situs regionis vel loci dupliciter potest attendi. Uno modo possumus attendere situm in ordine ad cœlum & torridam zonam; Alio modo penes locum proprium in ordine ad aërem.

Dupliciter potest attendi loci situs.

Tertium. Tertiò notandum est, quod dispositio qualitativa regionis multipliciter diversificatur, secundum quod illa regio alteri, vel alteri respectu cœli & astrorum, seu planetarum subjicitur, scil. secundum diversitatem aspectuum cœli vel partium, quibus est illa regio subjecta. Patet, quia dicitur Primo Meteororum: *necesse est hunc mundum inferiorem esse continuum*: id est, *contiguum lationibus superioribus, ut tota virtus ejus inde gubernetur.* Etsi patet quod omnis virtus non libera gubernatur à corporibus superioribus, prout by *omnis* distribuit pro singulis speciebus individuorum.

Quartum. Quartò notandum est, quod diversitas complexionum humanarum est propter diversitatem regionum. Patet conclusio per experientiam; nam videmus quod propter hoc non solum homines variamur in complexionibus humanis, immo in moribus. Et probatur ratione, quia dicitur Quarto Physicorum quod *locus est generativus & conservativus locati*; & sic patet, quod locatum trahit dispositionem convenientem loco tali.

Quintò

Quintò notandum eſt, quod quanto complexio humana eſt ſimplicior & vivacior, tanto ſenſus exteriores ſunt puriores, vivaciores, & ſubtiliores, & per conſequens tanto intellectus eſt perfectior & ſubtilior; quia ſupponitur, quod quanto ſenſus exteriores ſunt vivaciores, tanto magis poſſunt deſervire intellectui, quia intellectus nihil agit, nec intelligit quamdiu eſt in homine, niſi cum miniſterio ſenſus. Et ideo dicitur in Primo Phyſionomiæ Ariſtotelis: *anima ſequuntur corpora.* Sed dicitur Secundo de Anima: *molles carne aptos maxime decimus*; tamen propter hoc pars hominis ſuperior comprehendens animam rationalem, & intellectivam, & partem volitivam, non neceſſitatur, in ſuis operationibus. *Quintum.*

Corollariè ſequitur, quod quanto diſpoſitio regionis eſt melior; tanto ut in pluribus potentiæ humanæ melioribus habitibus habituantur. Patet corollarium ex dictis, quia tanto potentia humana poteſt melius, quanto *&c.*

Eſt etiam ſciendum, quòd politizare ineſt homini ab appetitu initiativè, & à voluntate habituata determinatè ineſt. patet, quia quilibet appetitu naturali vellet in alterum dominari, ſed quod à voluntate habituata determinantè ineſt homini patet, quia ad bene vel male politizandum requiritur determinatio voluntatis. *Notabile.*

Ultimò ſciendum eſt, quòd politizare bene vel male ex diſpoſitione regionis ineſſe homini dupliciter intelligitur: uno modo, quod inſit homini diſpoſitivè, ſeu inclinativè, alio modo, quòd ſic politizare ineſt homini ex diſpoſitione loci completivè & perfectivè. *Ultimum notabile. politizare dicitur ineſſe homini dupliciter.*

Quantum ad ſecundum articulum, Sit prima concluſio: politizare bene vel male ex diſpoſitione regionis vel loci completivè & perfectivè non ineſt homini à natura. Probatur concluſio per rationes ante oppoſitum factas, quia ſic eſſentialiter omnibus hominibus ineſſet ſic quòd non laudaremur vel vituperaremur ſecundum noſtras operationes. *Secundus articulus. prima concluſio.*

Secunda concluſio: politizare bene vel male ineſt homini ex diſpoſitione loci vel regionis inclinativè, ſeu aliquo modo inchoativè. probatur concluſio, quia per illud politizant politizantes ſic vel ſic inchoativè ſolummodo per quod diſponuntur vel inclinantur ſic vel ſic ad virtutes, ſed hoc eſt ex diſpoſitione loci complexionis quòd homines complexionantur. Et iſta concluſio eſt de intentione Philoſophi. ſed cum iſto ſtat, quòd politizantes completivè & perfectivè politizant libere & purè voluntariè. Et ſimiliter dicendum eſt de quæſtione mota: ſcilicet quòd homines ſolum habent virtutes à natura inclinativè; ſed non perfectivè & completivè. *Secunda.*

Ad rationes dicitur; quòd omnes rationes ante oppoſitum ſunt pro prima concluſione, & auctoritates Philoſophi poſt oppoſitum ſunt pro ſecunda concluſione. *Ad rationes.*

QUÆST.